E.G
L
20

6934/B

I
a. 11

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

CARL, J.S.

Gr 21

To

SPECIMEN
HISTORIÆ
MEDICÆ
EX
SOLIDÆ EXPERIENTIÆ
DOCUMENTIS,
MAXIME VERO
MONIMENTIS
STAHLIANIS,
IN
SYLLABUM APHORISTICUM
REDACTUM;
UT ITA
EX MORBORUM CIRCUMSTANTIIS PERPETUIS
ESSENTIALIBUS ET EXTRAESSENTIALIBUS
UNIVERSA OECONOMIA MEDICINÆ INTERNÆ, INDEQUE PER SE FLUENS VERA ET CONSTANS PATHOLOGICA ET THERAPEVTICA
CONSIDERATIO PATESCAT:
COLLECTUM
A
J. S. CARL,
M. I. & St.

ROYAL SOCIETY OF LONDON

HALÆ, SUMPTIBUS ORPHANOTROPHEI, MDCCXIX.

HISTORIÆ

MEDICÆ

SPECIMEN,

QUOD FAUSTO SUB OMINE

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

EX AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI SENATUS

MEDICORUM ORDINIS

PRÆSIDE

JOANNE FRIDERICO

BLUMENBACHIO,

MEDICINÆ ET CHIRURGIÆ PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, FACULTATIS MEDICÆ ASSESSORE, SOCIETATIS REGIÆ GOTTINGENSIS SODALI, ACADEMIÆ IMPERIALIS NATURÆ CURIOSORUM COLLEGÆ, SOCIETATUM MEDICARUM HAUNIENSIS, HAFNIENSIS, HALENSIS, LONDINENSIS, PARISIENSIS, REGIÆ MEDICÆ MATRITENSIS, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM ET ELEGANTIORUM LITTERARUM MONACENSIS, SOCIETATIS REGIÆ SCIENTIARUM BOHEMICÆ, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM SUECICÆ, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM ET ELEGANTIORUM LITTERARUM HOLMIENSIS, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM ET ELEGANTIORUM LITTERARUM MANTUANÆ, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM ET ELEGANTIORUM LITTERARUM MATRITENSIS, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM ET ELEGANTIORUM LITTERARUM PARISIENSIS, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM ET ELEGANTIORUM LITTERARUM TAURINENSIS, ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM ET ELEGANTIORUM LITTERARUM VENETÆ ET COMPLURIUM ALIARUM ACADEMIARUM ET SOCIETATUM LITTERARIARUM

CONSENSU

PUBLICE DEFENDENDUM

JOANNES CARL,

MEDICINÆ DOCTOR.

AUDITORIBUS

ET

COMMILITONIBUS

OLIM

SUIS HONORATISSIMIS ET AMANTISSIMIS

FAUTORIBUS ATQVE AMICIS

SINCERI AMORIS VINCULO JUNCTIS

SPECIMEN

HOC PRIMVM

HISTORIÆ MEDICÆ

IN TESSERAM PERENNIS AMICITIÆ

OFFERT ET DEDICAT;

ATQUE FILUM INCHOATUM PERTEXENDUM

ET

HOC STUDII HISTORICI GENUS ULTERIORE SOLERTIA EXCOLENDUM

COMMENDAT

FIDUS QUONDAM HODEGUS

I. S. CARL.

AMICI PERDILECTI,

NOn dubito fore, ut plerique rerum naturalium in genere, & medicarum in ſpecie, gnari & æqui æſtimatores nobiscum conſentiant, quando ſtatuimus, ad indagationem phænomenorum æthiologicam, & inde veram pathologiam medicam formandam, requiri omnium circumſtantiarum, maxime vero eſſentialium, certam, exquiſitam, & collectivam quaſi notitiam, ita vt, ſi vnica earundem vel deficiat, vel perperam cognoſcatur, vel ſiniſtre adhibeatur, univerſa cauſalitas introducta infirmo talo ſuperſtructa deprehendatur. Hoc aſſertum ita firmo nititur fundamento, ut quivis dexter ſolidioris comparationis rationalis arbiter ambabus manibus aſſenſum & fidem dare poterit ſine ulteriore cauſali deductione, dum ex neglectu aut defectu hujus ſimplicis fundamenti indagationis phyſicæ in doctrinam medicam tot chimeræ hypotheſium, opinionum, theoriarum, prodierint, quæ non ſolum applicationem practicam reſpuunt, ſed etiam ſtudium univerſum dogmaticum vel plebis ludibrio exponunt, omnibus ſcrutatoribus ſpem auferunt, ad abyſſeum pathologiæ veræ aditum petveniendi. Cum vero hac noſtra ætate ſolertium indagatorum ſagacitas futilium hypotheſium

ſium cumulis ſatiari non poſſet, utpote quæ, tanquam aniles nugæ, etiam iis, qui extra ſphæram ſtudii medici poſiti, aptæ tamen ratiocinationi habiles ſunt, ſummum tædium ac indignationem crearent, quod in doctrinam, utilitate ac neceſſitate gravem, tanta ſentina ludicrorum, levium phantaſmatum congereretur: alia tum eligebatur via, qua ad certiorem & ſtabiliorem morbi cauſalitatem perveniri poſſet, quam annorum ſeries aut temporum mutationes non ita facile diruerent. Redibat in mentem antiqua veritas, quod opinionum commenta dies deleat, naturæ vero facta confirmet: unde loco tot inventorum & arcanorum recentioris ſolertiæ anxie huc applicatorum, male tamen adhærentium, veterum ſimplicior obſervandi methodus reducebatur, qua indagationi cauſali primitus ſemita ad hiſtoriam facti, & phænomenorum apertam cognitionem, aperiretur, & ad hanc rationalis theoria, non vero hiſtoria ad hypotheſin, proprio arbitrio ſculptam, formaretur. Albæ mentis eos fore neceſſe eſt, qui intelligere nec velint nec poſſint, quod hac trita via certius & intimius in penetralia doctrinæ medicæ poſſimus ingredi, quam quavis alia curioſitatum & ſubtilitatum fuco obducta manu introduci; ut immenſas in effectum practicum profluentes utilitates non tangam. Aperiam paucas libera manu palpandas. I. Ex ſimplici circumſtantiarum hiſtoria, dextre collecta & collata, pateſcet univerſa œconomia medicinæ internæ, myſterium illud paucis ſane in vero fundamentali nexu cognitum, ſc. avtocratia naturæ, energia ſpiritus vitalis in morbidarum materiarum excuſſione, & ſpontanea liberatione ab omni impedimento vitalitatis. II. E tali perſcrutatione in ſpecie facti, cruda quaſi, omni ſolerti indagatori in manus delabetur largiſſima ſeges, comparationes & concluſiones cauſales formandi, adeoque ſartum & tectum ſyſtema pathologiæ totiusque theoriæ medicæ exſtruendi; quod non in ævum aut luſtrum pro hypotheſium ſtrage mutari neceſſe ſit. III. Denique exinde pateſcet artificium ac methodus medici interni, qua in actibus ſui eluctatoriis utitur, & cui miniſterium medici externi tuto utiliterque ſubvenire, illud adjuvare, ſublevare, immutare, occupare de-

beat ac poſſit. Ampliſſimus mihi hic patet campus, excurrendi in doctrinam & praxin medicam, pro utilitate hujus hodegeticæ inſtitutionis demonſtranda & a ſterili hypotheſium conſarcinatione vindicanda, ſi Veſtris animis vel leviſſimi dubii ſcrupulum adhuc inſidere crederem. Noſtis vero, quid ab eo tempore, quo aditum Vobis in encyclopædiam medicam aperirem, ſemper hanc regiam monſtrarim, ut ſolum ſollicite a Vobis inquireretur, quid in oeconomia vitali agatur, quinam ſint ii actus, quibus natura ad vitalitatem conſervandam & reſtituendam utatur, qui congrui, adæquati, ordinati, & qui erronei, confuſi, heterocliti motus, quæ paſſiones a morbo, & quæ propter morbum evenientes, quæ tempora, quæ loca, qui modi luctarum &c. Quæ ſingula poſtulata, cum non opinionum vel veterum vel novarum expiſcatione captentur, ſed ſolertiore factorum naturæ ſcruticinio perdiſcantur, in nullo ſtudiorum genere tyrocinia medica impendi magis poſſe, equidem & Vos mecum credidiſtis, quam ſi phænomena vitalitatis ſalvæ & læſæ ex documentis practicis veris, vivaque poſtea experientia, aſſidua diligentia haurirentur. Quamobrem cum me praxis medica a labore dogmatico ſubriperet, & per plures ſæpe dies aulis exteris affigeret: ſuppeditavi hoc utile ſtudium autodidacticum, ut ita colligeretur mercatura, nulli ætati aut poſteritati, multo minus Veſtro commodo obſoleta, quod omnibus locorum communium cumulis quam longiſſime anteferri poſſet. Monſtravi iter, quod ego in encyclopædia hodegetica propria induſtria prægreſſus fueram, ut & ipſi hæc veſtigia porro prematis, & filum a me inchoatum plenius pertexatis. Cum vero inciderimus in eam largiſſimam meſſem, quam ſolertis & acutæ experientiæ ſeges Stahliana nobis ſuppeditavit: eo facilius, eoque amplius noſtram falcem immittere potuimus, ut neceſſe nobis non fuerit, vel in veterum vel recentiorum obſervatorum minus frugalem agrum excurrere, & ſeminia puræ experientiæ a ſpurcitie commentorum depurare. Selegimus tamen non paucas miculas ex agro Foreſtano, qui & Ipſi Stahlio noſtro, experientiæ medicæ dexterrimo judici, dignus

ſemi-

ſemper eſt habitus, ut inde contra moderni ſeculi tumultuariam experimentandi rationem apta, concinna, connexa hiſtoria morborum, maxime vero quoad naturam cognationis ac dependentiæ, perdiſcatur. Nil vero in tota ejusmodi ſuppellectilis collectione admittebatur, quod non quotidiana obſervatione roboratum ſit, & in dies magis roboretur. Jam eſtote vos ipſi judices, annon hoc labore & memoriæ & ſcientiæ, & artis applicationi utilius opus fuerit exſtructum, quam ſi hypotheſium, contemplationum cumulos, licet Dolæana encyclopædia vaſtiores ſint, compilaſſetis? Habetis in hoc ſyſtemate hiſtoriæ medicæ ſupra dicti triplicis uſus feliciter expleti ſcaturiginem. Maxime vero exinde vera apodixi deprehendere poteſtis, quid ſit morbus, tum generaliter tum ſpecialiter, arcanum noſtris demum temporibus, & hac via apertum, quod nec chymica, nec anatomica, nec mechanica ſubſidia, uti ſpem fecerunt, apte manifeſtare potuerunt. Ex axiomatica circumſtantiarum conjunctione ars longa & vita brevis nanciſcitur ſubſidium, limitatas mentis vires conſervandi, ut neque per ſeculum, neque per ſtrages hominum experientiæ ubertatem aucupari neceſſum erit. Attamen cum fragmenta & primæ lineæ ſolum ſint; Veſtræ & aliorum induſtriæ relictum putandum, omni die & magis anno lineas addere, quo tandem aliquando univerſa oeconomia vitalitatis per actus ſingulos ac ſingulares in apricum deducatur. Simili fundamento hiſtorico ſuperſtruximus indagationem phyſicam, tum ſtatus naturalis microcoſmici, tum ſtatus macrocoſmici, ut ibi ex phænomenorum, actuum vitalium (ex medicina, ut ſtatu evidentiore quoque hauriendorum) ſimplici hiſtorica contemplatione ſcientia anthropologica certius cognoſcatur, quam ex facultatum & qualitatum veteris & recentioris phyſiologiæ adminiculis; hic vero in nuda experimentorum intuitione animus ſolidiore mixtionis internæ, & inde pendentium phænomenorum ſcientia imbuatur, quam ſi vel cuncta principiorum cohors advocetur, omnisque ſchola philoſophorum perluſtretur; ut taceam illum practicum uſum, quod hac ratione ſyllabus experimentorum in pharmaceuticum & mechanicum

cum uſum profluentium, largus pro imitatione atque emendatione ſalutari, impetretur. Nolo eſſe verboſior, ſed claudo has dedicatorias commendatione hujus ſtudii in Veſtram ulteriorem ſolertiam, ut, quæ experientia quotidiana manibus Veſtris ſubinde porrigit, ea in attentam obſervationem perducatis, ex qua ſolida, firma ac utilis contemplatio prodeat. Abſcindite magis magisque aliena, quæ nec ſcientiam ornent, nec artem facilitent: maxime in negotio, quod rem arduam, & ſalutem humanam ferientem, involvit. Ludere hic in ſalinis, vel mechanicis potentiis, viri gravis non eſt, ſed levis, imo albæ mentis, quæ ſolum aniculis & plebejis per ejusmodi fabulas ſeſe colorare & imperitiam medicam obtegere ac infucare nititur. Diu ejusmodi opinionum ineptiæ medicæ arti fuerunt dedecori, ut in proverbium inde abierit, grammaticis exceptis, medicis nil eſſe ſtultius: dum ex ſtrepitu hypotheſium, nullum rationalem conceptum admittentium, quivis conjicere debuit, artem quoque medicam ſimilis furfuris incertique tentaminis fore. Ad avertendam hanc ignominiam ab arte medica aperta eſt janua, dum receſſus in œconomiam medicinæ internæ ejusmodi obſervatione perluſtrare & cognita hodegi hujus veſtigia premere datum ſit, itaque & ſcientiam ſalvam conſequi poſſimus, cognoſcentes certo, quid ſit morbus in genere & ſpecie, imo individuo ſecundum omnem actuum, paſſionum, cauſarum ſyſtematicam cohæſionem; & artem in legitimos limites introducere, dum non cæco, bruto, conjecturali impetu vitam & ſanitatem invadere amplius liceat, ſed ad hodegum medici interni miniſterium medici externi applicare, & ea propter avtocratiæ internæ artificia, totum motuum internorum ſe- & excretoriorum, eluctatoriorum, ſyſtema in univerſo ordinis, temporis, loci, modi, durationis, periodi complexu addiſcere, attendere, & fideliter hunc ducem aſſequi. Quod ſi ejusmodi ſcientiæ & artis integritas attentionem actorum naturæ in vitalitatis reſtitutione levibus animis inculcare non poſſit: tum certe conſcientiæ intaminata libertas eo impellere debet ac poteſt, cum non in lignum & lapidem ictus & luſus exercere per brutos & mechanicos

nicos conatus liceat, ſed vitalitas talis manibus noſtris ſit ſubjecta, cui animæ ſalus, cui proximi, imo multorum temporalis & æterna incolumitas conjuncta ſit, & ita hujus multiplicis ſalutis humanæ cuſtodia medico externo rationem coram tribunali ſupremo injungat. Profecto, ſi mihi myſterium hoc medicinæ internæ ex attenta motuum morbiferorum obſervatione, (quoad proportionatam & ordinatam ſpeciei appropriatam ſelectionem, juſtam temporis conſervationem, loci ſelectionem, intentionis & intenſionis prudentem cuſtodiam, quoad ſtatas, materiæ appropriatas, criticas vergentias &c.) hauriendum occultum manſiſſet: ego non niſi trepidiſſima manu menteque ductum hypotheſium in opere practico proſequi valuiſſem, quin imo æquius eſſe duxiſſem, ſubtrahere manum, quam inter tot vitæ & ſalutis pericula cæco auſu mechanicos aut chymicos impetus admovere. At vero cum in attentione actuum naturæ palam pateſcat, num ii actus materiæ morboſæ adæquati exiſtant, num ordo, tempus, locus, duratio executionis eidem cauſæ conveniens, quorſum hi actus in genere & in ſpecie, imo individuo, vergant, annon erroneum aliquod conamen ſubſit, vel defectus energiæ motivæ in abſolvendo toto actu &c. tum ſane & dia- & prognoſis certa inde ſperari poteſt, & therapiæ ſtatus formari, quantum medicinæ internæ poteſtati ſit relictum, contra vim morbi luctas ſuas intendere & perficere, & quantum externo ſubſidio datum ſit, ſuccurrere, promovere, alleviare; aut contra invertere & declinare internæ autocratiæ progreſſum. Omnis ejusmodi ſcientiæ, artis, conſcientiæ utilitas redundabit in ægros & adſtantes, ut miniſter naturæ factorum autocratiæ internæ hiſtorica recenſitione certiorem vitalitatis læſæ conditionem eos edocere, firmiorem iis prognoſin tradere, conſtantem magis, non in diem mutandam, cauſalitatum enucleationem aperire, imo therapiæ ductum monſtrare poſſit; quam vel rotularum mechanicarum vel chymicorum ſalium & angulorum, vel anatomicarum fibrarum peroratione, qua præter ſtrepitum aurium, & anilem famam de vaſta eruditæ

obſcuritatis ſuppellectili nullus vel medico vel ægro uſus obtinetur. Denique is utilitatis proventus ſubticeri non debet, quod hac ſollicita actuum ordinariorum obſervatione addiſcatur, quando extraordinaria, imo quaſi ſupernaturalia molimina immiſceantur, & hic præcipue τὸ θεῖον involvatur, quam perſcrutationem nullæ fermentationum, efferveſcentiarum, deſpumationum, mechanicæ aut chymicæ paſſiones enucleare valebunt. Ita vero veſtigia nos in eam viam introducent, & cognoſcendi manum Domini lædentem & ſanantem ordinariam & extraordinariam; & perpendendi habitum internum animorum, quorum gratia Creatoris benignitas externam corporis labem injungit, ut reductio & liberatio ab interitu intendatur, perpetretur & facilitetur, & tandem pervidendi judicia DEI juſta, quæ levem læſionem in chronicam & inſanabilem labem devolvere poteſt, ut ita peccator ſui ſceleris memoriam & pœnam luat, aliisque exemplo triſti & juſto juſtitiæ divinæ æquitatem inculcet. Quantas abyſſos & profunditates amoris, ſapientiæ, potentiæ divinæ venerandas ſagaces animi, qui timorem Domini & medicæ ſapientiæ initium eſſe ducunt, fideliterque colunt, deprehendent; nec oculus, nec mens ſtupida hominum naturalium, licet in acumen philoſophandi aſcendiſſe videatur, intelligere valebit. Huic ſolerti indagationi deprehendendum pariter erit τὸ δαιμόνιον, ictus luſusque ſatanici, ſpiritus morbi, ejusmodi confuſiones actus vitalis, omnem naturalem & quaſi moralem conceptum effugientes, quas nec ſub morbis archealibus, nec ſub intemperie ſine materia, veterum & recentiorum ſagacitas capeſſere valuit. Sunt profecto ejusmodi furores non tam archæi, ſed ipſius velut Gehennæ ſæpe in œconomia vitali, qui veluti ferrum a ſcelerum & paſſionum magnetiſmo attrahuntur, & juſto DEI judicio flagitiorum inſtrumentum ac officinam laceſſere debent. Hos vero pharmacia adgredi, hos hypotheſium magnalibus explicare, irritum conſilium & cœptum nemo non cognoſcet, contra vero intelliget, attentam obſervationem omnino indigere.

Quam-

Quamobrem, Commilitones dilecti, ſervate hanc ſemitam, memores ſemper antiqui & veri verbi: opinionum commenta delet dies, naturæ facta confirmat. Rejicite ejusmodi aliena, quocunque etiam eruditionis, ſubtilitatis, curioſitatis fuco vobis vendantur. Præſtat feliciter curare, quam ſubtiliter diſputare, jam Hippocrates docuit: quam veritatem nos tanto magis colere neceſſe habemus, qui vitæ tuitionem non ex temporali quodam commodo, quam æterna electione in nos ſuſcipere, & hujus officii DEO judici rationem reddere, itaque tranquillitatem perennem animi capeſſere ac cuſtodire optamus. Hos fructus Vobis, præ omnibus aureæ & celebris praxeos fucis, apprecor, imo quærendos, plantandos & decerpendos commendo ac hortor hiſce literis pro fidei ac amoris in Vos Vobis noti perennitate. Quocirca ſtrenua opera, imo omni animi contentione eo allaborare pergite, quo in exitu vitæ medicæ, ethicæ, ac phyſicæ nihil caduci, nihil futilis Vos didiciſſe, quæſiviſſe, tractaſſe conſcientiæ dictamen Vos poſſit exhilarare.

Scribebam Budingæ, a. d. 10.
Decemb. 1718.

INDEX CAPITUM.

PRÆFATIO
DE
RATIONE OBSERVANDI.
TRACTATIO.

CAP. I.
Hiſtoria morbi generalis quoad naturam ac differentiam ſubjectorum.

CAP. II.
Hiſtoria morbi generalis ex ſtatu & diverſitate cauſarum.

CAP. III.
Hiſtoria morbi in genere ex habitu ac natura animi pathematum.

CAP. IV.
Hiſtoria morbi generalis ex ſtatu ac natura Conſuetudinis.

CAP. V.
Hiſtoria morbi generalis ex ſenſibilitate naturæ.

CAP. VI.
Hiſtoria Medica temperamentorum.

CAP. VII.
Hiſtoria Medica ætatum.

ART. I.
Hiſtoria morborum Infantum.

ART. II.
Hiſtoria morborum ſenum.

CAP. VIII.
Hiſtoria morborum habitualium.

CAP. IX.
Hiſtoria morborum hæreditariorum.

CAP. X.
Hiſtoria morborum corruptorum.

CAP. XI.
Hiſtoria morborum periodicorum.

CAP. XII.
Hiſtoria morborum incurabilium.

HI-

HISTORIÆ MEDICÆ
PARS SPECIALIS.
HISTORIA AFFECTUUM
ET
MORBORUM SINGULARIUM.
SECTIO PRIMA.
ANOMALIÆ PULSUS,
SCILICET
HISTORIA FEBRIUM.

CAP. I.

Hiſtoria Febrium in genere.

CAP. II.

Hiſtoria febris epidemicæ malignæ in genere.

CAP. III.

Hiſtoria petechialis malignæ.

CAP. IV.

Hiſtoria PESTIS.

CAP. V.

Hiſtoria variolarum & morbillorum.

CAP. VI.

Hiſtoria febris bilioſæ.

CAP. VII.

Hiſtoria febris inflammatoriæ in genere & ſpecie.

CAP. VIII.

Hiſtoria Febris catarrhalis.

CAP. IX.

Hiſtoria Febris hecticæ ac lentæ.

CAP. X.

Hiſtoria Febris Ephemeræ continentis ac ſynochæ.

CAP. XI.

Hiſtoria febris purpuratæ.

CAP. XII.

Hiſtoria Febris compoſitæ

1. ex acuta periodo.
2. ex intermittente periodo.

CAP. XIII.

Hiſtoria febris ſecundariæ ac ſymptomaticæ.

CAP. XIV.

Hiſtoria febrium intermittentium in genere.

CAP. XV.

Hiſtoria Tertianæ, ſimplicis & duplicis.

CAP. XVI.

Hiſtoria quotidianæ.

CAP. XVII.

Hiſtoria quartanæ.

HISTORIÆ MEDICÆ

SECTIO SECUNDA.

ANOMALIÆ TONI.

MEMBRUM I.

HISTORIÆ HÆMORRHAGIARUM

CAP. I.

Hiſtoria ſtatus hæmorrhagici in genere; quoad

α. internas β. externas
γ. inſolitas δ. incongruas

naturales,
artificiales hæmorrhagias.

CAP. II.

Hiſtoria Hæmorrhagiarum ſpecialis

1. Narium α. ſimplicis
β. criticæ γ. phlegmaticæ hæmorrhagiæ.

CAP. III.

Hiſtoria Hæmoptyſeos.

CAP. IV.

Hiſtoria vomitus cruenti & nigri.

CAP.

CAP. V.

Hiſtoria Hæmorrhoidum in genere.
in ſpecie
internarum,
externarum.

CAP. VI.

Hiſtoria Hæmorrhagiarum uteri in genere,
in ſpecie
1. quoad exceſſum.
2. defectum.
3. emanſionem.
4. motum per vias inſolitas.
5. Finem cum conſectariis.
6. Lochia.

CAP. VII.

Hiſtoria mictus cruenti.

ANOMALIAE TONI.

MEMBR. II.

Hiſtoria motuum hæmorrhagicorum ſ. morborum conſequentium.

PARS I. GENERALIS.

CAP. I.

Hiſtoria congeſtionum.

CAP. II.

Hiſtoria Rhevmatiſmi.

CAP. III.

Hiſtoria Inflammationis in genere

CAP. IV.

Hiſtoria inflammationis in ſpecie
1. Eryſipelatis.
2. Phlegmonis
3. Apoſtematis.
4. Gangrænæ.
5. Sphaceli.
6. Ulceris ſimplicis, fiſtuloſi, apoſtematoſi.
7. Furunculi.
8. Carbunculi.
9. Scirrhi.
10. Cancri.

CAP. V.

Hiſtoria dolorum in genere.

CAP.

CAP. VI.

Hiſtoria motus tonici p. n. affecti.

CAP. VII.

Hiſtoria motus humorum ſpaſmodici in genere.

CAP. VIII.

Hiſtoria motus humorum ſpaſmodici, in ſpecie I. arthritidis vagæ.

CAP. IX.

Hiſtoria 2. podagræ & mali iſchiadici & varicis.

CAP. X.

Hiſtoria 3. Convulſionis.

CAP. XI.

Hiſtoria 4. Epilepſiæ.

CAP. XII.

Hiſtoria defectus motuum in genere, & in ſpecie 1. virium. 2. paralyſeos. 3. apoplexiæ. 4. ſyncopes. 5. lethargi. 6. deliriorum. 7. memoriæ læſæ.

PARS II. SPECIALIS.

Motuum hæmorrhagicorum & morborum conſequentium hiſtoria.

CAP. I.

Hiſtoria congeſtionum ad caput

Art. I Cephalalgiæ.
II. Cephalææ.
III. doloris gravedinoſi.
IV. ophthalmiæ.
V. odontalgiæ.
VI. hydrocephali.

CAP. II.

Hiſtoria congeſtionum ad pectus

Art. I. Tuſſis ſicca & humida.
A. II. Aſthma humidum, ſiccum & convulſivum.
A. III. Scirrhi pulmonum.
A. IV. Vomica pulmonum.
V. Phthiſis. VI. Peripnevmonia.
VII. Angina. IIX. Catarrhi ſuffocativi
IX. Hydrops pectoralis.

CAP.

CAP. III.

Hiſtoria congeſtionum & motuum ſanguinis in & ad abdomen

MEMBR. I. Hæmorrhoidum & vomitus cruenti conſectaria.

ART. I. Morbi venæ portæ in genere.

A. II. in ſpecie

α. Cardialg. ε. colica ſpaſm.

γ. M. hypoch. δ. indur. viſcer.

MEMBR. II. Conſectaria renum hæmorrhagiæ.

ART. I. Nephritis.

A. II. Calculus.

A. III. Ulceratio renum.

MEMBR. III. Uteri hæmorrhagiæ conſectaria.

ART. I. Paſſio hyſterica.

A II. Fluor albus.

A. III. Affectus gravidarum & puerperarum, mola &c.

HISTORIÆ MEDICÆ

SECTIO TERTIA.

Hiſtoria morborum lymphalium.

CAP. I.

Hiſtoria œdematis.

CAP. II.

Hiſtoria hydropis.

CAP. III.

Hiſtoria Cachexiæ.

CAP. IV.

Hiſtoria ſcabiei.

CAP. V.

Hiſtoria ſcorbuti.

CAP. VI.

Hiſtoria luis venereæ.

HISTORIÆ MEDICÆ

SECTIO QUARTA.

Historiâ morborum intestinalium.

CAP. I.

Hist. Atrophiæ.

CAP. II.

Hist. addephagiæ.

CAP. III.

Hist. Flatulentiæ.

CAP. IV.

Hist. Colicæ.

CAP. V.

Hist. Iliacæ passionis.

CAP. VI.

Hist. fluxuum alvi.

α. Diarrhœæ.
β. Cœliacæ passionis.
γ. Lienteriæ.
δ. Dysenteriæ.
ε. Vermes.

PRÆFATIO
DE
NATURA ET STRUCTURA
OBSERVATIONIS MEDICÆ
PRO
COMMENDATIONE STUDII HISTORICI PRAEMISSA,
UTI OLIM PRO
COMMENDATIONE COMMERCII IATRO-TERETICI
ERAT SCRIPTA
COMMENTATIO EPISTOLARIS.

DE OBSERVATIONUM COMMUNIONE COGITATIONES.

Sect. I.

DE IMPEDIMENTIS PRAXEOS EX OBSERVATIONUM NEGLECTU.

Uemadmodum modernam medicinæ faciem a priſtino ſtatu inſignem differentiam offerre, unusquisque facile deprehendet, qui harum rerum probe gnarus & a præjudiciis liber exiſtit: ita quoque ingenti admiratione digna ſunt judicia medicinæ procerum, quippe qui adeo in diverſas partes ſcinduntur, quotieſcunque de utroque ita diſpari ſtatu animi ſententia aperienda, & æqua cenſura depromenda eſt. Uti enim multi omnis antiquitatis tanti ſunt cultores, ut cuncta veterum placita laboresque ſolum ſapere putent, nec, dulcedine earum rerum impleti, ullum locum modernorum acceſſionibus relictum exiſtiment; ita contra longe major ſeſe offert numerus eorum, qui omnes hos rerum medicarum æſtimatores minus emunctæ naris eſſe cenſeant, dum nihil admitti poſſe credant, quod non inventorum & experimentorum novorum redoleat jucunditatem. Quod ſi vero lanci æquioris judicii rem hanc exponere, neque a temporum

rum periodis tantum pondus rebus adjicere velimus; deprehendemus profecto, illos non longe a via deflexiſſe, qui judicent, veteres medicinæ practicæ majorem curam habuiſſe, recentiores vero multis inventionibus theoreticis, phyſicis, experimentalibus producendis majori ſtudio incubuiſſe, quam ut ſilum medicinæ practicæ a majoribus feliciter inchoatum pertexerint, ſive methodum laborioſiorem, tædioſiorem, infirmiorem corrigendo, ſive medicinam certiorem magisque poſitivam eruendo ac ſubſtituendo. Quanquam hanc ſententiam, uti dixi, multorum magnorum in arte medica virorum patrocinium comitetur, ut ſeveriorem cenſorem minus pertimeſcere debeam: lubens tamen reprehenſionem aut correctionem in me ſolum ſuſcipiam, ſi a regia virtutis via omnimode diſceſſiſſe, acutioribus fuit agnita. Intueamur enim anatomes hodiernum ſplendorem & cum veteri delineatione conferamus, reperiemus differentiam tantam, quanta unquam virilem & infantilem intercedere ſolet ætatem. At vero quis dextri judicii ibit inficias, multorum inventorum adplicationem medicam fuiſſe neglectam, multas ſubtilitates & fibrillares curioſitates exiguum adhuc ſubſidium praxi Medicæ attuliſſe, ut damna taceam varia, quæ inde redundarunt, dum optimi ſæpe anatomici trepidiſſimi, incertiſſimi ac ineptiſſimi conſpiciantur, tum ad fundamentum therapevticum, tum pathologicum ſtatuminandum, cum iterato experiantur infelices ſcrupuloſitatum ſucceſſus, eorumque ἀδυνάμεις applicationes. Profecto, (ut unicum dem exemplum) exacta cognitio ſtructuræ organi auditus, quoad ſingulas partes, oſſa ſtapedis, incudis, mallei, oſſis orbicularis, eorum muſculorum, feneſtræ ovalis, rotundæ, cochleæ, labyrinthi &c. inſigni ornamento & delectamento ſcrutatori phyſico eſſe poteſt; at vero medico pro medenda auditus difficultate, tinnitu, ſuſurro, inflammatione &c. parum ponderis adferet. Plura ejusmodi exempla magnalia minimorum ex adenologicis, nevrologicis, myologicis, oſteologicis &c. ſuppeditabunt. Botanices eadem eſt ratio. Quantam enim hæc ſcientia Phyſica quoad externa attributa & phænomena hodie prærogativam ſit nacta; methodi novæ Moriſſoniana, Rajana, Riviniana, Turnefortiana &c. uberrimo teſtimonio eſſe poſſunt; dum ita amœniſſima plantarum vita ſepulta quaſi in conſpectum demum veniſſe videatur. Quod ſi vero vaſtiſſima Botanicorum recentiorum volumina evolvantur ac revolvantur, pauca veſtigia legere licebit, quæ ad medica experimen-

menta viam aditumque præmunire valent, ut inde confessus sit Amannus, se quidem 1000. plantarum externam notitiam habere, ex quibus autem vix 6. se producere posse, quarum virtutes & facultates intrinsecæ pariter sibi sint perspectæ. De Chymia eadem querimonia fuit mota, quod scilicet inventa & producta experimenta panacealia, universalia, expectationi & promissis nondum satis faciant, multo minus ejus applicationes ad theoretico-pathologica firmo talo subsistant.

Quanquam vero hæc omnia minime in contemtum harum disciplinarum utilissimarum & jucundissimarum dixerim, utpote dulcedine earum captus, plus sæpe temporis, quam par est, pro ipsarum cultu solidiori medicinæ studio subtraxerim; attamen dabitur & mihi venia cum multis peritis medicis quærendi, cur medicina sub tot tantisque inventis & accessionibus physicis adeo exiguum cæperit incrementum, adeo, ut vel ipsi hypothesium cumuli insignem significationem edant, veritatem unam, nudam, simplicem nondum fuisse productam, ut discrepantias repugnantes & contrarias quoad medendi methodum, indicationem, medicamentum prætermittam.

Non placet rationes varias, allegari solitas, colligere, dum multæ fabulis similes, multæ rem non attingentes, multo minus exhaurientes esse sub primo statim intuitu deprehenduntur.

Alii adserunt, morborum furias non modo quoad numerum & gradum, sed & quoad species & genera a pristina lenitie quam longissime recessisse, & inhumaniorem faciem induisse. Alii cœlum asperius incusant, quod eadem, quæ olim, vegeta ac penetrantia remedia non amplius producat. Multi diætam vivendique rationem, a veterum simplicitate & integritate alienam, ægrius ac corruptibilius effeciisse corpus dictitant; alii medentium invidiam, inertiam &c. carpunt; alii physices intimioris, vel anatomes subtilioris, vel botanices profundioris, vel chymiæ sublimioris ignorantiam ac defectum in praxin exercentibus succlamant. Numerus harum causarum est fere innumerus, nec nunc etiam, cum satis notæ, numerandus. Unam, si addere liceret, ex multis non exigui quoque inter plures momenti esse arbitror, negligentem, inertem, otiosam & veluti παρέργως institutam praxeos medicæ per observationes tractationem, quæ tum in scriptis, tum viva praxi facile sese diligenti & curioso scrutatori manifestat. Quisquis enim præjudi-

cii

cii novitatis caliginem detraxerit & ſedulo attenderit ad eos, qui medicinam faciunt, ſive ſint Dii minorum ſive majorum gentium, is non adeo improbandam cenſebit meam opinionem. Multi ſideribus ſunt inſerti, fama magis ac opinione vulgi, quam doctrinæ atque experientiæ ſoliditate. Adſpiciamus veteres eorumque obſervationes legamus & expendamus, quanta induſtria, quanto judicii acumine morbos quoad ſingulas circumſtantias conſiderarint, deſcripſerint & examinaverint, quam alieni fuerint a ſpeculationibus alienis, quam conſtantes in methodo apta invenienda & exequenda, quanta fidelitas in omnibus hiſce experiendis & communicandis, ſucceſſus ſive bonus extiterit ſive malus; unde exempli loco Lælium a Fonte non immerito effert Dn. Stahlius in prog. de curatione in charta, item de hiſtoria medica. Profecto ſi temporum œconomia hodierna adminicula chymica, phyſica, anatomica illis concesſiſſet, ad longe altius faſtigium ſublatam medicinam poſteritati tradidiſſent, quam quod poſt tot annorum ſeries ſub tantis inventis eſt conſecuta. Conferamus recentiores, quod pariter myriadas obſervationum luci publicæ expoſuerint. Quanta pluribus negligentia in hiſtoria morborum, primo & fundamentali obſervationis requiſito, adnotanda? Unam atque alteram circumſtantiam attendunt, plures alias negligunt, imo ſubticent ac negant, maxime quod hypotheſi a priori in cerebro ἀπείρως formatæ, contrariæ nec combinandæ exiſtant. Illi circumſtantiæ applicant mox ſinguli ſingularem hypotheſin, eamque multis ambagibus, multis hyperbolis, multis paraſangis, multis ſeſquipedalibus verbocinationibus deducunt, demonſtrant, amplificant, commendant non tantum, ſed vi quaſi obtrudunt; ægre ferunt, acriterque ſuccenſendo eis invehuntur, qui non tam negandi quam dubitandi ſolum poteſtatem ſumunt. Neſciunt, quo riſu & contemtu omnes majorum commentationes, præſertim æthiologicas, explodant, cum tamen eundem luſum inverſa perſona ludant. Qualitates occultas rejiciunt ad ignorantiæ aſylum, contra ex eodem magna pompa educunt ſpecifica alia, ætheres, figuras, ſpiritus, flatus, particulas &c. Tali grandiloqua theoria abſolvunt enarrationem caſus, applicando has fictitias ſuppoſitiones ad alios caſus tum individuales, tum ſpeciales, tum generales. Quando ad Therapiam fit tranſitus, perſtringunt ante omnia veterum methodum ſub nomine inſulſi Galeni aut inſanæ empiriæ, contra vero ad cœlos uſque extollunt modernum medici-

næ ſtatum, rationalem ſtricte dicendum, quo non amplius conjecturis aut rationibus probabilibus, ſed demonſtrationibus analyticis uti liceat. Interea re ipſa eadem antiquata ſervant, imo augent, quæ reprehendunt, cujus farinæ multa in recentiſſimo *Carolo Muſitano* aliisque reperiuntur. Ad præſentem caſum cum accedunt, exaggeratur affectus ſævitia horrenda, contumacia ferrea, dyſcraſia ſpecialiſſima, anomalia abominanda, cacoëthes maligniſſima, ſcorbutus ſalſiſſimus &c. ut poſtea fugator ejus dæmonis ab omni mundo pingui gallo dignus cenſeatur. Recenſent numerum ingentem Apollinum, qui in illo morbo cognoſcendo & eradicando defecerint, ut tanto manifeſtius magnus ille Alexander, qui ſolus ex Regibus ad nodum Gordium ſolvendum aptus natus ſit, agnoſcatur, omnisque admirationis cultu ſuſpiciatur. Adjicitur farrago medicaminum celebratiſſimorum, præſtantiſſimorum, efficaciſſimorum incaſſum adhibitorum, usque dum veluti θεὸς ἀπομηχανὴς interveniens propria panacea, omnes profligens morbos, hunc quoque edomuerit. Adhibitionis tempus, modus, ordo, methodus &c. vix verbo tangitur, uti & alia plura ad hiſtoriam morbi pertinentia ſubticentur ac negliguntur, quaſi Hercule tali inſtructus quovis cæco impetu in hoſtes irruere poſſit. Ex quo ὑπερορᾶν ac ſuperficiali medicinæ caſualis tractatione, quam infirmum pathologiæ fundamentum ſtruatur, promptiſſime apparet, dum unica non attenta circumſtantia, ſi in conſpectum producatur, ſubito id totum invertat ac deſtruat. Imitatio Therapevtica pariter deficit, dum ſæpisſime is morbus curatus venditatur, qui ex hiſtoria ne quidem cognoſci poteſt. Falſæ cauſæ tum continentes, tum antecedentes allegantur, verumque apud illos redditur tritum illud pathologicum dicterium: in nulla diſciplina fallaciam a non cauſa ad cauſam ut cauſa frequentius committi, quam in medicina. Tempus, ordo, methodus medicationis negligitur, ut incertum ſit, num cura expectatione ſucceſſerit, num benignitate avtocratica naturæ eluctantis ac medicantis, num naturali micro- vel macrocoſmi mutatione, num aliorum medicaminum præmiſſione, interpolatione, ſubjunctione, dum omnem energiam in id ſolum conjiciant, cui opinio propria tribuerit fidem. Quando quid contigerit, quod curioſitatis, raritatis, ſingularitatis & quidem magis phyſicæ quam medicæ ſpeciem præ ſe ferre videatur, neſciunt, quantis admirabundis verbis, veluti pueri in faba, ad talem chimæram ſpectandam omnem

orbem

orbem invitent, ita ut ex hydatide in ſecto cadavere inventa &c. ſtupenda ſibi monſtra fabricare non erubeſcant. Hæc eſt rerum facies. Ita novitas cum antiquitate collata caput effert, anſer veluti inter olores. Sed prehendet hanc veritatem quisquis a præjudiciis ſuperſtitioſis novitatum liber, liber a metu expectandæ cenſuræ putatitiæ quoad ignorantiam myſteriorum novorum. Talis adſeverabit mecum omni affirmatione, veteres magis emolumentum medicinæ reſpexiſſe, recentiores ad raritatem vacuam, curioſitatem inutilem, ἀλλώτρια phyſica ſpeculativa, pabulum philavtiæ, proprii-que commodi, omnem laborum direxiſſe intentionem. Ne vero huic diutius immorer deductioni, neve videar doctorum, peritorum, prudentum medicorum noſtræ & ſuperioris ætatis labores, inventa, additamenta ſimul carpere, quod ab omni ſcopo alieniſſimum, utpote quos jam probe ſeligere debitoque venerationis ac æſtimationis cultu proſequi valeo: placet ſaltem paucis verbis, horum & majorum veſtigiis inſiſtendo, obſervationum medico-practicarum exquiſitam tractationem ejusque inſignem neceſſitatem ac utilitatem ad medicinam ſtabiliendam, confirmandam, exornandam, augendam commendare & illos tueri, qui de bono quidem pharmaco (quod nemo ſanæ mentis contemnet, ſola enim medicamenta curant) gaudent, ſimul autem genuinæ methodi & obſervationum conſiderationem & collectionem requirant, ſubjungam, quid ex his ſubſidii emolumentique expectari queat.

Sectio II.

DE

OBSERVANDI RATIONE.

PRimum requiſitum eſt, ut Obſervationes ſeu caſus practici ante omnia eſſentialem morbi naturam exhibeant, ſc. ſolennes ejus circumſtantias, primario quidem eſſentiales, ſpecificas, perpetuas, quid omnibus ita laborantibus eveniat, ſecundario accidentales, individuales variantes ſc. exemplarem confirmationem ſeu limitationem, quantum huic vel illi ferendum obtingat.

Ubi illud ſedulo adnotandum erit, ne ulla communium illarum perpetuarumque circumſtantiarum negligatur, neve etiam ulla earundem communium ſymptomatum cum particularibus accidenta-

libus confundatur, neque etiam inquisitio negligatur, quomodo una circumstantia alteram sequatur vel ratione ordinis, vel ratione causalis dependentiæ. Subjectorum descriptio accurate exequenda, ætas, temperamentum, sexus, dispositio hæreditaria, vitæ genus ac diæta ; res enim naturales, animi constitutio, morbi prægressi &c. ad affectus ipsius historiam pertinent, num idiopathicus vel symptomaticus, acutus an chronicus, solitarius vel conjunctus aut complicatus, sporadicus an epidemicus, laboriosus an minus salubris an lethalis, in quos alios affectus inclinet, num facile recidivet &c. *vid. Excell. Stahl. progr. de histor. med.* ubi non immerito ἀκρίβειαν & solertiam in adnotanda historia medica laudat & imitationi commendat Foresti, Joh. Fortis, Trincavelli, Mercurialis, Solenandri, Lælii a Fonte &c.

II. Huic historicæ casus enarrationi, si quis causalem considerationem subjungere velit, is ante omnia probe attendat ad modum causandi, sc. ut actio & passio inter se discrepent, quidve passionem illam intulerit, cujusque naturæ hæc passio existat, quænam causæ efficientes, quænam instrumentales, quænam formalis ratio. Res hæc exemplo illustrari potest : Inflammatio est tumor ardens, rubens, dolens a motu sanguinis congestorio ad locum specialem a natura directus ad sanguinem stagnantem discutiendum. Patet hinc, ardorem, ruborem, dolorem, pulsationem non esse a causa materiali, sed morali inflammationis, sive non esse a materia illa sanguinis stagnantis, propter quam fiat inflammatio. Symptomata enim hæc facile sopiri possunt morbo perseverante, imo in pejus ruente; ut taceam, quod dolor, calor non tam in meditullio & loco stagnationis existant, quam in ambitu ; sunt vero ejusmodi symptomata a sanguine in motu adhuc constituto, & a natura utiliter ad sanguinem stagnantem directo, ut sub vehementiore appulsu stasis abstergatur, abluatur & in circulum ordinarium restituatur. Passio ergo in inflammatione sunt stasis & succedens sphacelus. Actio autem motus congestorii & resolutorii ; consectaria, ardor, pulsatio, tumor, dolor. Aliud exemplum in febribus ; sit Tertiana. Est hæc actio τῦ agentis seu motus congestorius sanguinis ad interiora, maxime ventriculum, ut sub detentione hac pars serosior secedat ad viscositatem lentam in ventriculo ob hærescentem demolliendam ac emolliendam, itaque ad excretionem mobilem reddendam. Ita causa continens materialis, (sive moralis, ob quam agens motum

ejus-

ejusmodi morbificum instituit) est mucositas ventriculi abundans (utplurimum) subjectum læsionis ventriculus. Causa efficiens τὸ agens. Instrumentalitas, motus sanguinis progressivus alteratus. Finis, secretio serositatis pro emolliendo mucore. Ultimus, excretio vomibunda. Exinde patet, pleraque tertianæ symptomata pro passionibus habita, esse actiones, & quidem utiles in certum finem directas. Frigus est a repressione sanguinis ad interiora, quorsum & lassitudo oppletiva, facies emortualis &c. pertinent. Anxietas præcordiorum a stagnatione sanguinis ad interiora congesti. Subsequens æstus cum pulsu celeri, siti, respiratione frequenti a motu sanguinis progressivo aucto ad sanguinis ad interiora detenti, & ideo spissescentis, attenuationem & conquassationem. In febribus acutis, ubi τὸ materiale sive causa continens in sanguine magis latet, eadem est ratio, ut motus progressivus sanguinis auctus sit vera actio, sc. ad destinatum finem directus motus, nimirum ad secretionem & excretionem miasmatis putredinosi. Hæmorrhagiam non esse efluxum sanguinis passivum, sed expulsionem activam, pluribus demonstratum jam est ab aliis. Vid. *Stahlii diss. de motu tonico, morbis ætatum &c.* Similiter spasmus hujus est census a compressione musculosarum partium pro sanguinis conquassatoria resolutione & fluidificatione, perque varia emunctoria directa (licet non perducta) expressione. Actiones vero sunt presiones spasticæ lancinantes dolorificæ. Finis excretio. Materiale sanguis crassior vel fervidior, multis hæmorrhagicis ac sudorificis excretionibus assuetus; unde arthritis & cephalalgiæ & hemicraniæ æstuosiores recurrentes moliuntur modo narium hæmorrhagias aut consuetas scarificationes, hæmorrhagias, sudores, labores &c. insequuntur. Quam sæpe enim arthritis scapularum, humerorum, hæmoptyses producit. Arthritis lumbaris mictiones cruentas, ischiadica & podagrica vero hæmorrhoides & varices gignit. Ita spasmi tales non fiunt passive a saporibus irritantibus lancinantibus, sed active a natura in utilem intentionem. Notamen hoc de actionis & passionis discrepantia dijudicanda & seponenda magnæ utilitatis ac necessitatis est, siquidem in methodo therapevtica nullus frequentior error est, quam harum differentiarum confusio, ut sc. veluti hostis illud impugnetur, quod potius est naturæ activum & utile molimen avtocraticum, ad læsionem corrigendam & tollendam directum. Quis auderet inflammationem refrigerantibus, obviscantibus, adstringentibus &c.

adgre-

adgredi, qui ſecuram ejus medelam quærit, nec ſphacelationem potius, aut ulcerationes, ſcirrhos &c. producere tentat. At vero, ſi æſtus, dolor, tumor ſit ipſa paſſio; tum utique ejusmodi remediis poſſet ſuccurri. Sunt enim hæc ſymptomata ab activo ſanguinis motu appulſorio ad ſtaſin ſanguinis reſolvendam & diſcutiendam. Sic febribus acutis eadem eſt ratio, uti & in intermittentibus. Quis enim horrorem dicet paſſionem ab obſtructione glandularum cutis a materia ſalina oriundam; cum nec æſtus externus intenſior, nec interna calidiora ante deſtinatum tempus tuto id ſolvere queant. Eſt enim frigus motus activus, ſc. repreſſio ſanguinis ad ventriculum, ad excretionem vomibundam Cum itaque propter certum contingat finem, non poteſt dici paſſio; ita & calor, ſi formale febris conſtitueret, poſſet hic facile per interna & externa refrigerantia ſupprimi. Quo vero ſucceſſu tentaretur hoc conſilium? Aut cur alexipharmaca, utpote remedia calidiora, in ſubſidium vocarentur? Eſt enim calor hic febrium conſequens motus ſanguinis aucti ſecretorii & excretorii, id eſt, vel ut ſanguinis abundantia celeri transpreſſione per poroſas partes conquaſſetur, & attenuatoria reſolutione conſumatur; vel ut miaſma putredinoſum e M. S. eliminetur per ſua colatoria, vel ut ſtaſis ſanguinis motu ſanguinis ablutorio frequentiore diſcutiatur & in circulum reſtituatur. Quamobrem has & ſimiles intenſiones motuum activas & ad utilem finem directas diſcernere debemus a paſſivis læſionibus, & quidem tanto magis, ſi critici & avtocratici fuerint, v. g. Quis vomitum moderatum in tertiana, hæmorrhagiam in ſynocha, diarrhœam tempeſtivam in malignis, ſudores ordinatos in acutis his & aliis ſupprimet, ut potius eosdem tales motus excretorios quandoque adjuvet & promoveat. Ab immatura cohibitione quæ ſuccedant mala, notum; in quartana, ſi intempeſtivus & immoderatus fuerit uſus adſtringentium, ut chin. de chin. &c. ad paroxyſmum ſupprimendum: ſequuntur infarctus viſcerum abdominis & ulcerationes, hectica, paſſiones hypochondriacæ, ſpaſmodicæ, aſcites &c. A diarrhœæ cohibitione in putridis anxietas præcordialis, convulſiones, recidivæ, mors. In ſudorum impedito ſucceſſu febres lentæ, compoſitæ, diſpoſitiones cachecticæ &c. Simili ratione nec avtocratici motus pro paſſivis læſionibus habendi & ſupprimendi, antequam materia non ſit remota. Dictum eſt, quid ſit arthritis: Hanc, ſi quis in corpore plethorico ad excretiones ſanguinis tum ſpontaneas hæmorrhagicas, tum violentas V. S., ſcarificationis

nis consuetas directis, puris & copiosis opiatis tollere velit, veluti irritationes spirituum a saporibus, is facile viam ad pejora consectaria, contracturas, paralyses, apoplexias &c. aperiet. Cum itaque spastici tales motus sint vel ex hæreditaria dispositione, vel ex insufficiente discussione febrili, vel intempestiva talis materiæ febrilis depulsione ad artus, (vid. Sydenh. de rhevmatismo) vel ex sangvineo-cholerica dispositione & ad hæmorrh. inclinatione, aut inducta jam assuefactione, tum utique moliminibus hisce avtocraticis & energeticis succurrendum, ut τὸ materiale, quantum possibile est, removendo cum ipsis potius feliciter operemur. Hos & similes utiles & activos naturæ motus non quivis forte credet vel ex hypothesi præconcepta, vel propter diuturnam assuefactionem, licet materia sit remota. Experientia vero seduli & attenti clinici scrupulos adimet. Manifestiora vero avtocratiæ molimina sunt, v. g. solutio anasarcæ per arrhœam spontaneam, ascitis vomitu aquæ largo, sudore copioso, vid. Forest. l. 19. v. 31. Schmetius misc. pag. 364. &c. Huc præcipue referendæ sunt diarrhœæ & Hæmorrhagiæ statariæ, quæ certa subjecta magno levamine experiuntur. Et quæ plura alia exempla experientia suppeditat, motuum talium morbificorum active a natura instituta; quæ satis monstrant, quod sint ejusmodi motuum turbationes non præter naturam rei, sed summe ad hanc proportionatæ, ita ut si non fierent, alia graviora damna succederent, quæ quidem hæc motuum (præter ordinem naturalem quidem contingens,) exacerbatio præoccupat & amolitur. Hanc itaque avtocraticam & energeticam motus vitalis contra causam morbificam directionem maximopere a passivis læsionibus discernere debemus, ut, si utilis, tolerabilis, proportionatus deprehendatur, promoveatur omni ratione; si vero erroneus ac turbulentus, sive ex organorum vitio, sive ex materiæ urgentis, sive ipsius τοῦ agentis a priore turbatione ad proportionatum justumque ordinem, gradum, constantiam, quantum possibile, reducatur, v. g. si in febribus malignis, variolis aliisque acutis, motus sanguinis secretorius & excretorius legitime, moderate, æqualiter, constanter, a natura perpetretur, symptomata nulla excessiva vehementia urgeant: quid opus est multis artificiis heroicis, sudoriferis, alexipharmacis, quibus conamina naturæ tranquilla magis præcipitantur ac perturbantur. Quod si natura ac animus trepidior, pulsus inæqualis, serpens, tremens, excretiones legitime non succedant, ibi magis stimulo alexipharmaco opus. Si temperamen-

tum fervidius corpore & animo, motus naturæ turbulentiores, vehementiores, ibi temperantia, moderata alexipharmaca & antiſpaſmodica locum inveniunt. Quando in febre maligna viſciditas ventriculum obruens anxietates augeat, motus morbificos perturbet, vigilias cephalalgicas magis inducat, tum vitium hoc digeſtivis vel maturis evacuantibus ſubmovendo, naturæ conamina eluctatoria adjuvanda ac in temperatum æqualem ſtatum & ordinem redigenda ſunt.

Cauſarum efficientium & inſtrumentalium conſideratio pariter diſpari ratione inſtituenda, quatenus vel in tranſitu talem relinquunt effectum, vel perpetua præſentia eundem exerant morbumque foveant, quæ continentes nuncupantur. Quod quidem ſimiliter uſum adfert therapevticum, dum ita dignoſcitur, num cauſa adſit materialis, quæ ſive corrigendo ſive evacuando ſit tollenda, num vero nulla materia peccet; adeoque ſine materialibus, correctionibus & excretionibus ad motus morbifici conſuetudinalis, id eſt, effectus ſublationem ſecure intentio dirigi queat. Sit exemplo Epilepſia. Si hæc originem ducat a vermibus, ſcybalis induratis, menſium vitio &c. atque materialem cauſam habeat natura, ob quam motus tales convulſivos ſuſcitet: ibi cauſa continens prius ſubmovenda, quam motus ſpaſmodicus ſopiatur. Quod ſi vero a terrore graviori epilepſiæ ſuſpicio ſubſit: quid hic multis evacuantibus, alterantibus locus? Aliud exemplum ſit Tertiana. Cauſa efficiens (medice) ſive continens materialis eſt vitium circa primas vias, maxime obviſcatio ventriculi. Hæc corrigenda & evacuanda, antequam paroxyſmus ſopiatur, id eſt, motus morbificus ſive cauſa inſtrumentalis, qua natura ad continentem eliminandum utitur, ſupprimatur. Si vero materialis cauſa iterato paroxyſmo, legitime ſuccedente excretione, jam ſit ſublata, patiens bene habeat, paroxyſmus vero ab aëre humido frigido, animi pathematibus &c. revocetur, vel ex iterata actione conſuetudinem ſuſceperit: quis hic materiam novam febris tertianæ in corpus delatam exiſtimet, ut denuo digeſtivis evacuantibus, aperientibus opus habeat? Unde potius, cum nulla materia peccet, ſolum ad effectus & motus morbifici ſublationem intentionem medicationis dirigit clinicus. Tuſſis pectoralis, ſi materiæ pituitoſæ copia & infarctus urgeat, adjuvari debet reſolventibus, evacuantibus &c. Si materia ſufficienter discuſſa, motus pectoris tuſſiculoſus adhuc adſit, tutius tum &

præ-

præſentius ſopiri poteſt anodynis & ſpecificis. Diarrhœæ, Dyſenteriæ, hæmorrhagiarum, dolorum &c. eadem eſt ratio.

In eadem æthiologica inquiſitione expendi quoque debet cauſarum tum externarum tum internarum modus agendi, num ſit phyſicomechanicus, immediate ad effectum tendens, ut per illam & ab illa directe læſio illa contingat, num vero moralis conſecutivus mediatus, qui propter illam cauſam fiat.

Theſis hæc evertit illam recentiorum opinionem, ac ſi omnes exacerbationes motus vitalis morboſæ fiant pure mechanice a materia, quæ, ſi diſtentat orgaſmo, producat exundationem, dolorem, maxime ſi irritet nervos acrimonia aliqua, ubi facile etiam ſpaſmi ſuſcitari queant. Huic vero ſententiæ infinita experimenta & argumenta practica opponi poſſunt, quæ modum fiendi moralem, propter materiam excitatum, innuant. Dices quæſo, qua irritatione lumbrici, ſcybala indurata, menſium retentio ac ſuppreſſio convulſionem generare poſſint? Mature vero rem cognoſces, ſi modum agendi moralem conſecutivum velis attendere, ut propter materiam illam motus ille a natura excitetur, ut effugiis illis niſus, reniſus, inniſus, ſpirituum ſilveſtrium, ætheris elaſtici & ſimilium qualitatum aſylis non opus habeamus. Eadem ratio fiendi moralis occurrit in ſpaſmis, cur in ſcabioſis Maſſa ſanguinea ſalibus obruta, ejusmodi irritationes ſpaſticos & convulſivos non generat; Eadem ratio fiendi moralis occurrit in calculo renali, animi pathemate in motum ſuſcitato; item in ſcirrho hepatis a ſimili cauſa febrem hecticam inducente: uti & in infarctu venæ portæ & viſcerum adjacentium ſpaſmos abdominis, colicam, melancholiam &c. progignente &c. quæ enim connexio eſt inter calculum diu jam quieſcentem & inter iram? Si commotio ſpirituum animalium vehementior incuſari velit, cur quæſo ſpiritus ſpeciatim hic ad certum locum, & quidem morboſum diriguntur, cum alibi in corpore meatus patentiores exiſtant, ut ſpiritus & humores commoti præterfluere queant. Et quod notatu dignum, cur ira ſuppreſſa levior effectum hunc tantum exerit, exardeſcens & extus deferveſcens minus? imo cur non immediate poſt iracundiam admiſſam, ſed uno vel altero die poſt, ubi exardeſcentia jam penitus eſt ſopita? Subeſt vero concurſus moralis, ut, cum anima ſit vehementer commota, ad alienum & incongruum depellendum, hoc vero extus efficere nequierit; aggreditur incus in corpore illud, quod ſibi adverſum, & eliminandum judicat. Præterea inter ſcirrhum hepatis vel

al-

alterius viſceris, & objectum externum, quod animi pathema excitavit, quodque ſæpe imaginarium exiſtit, & inter animi paſſionem ipſam, quæres pure immaterialis eſt, quæ quæſo eſt cognatio concurſusque materialis, ut inde ſuccedentem febrem lentam, ſcirrhi inflammationem & ulcerationem, aliaque concurrentia ſymptomata, actu mere phyſico mechanico evenire exiſtimare velimus? Recte dicunt mechanici, ſpiritus hic irritari. Sed an phyſice? Negativam modo demonſtravimus. Ergo moraliter, propter ſcirrhum, & quidem non ſimpliciter, ſed deſtinate, directe ad eum reſolvendum. Idem proceſſus moralis conſequentiæ ac cauſalitatis deprehenditur in ſpaſmis hypochondriacis pariter excitatis. Materia ſive cauſa continens, propter quam fiunt illi motus, eſt ſanguis ſpiſſus circa viſcera venæ portæ & in ipſis accumulatus. Cauſa irritans motus interna moralis eſt ipſa incraſſeſcens ſanguinis craſſities ac immobilitas, indeque metuenda ſtaſis & corruptio. Ne hæc fiant, natura bona intentione, proportionato gradu, legitima duratione ac conſtantia, adæquatis mediis inſtituit motus preſſorios ſpaſticos, ut ſanguis propellatur, & ſi fieri poſſit, & correctio ejus obtineri amplius nequeat, ut ad excretionem diſponatur & deducatur, ſc. ad fluxum hæmorrhoidalem, qui terminus & finis eſt totius hujus actus ſalutaris. Quo obtento, reliquoque ſanguine fluido iterum reddito, viſceribus debilitatis robori ſuo naturali reſtitutis, ſpaſmi illi vel ſponte ceſſant, vel facile temperantibus, ſpecificis, ſopiuntur. Adfert vero adnotatio hæc id emolumenti, ut ita inveniatur differentia formalitatis morborum, an nimirum pars aliqua eſſentia, mixtione, ſtructura, ſitu, connexione, motu paſſivo organico, ſit læſa, an vero actio tantum ejusdem turbata, motus ſc. activus, quoad α.) intentionem ſ. deſtinationem, ε.) intenſionem ſ. gradum proportionatum, γ.) conſtantiam ſeu durationem, δ.) terminum ceſſandi, ε.) congruitatem, ut ſc. actus hic materiæ morbificæ ſit adæquatus, & huic congruum organum ſit electum, atque motus ipſe legitime in actum deducatur. Utilitatem hujus obſervationis ſuperioribus lineis præcedentis paginæ tetigimus, ubi de actionis & paſſionis differentia fuit actum.

Sequitur conſideratio cauſæ formalis, differentiam ſpecificam, genus totamque eſſentiam morbi exhibentis. Hæc infert vel generalem differentiam, qua læſio vitalis quævis *morbus* dicitur, vel *ſymptoma*; vel ſpecialem, qua utrumque, tum morbus tum ſymptoma, in

in certas ſuas claſſes diſtingui ſolet, prout nimirum morbus fluidas vel ſolidas partes, mixtionem aut ſtructuram afficit; ſymptoma vero animales vel vitales actiones lædat. v. g. Phthiſis eſt febris hectica ab exulceratione pulmonum. Patet hinc morbus & cauſa morbifica. Afficitur pars ſolida in mixtione & ſtructura. A progreſſivi localisque motus ſanguinis intenſione læduntur actiones vitales, nutritio &c. animales, ſomnus, motus, alacritas naturæ &c. Unde ſymptomata conſumtionis tabidæ, ſudorum & diureſium pinguium, caloris, ſitis, vigiliæ, laſſitudinis &c. In Pleuritide & peripnevmonia inflammatio eſt pleuræ & pulmonum; cauſa ſanguis ſtagnans, gelatinaſcens, coagulaſcens. Symptomata actionis vitalis reſpiratio frequentior, laborioſior, tuſſis, anxietas præcordiorum, calor, ſitis, dolor &c. animalis, debilitas, vigiliæ, mentis turbatio &c. Afficit morbus partes ſolidas in mixtione & ſubſequente ſtructuræ læſione. Synochus eſt febris acuta, id eſt, auctio motus localis ſanguinis ad ejus abundantiam per conquaſſatoriam reſolutionem imminuendam. Cauſa vero afficit ſanguinem in mixtione. Symptomata actionis vitalis ſunt æſtus, ſitis, appetitus proſtratus &c. animalis, virium proſtratio, mentis turbatio &c.

Præterea in eadem formalitatis indagatione inquirendum, num affectus unus ſaltem ſit, qui proprias ſuas habeat cauſas, num vero ab alio producatur; prior enim, πρωτοπαθεῖα dictus, propriam & ſolitariam requirit therapiam, directamque curationem. Poſterior δευτεροπαθεῖα, reſpectivam, ſubordinatam, dum niſi ſublato fomite, quem alter morbus præbet, hic non curatur. Valet hæc conſideratio in chronicis, ubi frequentiſſime graves effectus & ſubinde recurrentes naſcuntur ex morbidis diſpoſitionibus & læſionibus, non ita magnopere per ſe moleſtis, adeoque ſubinde pro cauſa tam inſignium ſubſequentium turbarum ne quidem agnitis. Spectant huc maxime longinqua illa molimina ſpaſmodica, quæ vel nudam plethoram, vel conjunctam aliqualem aſſuetudinem ſpontanearum ejus evacuationum inſequuntur. Ut dem exemplum, v. g. Gonorrhœa virulenta a venereo contagio eſt affectus unus ſolitarius. Cauſa fermentum venereum lympham coagulans, aut coagulare incipiens. Morbus eſt fluxus ſeminis. Solitariam vero requirit medicationem. Quod ſi ſanguis jam ſit corruptus, diſpoſitio cachectico-ſcorbutica &c. tum huic vitio prius ſuccurrendum, quam fluxus cohibitio tentetur. Hoc vero ſi perperam præmaturis adſtringentibus perpetretur, enaſcitur ex πρωτοπα-

τοπαθεῖα ἡ δευτεροπαθεῖα, sc. lues venerea, quæ solvitur affectus prioris revocatione & legitima curatione. Ita in tali statu sæpe elix. balsamicum succinatum, cum essentia alexipharmaca scordiata medelam adfert, ex scopo priorem morbum resuscitativo, si mature succurreris, ut mercurialibus aliisque antivenereis tractamentis non indigeas. Aliud exemplum: Iuvenis sanguineo - cholerici temperamenti, diætæ vinosæ lautæ, laborabat sæpius hæmorrhagia narium; hæc externis adstringentibus sopita, manente eodem vitæ genere, nec admissa ventilatione sanguinis, producit spasmos scapularum, cephalalgias, respirationem difficilem, hæmoptysin, phthisin. Similia exempla in quotidiana experientia occurrunt, a V. S. scarificationum diu assuetarum neglecto usu, item a mensium vitio. Quid repressa podagra in junioribus valeat ad hecticæ genesin, quid hæmorrhoides suppressæ ad vomitus cruentos, oppletiones hepatis, lienis, hecticam, ascitem, ischiadica & podagrica pathemata, spasmos abdominis, hypochondriacos, hystericos &c. pariter notum.

Denique specialissima plane formalitatis examinatio est, quæ involvit morborum indolem moresque, quos decursu & exitu suo exprimunt, servantque. Utilitas hujus observationis duplex præcipue est: (1.) Cognoscitur diversitas symptomatum propriorum morbi & communium, item accidentalium, ab individualibus circumstantiis diversis pendentium. (2) Cognoscitur diversa magnitudo morbi essentialis, quæ semper afficit gravissime ægrotum quemvis, & accidentalis, qua ab eodem morbo plures eo laborantes modo tolerabilius, modo pejus, habeat. Exempla illustrantia acuti & chronici sufficientissima suppeditant. Malignarum est bonus successus, si temporibus criticis 4, 7, 11, 14, die urina cocta, diapnoë moderata constans, diarrhœa &c. succedat. In sanguineis, plethoricis, hæmorrhagiis assuetis, hæmorrhagia accidentalis crisis est. Hæc si minus eveniant, animus perturbatior, urina cruda, æstus aridus; sequuntur facile intensiora deliria, convulsiones, petechiæ abundantiores, mors. Inflammatio hepatis magis periculosus & θανάσιμος morbus est, quam thoracis & pulmonum. Omnes eo laborantes afficiuntur doloribus acutis punctoriis dextri hypochondrii, pulsu celere vel frequente, æstu, siti; solvuntur urina saturate cocta, remissione doloris sub quarto die, sudore, diarrhœa cholerica: in senioribus, debilioribus, morbosis, dolor si superet quartum diem, nec crisis illa deprehendatur urinæ, lethale. E chronicis exemplo sit asthma siccum spasmodicum fœminarum, quod mensium successu solvitur: item passiones spasmodico-

dico-hypochondriacæ, colicæ, hæmorrhoidum fluxu; cephalalgiæ æstuosæ, hæmorrhagia narium; hydropici affectus excretionibus serosis largioribus per urinam, sudores, alvum, vomitum, solvuntur. Hæc ultima observatio, uti ad verum pathologicum fundamentum multum confert: ita viam sternit ad universalem & particularem prognosin inveniendam. Illa enim a generalibus morbi affectibus desumta deprehendimus, num plures actiones in corpore simul gravius sint turbatæ, præsertim nobiliores & generaliores. Hæc a speciali morbi conditione, magis immediate dependente, reperimus, an morbus nobilem corporis partem occupet & immediate lædat: quæ iterum specialius examinat, quid in uno individuo certo præ aliis ex causis plane individualibus graviorem noxam & funestiorem effectum inducat. Ita nimirum ratione objecti prognosis pronunciat de eventu ex morbi more, ex genere ejusdem, ex individuo sibi subjecto congruo vel minus, vel de successu instante, quam cito, qua speciali ratione & via morbus hic ad exitum sit progressurus, imo etiam ex individui specialibus circumstantiis specialia symptomata præsagire potest.

Plura hæc porismata prognostica in uno exemplo declarari poterunt, v. g. sit febris maligna. Ex pulsu celeri deprehendo actionum corporis nobiliorum, sc. motus sanguinis progressivi, alterationem ac læsionem; nec non motus animalis, uti & digestionis. Quando intempestiva V. S. admittitur, nec continua lenis diapnoë subjungitur; accedit versus tempus despumationis criticum congestio inflammatoria ad fauces, id est, conatus hæmorrhagicus ad finem non pertingens, quæ magis magisque oesophagum ventriculumque occupat. Hoc accidens non a generali morbi conditione (siquidem ea faucium linguæque constitutio ab æstu inducta inflammationis veræ ad minimum talis nomen non meretur) existit; sed speciali, lædítque partem corporis nobiliorem, scil. ventriculum. Hoc pathema discuti potest interdum in individuis temperatis corpore & animo, non plethoricis, morbosis, annosis, alexipharmacorum legitima & prudenti subjunctione. In pluribus vero, maxime plethoricis, turbatus est morbi cursus, ut lethale signum præbeat. Prognosis ratione objecti e simili exemplo patescit: scil. Febris maligna primo septenario judicatur, si subjecta corpore sint ad secretiones & excretiones permeabili, secretiones ipsæ per urinam, diaphoresin, rite succedant, actiones vitales & animales turbatæ paulatim refocillari incipiant; si individua ad diarrhœas inclinent, temperamenti sint magis phlegmatici, adstrictio alvi primis diebus ad-

fuerit, cui poſtea murmura ventris ſucceſſerint, non incerto præſagiri poteſt, morbum diarrhœa iri judicatum.

Eruenda quoque eſt per hæc fundamenta prognoſis longinque ſubſequendorum affectuum, ſi præſens non recte terminetur, aut non ſatis mature, aut non ex vero fundamento curetur.

Exempla e dictis jam colligi poterunt, quid hæmorrhagiarum intempeſtiva per adſtringentia ſuppreſſio valeat ad periculoſiſſima pathemata generanda; quid dolorum præmatura ſuppreſſio per multa opiata, poſt ſe relinquat damni, practicis circumſpectioribus notum. Unde facile prognoſticum formari poteſt, ſi affectus & motus morbifici ſopitio ſolum quæratur, nec cauſa continens tollatur, nec antecedens prævertatur, quod tum longe pejora pathemata ſint ſecutura: v. g. ſi hæmoptyicus juvenis exundationem vel adſtringentibus, vel anodynis, vel ſpecificis ſopire tentet immaturo conſilio, ubi neceſſitas in copia ſanguinis excreti non urgeat, hic, ſi neque plethoræ, nec animo nobiliori, nec diætæ æſtuoſiori mederi velit, certo recidivam mali cum inſequente phthiſi experietur. Alia exempla ſuperius jam ſunt allata; imo quotidiana experientia talia ſufficienter ſuppeditat. Hæc pauca de prognoſi formanda tantæ utilitatis ſunt, ut ſub ejusdem judicioſo cultu & applicatione exiſtimatio Medici de ejus ſcientia & arte ſtabiliri poſſit ac roborari.

Placet pauca ſubjungere de methodo medendi, quatenus hæc propoſitis his theorematibus conformis eſſe debeat, ſi obſervationes accuratiores ſperare quis velit. Neceſſarium vero duco primum monere, ut attendatur, an aliquid aut nihil agendum ſit. Poſterius alienum a medico exiſtimari poſſet primo intuitu, niſi experientia hæc adprobaret, imo plures authores aſſentirentur, v. g. Sydenh. *de m. ac ſ. c. 6.* inquit: non pudet fateri, me non ſemel in curandis febribus, ubi nondum conſtabat, quid mihi agendum eſſet, nihil prorſus agendo, & mihi & ægro conſuluiſſe optime; dum enim morbo invigilarem, quo cum commodius confodere valerem, febris vel ſponte evanuit, vel in eum ſe typum recepit, ut mihi innoteſceret, quibus armis mihi eſſet debellanda. *Conf. Boh. de offic. med. c. 6.* Profecto uſum hæc regula habet in acutis malignis, ubi nondum aperte conſtat indoles morbi quoad typum, ſynergiam naturæ, motus critici vergentiam &c. imo ubi motus morbificus ſatis temperate, moderate & æqualiter decurrit; qui tentaminibus multis diaphoreticis magis perturbatur quam adjuvatur. Unde illæ querimo-

niæ

niæ ſubnaſcuntur, quod multi, imo fere omnes ſine medicament's convaleſcant, multi vero medicorum artificiis oppleti pereant. In variolis præter regimen temperatum parum ſæpe opus eſt. Ego primis diebus, cum æſtus, vomitus, convulſiones, dolores &c. urgent, nihil adhibeo, præter portiunculam ex aqua diapn. acidulatam Spir. Nitri, d. ſyr. papav. Impeditior ſucceſſus promovetur eſſ. alex. ſcordiata, qua tamen raro opus. In chronicis quid cunctari & expectare ſæpe utilitatis habeat, notum. Medicus itaque clinicus examinato affectu, conſilii & auxilii inventionem tentans, reſpicit ante omnia corporis generalem diſpoſitionem, puritatem aut impuritatem, & quidem tum hujus efficaciam ad fovendum morbum, tum morbi proportionem ad hanc generalem impuritatem vel toleran-dam vel corrigendam, vel evacuandam. Quod ſi enim generalis impuritas exceſſerit, adeoque morbum vel directe foverit, vel indirecte exacerbarit: eveniet tum, ut neglecta evacuationis præmiſſione medicamenta tam præſentanee & penetranter energiam ſuam minus exerant, ut potius obtuſis his magis augmenta morbus capiat. Si vero morbi vel velocitas vel contrarius motus obſtet: tum magis ad correctionem dictæ materiæ reſpiciendum. Excuſſis vel correctis generalioribus impuritatibus tanto expeditior via ad ſpecialem paſſionem, ut ejus tum cauſa continens, ſi adſit, tollatur aut corrigatur, tum antecedens pariter removeatur. Affectus ipſe ita conſiderandus, an per nudas correctiones & indirectas ſucceſſivas evacuationes ſuperari queat, an vero contra per directas evacuationes & indirectas tantum ſive ſubſidiarias evacuationes. Reſpiciendum & attendendum ſummopere eſt ad energiam & ſynergiam naturæ, quæ hac methodo utatur ad ſubigendum morbum, ut ſi proportionatus, adæquatus, tolerabilis, æqualis, conſtans exiſtat motus naturæ, eam ſequatur medicus, materiam & vias ad felicem ſucceſſum diſponendo, agens in æquabili conſtantia conſervando, impedimenta externa & interna ſubmovendo; ſi vero conamen naturæ excuſſorium & eluctatorium ſit laborioſius, difficilius, cauſæ continenti & organorum diſpoſitioni minus adæquatum, eligat tum modum, promtius & facilius finem attingentem, errantemque naturam in veram reducat viam: ſiquidem τὸ agens vitale non ſemper in poteſtate ſua habet, methodum proportionatam eligere, ſollicite ac intente proſequi: unde hic miniſterium naturæ a medico conciliari neceſſe eſt.

Dicta hæc de methodo ſuffecerint. Addemus pauca de auxiliis & remediis. Hæc ex fonte chirurgico deſumta evacuando ac divertendo agunt. Attendere in horum adminiſtratione & directione medica debemus tum ad materiæ urgentiam, tum ad motus evacuatorii aſſuefactionem. In priore caſu, ubi copia materiæ humoris vel ſanguinei vel ſeroſo-lymphatici exſuperet, quæ nec medicamentis, nec diæta, nec regimine patientis commode ſe ſubigi & tolli patiatur, ibi nihil video obſtaculi, quod id nos, inſtar Helmontianæ & aſſeclarum ἀκριβείας, æque a ſincera evacuatione impedire debeat, maxime dum eorum promiſſa tutiora præſidia nondum poſſideamus, quibus impetratis quivis ſponte his moleſtioribus conſiliis valedicet: v. g. ſi vir plethoricus diætæ plenæ, vitæ immobilioris, varias paſſiones rhevmaticas, arthriticas, doloroſas, aliasque ex abundantia oriundas ſubeat, nullam ibi deprehendo contra indicationem V. S. ſcarificationis &c. ubi venæ portæ infarctus; quid recuſet hirudinum uſum? ubi phlegmaticus ſtatus indeque diverſa pathemata; cur adeo rideamus ex recentiorum inconcinna & incocta hypotheſi fonticulorum inſertiones. In poſteriore multa occurrunt exempla, ubi horum chirurgicorum auxiliorum uſum materia urgens non ſuadeat, imo potius prohibere videatur, contra vero motus ſanguinis vel aſſuefactorii vel congeſtorii natura maximopere jubeat. v. g. Quot obveniunt caſus, ubi plane frivole, & ſine neceſſitate, V. S. ſcarificatio fuerit admiſſa; quæ poſtmodum in aſſuefactionem perductæ, præſertim in ſenſibilioribus, ſi temere iterum negligantur, ad multas graviores pertinaces paſſiones viam ſternunt, quæ nec mitigationem quidem ſubeunt, uſque dum ipſi evacuatorio motui iterum fuerit ſatisfactum? In congeſtoriis motibus humorum quid valeat V. S. in pedibus derivatoria ad medendum vel ſublevandum cephalalgiæ, hæmoptyſi, aſthmati, phthiſi &c. notum eſt. Setaceum in cephalæa chronica, tinea capitis, oculorum & aurium affectibus pituitoſis utile, imo ſæpe neceſſarium dicet praxis. Plura de tali remedii chirurgici adminiſtratione ſyſtemata docent. Quæ vero de aliis chirurgicis auxiliis, proprie ita dictis, notari poſſent, aliorſum referenda ſunt.

Agunt vero remedia e fonte pharmaceutico, evacuando, reſolvendo, diſcutiendo, alterando, corrigendo. Circa ſingulas haſce medicamentorum claſſes notamina plura & peculiaria adferri poſſent, quæ tamen pagina anguſtior & locus ἄτοπος non poteſt recipere.

Uber-

Uberrimi ſatis ſunt in hoc themate enucleando & exponendo pharmaciæ ac therapiæ ſcriptores. In omnibus vero claſſibus præter generalem operationem ſpecialior eorum facultas, indeque pendens actio notari debet, ut appropriatio & applicatio eo juſtior obtineatur; v. g. Evacuantium diverſitas nota eſt, quam veteres valde inſinuabant, ut agaricus in affectibus mucoſis magis conducat, helleb. nig. in affectibus ſanguineo-melancholicis, jalappa in phlegmaticis, ubi & Soldanella, G. gutta, elaterium &c. ſimiles, ſed vehementiores effectus edunt; in biliosis rhabarbarum, ſyr. roſarum ſolutivus. Senna mucoſos, aquoſos, imo ſanguineo-melancholicos affectus aggreditur: colocynthis ſcybalis impactis exprimendis, tenuioribus humoribus coagulandis, quaſi medetur. Reſolventium remediorum eſt pariter diſcrepantia ratione ſpeciei, gradus ſubjectorum: v. g. In ſcorbuticis melancholicis magis indicantur calidiora, acria, catarrhalia, cochlearia, beccabunga, raphanacea, naſturtium, ſedum minus, rad. helen. vincet. angel. &c. In phlegmaticis magis proſunt amara, trifol. fibr. fumar. &c. In ſanguineis cholericis reſolvunt magis acidula, acetoſa, acetoſella, nitrum &c. Diſcutientium ſimilis eſt ratio. Humores ſanguineos diſcutit camphora, herb. chærefol. hyſſop. &c. Pituitoſos rad. acriores angel. imperat. petroſ. h. ment. marrub. roſmar. &c. uti & Gumm. acriora. Alterantia pariter & quidem longe magis diverſæ indolis ſunt. Myrrha in læſionibus partium ſanguinearum magis balſamicum eſt, ſuccinum in exſanguibus nervoſis, oſſeis. Anodynorum ſimilis ratio. Opium excretiones ſiſtit, excepta ſudoris & ſanguinis. Hyoſciamus contra ſanguinem exundantem remoratur. Abſorbentia oſtracodermata abſorbent acrimoniam, eamque per urinam promovent. Abſorbentia vero animalia incraſſant magis, & adſtringunt &c. &c. Notari vero debet formula medicamenti, ne hæc incongrua ſit tum ratione virtutis ſuæ, tum ratione ſubjecti. Ita antiſcorbutica calida in extractum redigere, calidisque propinare, ineptum foret. Rhabarbarum in eſſ. nil laxat, in ſubſtantia vero facile. Cholerica temperamenta pilulis, purgantibus, non moventur, magis vero potiunculis, infuſis, decoctis. Habet hæc conſideratio uſum in imitatione multorum ſimplicium, quæ veteres tantopere commendarunt, ut ea non omni formula aut artificioſa concentratione, adhibere integrum ſit, ſed ea, quam ipſi uſurparunt. Conjunctæ & diſpares in remedio facultates perpendendæ ſunt, ut, ſi indicationi convenientes exiſtant, vel eidem contrariæ de-

pre-

prehendantur, cautio neceſſaria in adhibitione non negligatur. v. g. Rhabarbarum evacuat bilioſam acrem materiam, ſimulque etiam leniter adſtringit; unde in dyſenteria habet uſum. Tormentilla poſſidet efficaciam alexipharmacam ſimulque graviter adſtringentem. Eſſentia ejus de ſtyptica qualitate nil extrahit; pulvis vero & extractum eandem exerit. Unde in malignis, ne ſecretiones & excretiones ejusmodi medicationibus cohibeantur, providendum. E diætetico fonte agunt remedia conſumendo per abſtinentiam & laborem, diluendo, meliorem chylum ſuggerendo, turbas motuum patheticas evitando. Poteſt diæteticum tale conſilium in duas claſſes diſpeſci: Sanorum & ægrotantium; in prima ſuperflua videtur regularum ſcrupuloſitas, quas multi magni nominis medici, neſcio ex qua ἀκριβείᾳ medica vel pro gloriola captanda, vel arte ſua omnibus numeris abſoluta oſtentanda, vel ſollicitudine clinica demonſtranda dictitare ſolent. Vidi conſilia ejusmodi diætetica, quæ magnatibus vel morbum acutum vel alium ſimpliciorem chronicum egreſſis data ſunt, ubi certe in mathematica illa diætæ dimenſione & electione riſum vix retinere potui, ut hæc avis, piſcis, caro, vegetabile &c. veluti θανάσιμον diſſuadeatur, cum tamen ſine damno diu multumque iis frueretur patiens; contra vero quaſi ſumme proficuum aliud genus carnis, piſcis &c. commendetur, quod vero vel ſimilis naturæ exiſtat, vel cui patiens non ſit aſſuetus. Unicam regulam his pono in aſſuetudine, labore, dilutioreque ſufficiente potu. Ita diætæ varietas, & uti ſæpe ariſtarchi putant, error minus nocebit quam luxurioſa ſæpe ſcrupuloſitas & arithmetica exputatio. Luxus tamen omni modo hic damnatur. Conf. obſ. Halenſ. tom. 6. obſ. 23. de diæta ſollicita. In altera claſſe occurrunt præcipui acuti, ubi appetitus proſtratus & nauſea a cibis, maxime a carne indicat, ejus tum temporis nullum eſſe uſum, cum facile opus digeſtionis negotium febrile, ad ſanguinis purificationem & oeconomiæ labeſcentis reſtitutionem directum impedire poſſet. Unde obtrudere cibos ſolidiores euchymos foret incongruum. Ego hic curſum naturæ ſequor, nihilque contra voluntatem ægri impero, contentus in juſculorum teneriorum & inſipidorum, itemque prunorum & pomorum cum paſculis coctorum aſſumtione. Contra vero æſtus & reſolutoria conſumtio humiditatis ſeroſæ expoſcit reſtaurationem; unde ſiti potu temperante diluente ſufficiente, ptiſana, aqua ſimplici, pane toſto alterata faciendum ſatis. In chronicis ſtatera exquiſita non adeo opus. Conſuetudini obtemperandum,

dum, ut ſi æger ſolidioribus ſit aſſuetus, hosque adhuc ferre poſſit, non ex uſu ſit, illum ad molliores adſtringere. Vinum diu aſſuetum in caſibus non neceſſariis prohibere nil jubet; etſi multi acumen judicii in ejusmodi punctulis ponant. Stratagema veronon inutile eſt, ſub diætæ forma medicinam adferre, uti contra ſub medicina diætam imperare. v.g. Juſcula alterat. herb. bell. m. hed. terr. chæref. rad. tarax. cich. &c. quid in multis affectibus, in ſubjectis tenerioribus calidioribus valeant, experientia docebit. Contra ſimilia juſcula, decocta, infuſa, ſub medicamenti figura diæteticam utilitatem adferunt, ut ſanguinis craſſi viſcidi, lenti dilutionem, diſpertitionem, reſolutionem procurent ac promoveant; quod in fœminino ſexu potum ſufficientem non admittente, inque varia hinc pathemata dolorifica ſpaſmodica incurrente obſervare licet. Requiritur itaque a clinico obſervatore horum diverſorum medicaminum ſpecialis applicatio, ſpecialium applicationum electio, pro qualibet ſpecie, magnitudine, tempore, morbi & ſymptomatum. Hæc particularis applicatio eſt vel dogmatica, quæ methodo therapevtica ſuperſtructa, ejusque ſpeciali applicationi & directioni; vel eſt empirica, quæ per mera procedit medicamenta. Utriusque natura & differentia tenenda eſt. Dogmatica eſt vel generalis recentiorum indoctorum per generalia diluentia, temperantia, generales concuſſiones & exagitationes corporis moliens medicationem, quæ, ſi in vegetas robuſtasque incidunt naturas, aut minus complicatos, radicales, pertinaces, anomalos morbos inveniant, interdum ſic ſatis ſperatum effectum obtinent. Quorſum etiam referri meretur magna pars medicationis per remedia chymica mineralia. Dogmatica ſpecialis certis convenientibus evacuationibus & correctionibus operam dat, itemque medicamenta ſpecialius ſeligit, eaque exquiſitis temporibus & regiminibus adminiſtrat. Methodus empirica duplicis generis eſt: 1) tumultuaria, temeraria, fortuita, cæca, ſtolida, ruſticorum, anicularum &c. 2) perita, circumſpecta, dogmaticæ ſubordinata & ſororia, nempe curatio per remedia ſpecifica. In quo capite evitanda eſt hallucinatio inſignis hodiernorum medicorum tumultuariorum, licet rationalem medicinam ſtabilire ac roborare velint videri; qui hanc methodum neſcio ex quo alio fundamento contemnunt, præterquam quod a priori formalitatem operationes invenire, aut, ut rectius loquar, cum hypotheſi conciliare nequeant; quam infirmo hoc dubium ſtet talo, facile cognoſci poteſt, dum ſub tali conſequentia nullus plebejorum cibum adſumere debeat, utpote

formalitatem nutritionis, chylificationis, ſanguificationis &c. ignorans. Profecto ſi ob hanc rationem pharmaci alicujus uſum recuſare vellemus: Cauſa nulla eſſet, quæ nos ad cinnabaris, opii & plurium aliorum adhibitionem ſuaderet, cum hic modus operandi, ſiquidem veritati magis quam fictitiis hypotheſibus ſtudere velimus, æque difficulter in formalem cadat conceptum. Quamobrem prudens obſervator clinicus ab hiſce ſpeculationibus magis ſibi ſuſpectam reddere non patiatur ſollicitam & curioſam ſpecificorum inveſtigationem ac illuſtrationem, ut non ſolum perquirat, qualia ſint, ad hunc vel illum morbum ſubigendum, ſed etiam ſedulo advertat ad modum, tempus aliasque adhibitionis circumſtantias. Maxime vero proderit, circa eorum uſum attendi regulam illam phyſico-mechanicam, ut, cum ejusmodi ſingularia magis ad motus morbificos alterandos ac ſupprimendos, quam ad materiam corrigendam valeant, abſtineat ab eorum uſu, quamdiu adhuc præſentiam materiæ morbificæ, copioſæ, præſertim & urgentis deprehendat. Uti enim motus fiunt propter materiam, hæc vero moveri nequeat, priusquam mobilis ſit reddita, id eſt, reſolutione & attenuatione ad motum ſuſcipiendum ſit diſpoſita; ita irritus & infelix erit omnis conatus, ſi motus ſuppreſſio tentetur, quando materia, ut cauſa continens, nondum eſt evacuata, imo nec ad mobilitatem redacta. Quo reſpectu ſpecifici nomen tuentur lumbrici terreſtres in epilepſia, præſertim lunatica idiopathica; ſiquidem in ſymptomatica, ubi cauſa continens materialis adhuc prædominium habeat, parum efficaciæ exerunt, v. g. a vermibus, ſcabie retropulſa, ulceribus cacoethicis, terrore, iracundia, æſtu venereo, menſium vitiis, faſcino &c. priusquam cauſa ipſa fuerit ſublata, & tum per ſe frequentiſſime ceſſare ſolet. Quod ſi vero in conſuetudinem abierit motus convulſivus, tum pariter ſuum effectum edunt. Ita quoque huic claſſi inſeri meretur extractum peti in tuſſi pectorali, quando viſcoſitas jam ſufficienter eſt evacuata. Pariter millefolium poſt *Arnoldum de villa nova* & *Riverium* commendatur a Dno. *Stahlio* in ſcriptis ſuis iterato, tanquam turbarum circa venam portæ moderativum ſpecificum, ut & in hæmorrhoidum dolore a pluribus laudatur. Quid ſemen card. mar. in doloribus punctoriis, lancinatoriis pectoris ſopiendis valeat, plebi notum eſt. Quæ quidem pauca circa ſpecificorum uſum obſervatori prudenti commendare neceſſitati duxi.

Circa

Circa remediorum electionem illud ſaltim adhuc uno verbo adjicere placet, ut circa remedia chymica & Galenica, uti dicuntur, ſuperſtitionem, quam multi præſertim in priore claſſe & hodierno tempore fovent, evitemus, ne in genere fiduciam alterutri conſecremus, quod vel coquinam anicularum vel focum artificum redoleat. Dandum & hic quidpiam eſt conſuetudini hominum, ut ii, qui chymica vel Galenica averſentur, eo medicamine vel formula ſaltim, quod ad palatum fuerit, depaſcantur, ne tum medico fides jam impetrata, neglecta diſtinctione, ſubtrahatur, tum curſus medicationis ſub alienatione animi ægrotantis interrumpatur. Utriusque pharmaci neceſſitatem & utilitatem alii expoſuere, v. g. Schraderus in nota diſp. &c. Stratagema eſt, ſi in morbis chronicis, ubi vitium in M. S. hæreat, utrumque genus conjungatur: ita ut e remediis fortioribus penetrantiam a debilioribus diluentibus decoctis, infuſis, diſpertitionem & fluidificationem nanciſcamur. Ita certe præſertim in iis, quæ hecticæ ſunt diſpoſitionis, ubi vel ſanguinis craſis, vel viſcerum labes ſubeſt, & diſpoſitio ſubjecti junior, calidior exiſtat, plus energiæ acquirimus galenicis, quam a præcipiti medicatione per chymica. Contra in lentioribus, pertinacioribus, phlegmaticæ naturæ, affectibus magis locus & uſus erit fortiorum heroicorum. Ἀκρίβεια judiciumque clinici erit hodegus optimus.

Reſtat circa obſervationum partem therapevticam ſedula adnotatio ordinationis, præſertim in futurum, ſc. quomodo patiens vel chirurgicis, vel pharmacevticis, vel diæteticis præſidiis reliquias morbi ſuperarit, naturæ energiam, robur, tonum, ſymmetriam, revocarit, corpus a futuris inſultibus vel levioribus vel gravioribus, iisque vel alienis vel ſimilibus præſervarit &c. Quorſum etiam ſpectant animi pathemata, quorum conſtitutio uti in hiſtoria morbi, ita in therapia diligentiſſime attendi & correctioni commendari debet. Multo enim præſentius, intimius, graviusque corpus lædunt, motusque morboſos exacerbant, quam ullæ materiales læſiones. Huc etiam ſpectat τὸ θεῖον Medicum, quod clinicus chriſtianus nequaquam negligere poteſt ac debet, ubi vel morbi facies ab ordinaria naturæ & ſubjecti conſtitutione plane aliena, therapia nuspiam ſuccedere apparet, usque dum Manus DEI ex improviſo opem iterum attulerit. Res hæc eſt, quæ nec dici nec ſcribi poteſt. Quam multi ſæpe Medici levioris affectus medelam tentant diu multoque conſilio; quem alius eodem, quo hi uti ſunt, remedio tollit; ubi tamen nec declinatio

natio naturæ ac morbi, nec priorum medicaminum uſus incuſari valet. Medicamenta, uti ſunt Manus Dei, ita & morbi. Serpunt hi in tenebris & occultam viam ingrediuntur, juxta Pſ. 91. Quod de epidemicis ſæpe valet, ut nuſpiam τὸ formale rite addiſci poſſit. Adjicio huic conſiderationi ſiderum conſtitutionem, quam aliquid in hominem animalem valere, prudentes diu jam perviderunt ac pernoverunt. Superſtitiones tamen & hic vitentur. Adportabit hæc conſideratio eum uſum in methodo medendi, ut in ejusmodi morbis aſtralibus, idealibus, non ita neceſſe habeamus correctionibus & evacuationibus materialibus, utpote parum efficaciæ habituris, ſed potius ſpecificis anodymis, temperantibus, diverſam ideam imprimentibus, imo, ſi habeas, medicina univerſali archeali. Hæc enim proprie ad archei turbationem placandam pertinet, ut hæc blanda ejus & veluti ideali impreſſione τῷ agenti ideam morbificam deleat & extergat, contra vero naturam ad lætam legitimæ vitalitatis functionem reducat. De qua hermeticorum medicatione nil niſi querimonias adferre poſſemus de ejus raritate vel interitu potius ex contemtu ſuborta: Unde in miſeris formularum imitationibus adhuc erit hærendum indeque obſervationes cudendæ.

Suffecerint vero hæc ex egena mea ſuppellectili produxiſſe atque communicaſſe de ratione colligendarum ac conſcribendarum obſervationum in genere, confidens alios acutiores & peritiores non modo firmiora, ſolidiora ac præſtantiora de his præcepta liberali animo manuque perlubenter ſuppeditaturos, verum etiam has incultas cogitationes ſereno vultu ſuſcepturos. Superfluum eſſe arbitror, ſi ex omnibus his generaliter utilitatem, quam obſervationes perite, docte, accurate ac fideliter conſignatæ rei medicæ ſint allaturæ, multis deducere ac demonſtrare conarer, dum viris doctis expertisque res ſit perſpectiſſima, empiricis v. nugatoribus grandiloquis, quam ſpecioſiſſimo etiam ſub tegmine ſeſe ſtudeant occultare, neque hæ neque aliæ apertiſſimæ demonſtrationes odium veritatis ſubtrahent & a mentis caligine ipſos liberabunt. Quæ omnia pariter commendata, uti a multis doctis Medicis, ita a noviſſimo ſcriptore intimius modernæ medicinæ labyrinthum inſpiciente *G. Baglivio in tr. de praxi Med. ad veterum obſervandi rationem redigenda*, reperiemus, ita ut multa in hanc brevem deductionem roborandam & amplificandam exinde transſumere potuiſſem, niſi ejus commentationes am ſatis innotuiſſent & iterata lectione dignæ habitæ fuiſſent.

HI-

HISTORIÆ MEDICÆ
PARS GENERALIS.
DE
HISTORIA MORBI
IN GENERE.

Cap. I.

Hiſtoria morbi generalis, quoad naturam ac differentiam

Subjectorum.

REſpicienti hic experientiam, fideliſſimam illam omnium hiſtoricarum veritatum teſtem ac magiſtram, innumera hominum multitudo occurret per longa tempora, imo integras ætatum periodos minime ægrotantium;

Adeo, ut plures vivant a morbis immunes, quam iisdem ſuccumbant;

Et ſinguli maximam vitæ partem a veris pathematibus alienam traducant, neque illa, niſi peculiarium ætatum, motuum, vitæ generis, externæ violentiæ, ſimiliumque accidentium interventu, experiantur.

Hæc, ut confirmemus per ipſas morborum ſpecies, v.g. febres, vix 5 invenias inter 100. homines, qui tota ſua vita, ad annos ſatis numeroſos progreſſa, quater vel quinquies febricitaverint.

Econtra inter ſingulas hominum centurias facile 30. aut amplius deprehenderis, qui præter variolas, morbillos, & ſorte æſtuoſam dentitionem, ne ſemel per totam vitam febre laboraverint.

Ad ſpecies v. febrium tranſeundo vix decimam hominum partem offendas, quæ per totam vitam ſemel tertianæ decubuerit.

Quartanam qui experti ſint ſemel per vitam ſuam, e mille perſonis vix 20. reperias.

Hæcque eo magis mira videri debent, quo familiariores omnibus hominibus febrium harum cauſæ vulgo numerantur.

Quotusquisque v. eſt, qui a capitis dolore, quanquam facillime provocando, ſæpius & gravius afficiatur.

Dentium doloribus vix decimus quisque obnoxius obſervatur. &c.

Rariſſime v. ſingulis hominibus multi varii affectus, qui nihil inter ſe commune habent, obtingunt, ſed, qui affliguntur, non per genera, ſed ſpecies tantum ſubalternas unius ejusdemque morbi, inſultibus ſolum variantis aut diverſo ſub ſchemate redeuntis, ægrotant.

Teſtantur hoc hæmorrhagiæ e variis locis ſecundum varias ætates erumpentes, indeque dependentes aut conſequentes varii affectus, vid. Aff. ætatum.

Sic omnes ferme febres fomitem ſibi invicem præbent, ut una ex altera ſubnaſcatur.

Unde ex acutis quidem præcipitantium nimio uſu intermittentes aut lentæ & colliquativæ fiunt; ex intermittentibus per adſtringentia, malum regimen, turbatis lentæ, hecticæ, febres, aut e tertianis quartanæ, e ſimplicibus duplices, e typicis erraticæ aut rhevmatici dolores.

Si v. intempeſtivis regiminibus ſudoriferis, aut calidis remediis, violentis, aut refrigeriis externis cohibeantur, aut ipſa etiam quinquina in ſanguineo-cholericis plethoricis, tum inflammatorias acutas prognoſci non novum eſt.

Minime omnium v. obtingunt corpori humano tales morbi, niſi prægreſſis cauſis externis m. & fere quidem violentioribus.

Interim frequentia morborum longe major eſt in humano corpore, quam in brutis animalibus, præc. feris, quæ inſolentibus hominum moribus & ſeductionibus minus adſuefactæ ſunt.

Ita febrium proventus in illis frequens, in his dubiis v. exemplis raro obſervatur.

Sicut m. tumores vere œdematoſi, hydropici, phthiſis, (ſi ovillum genus excipias) atrophia, pariter tuſſes, niſi ab externis præc. cauſis, incogniti ſunt.

Omiſimus hæmorrhagias in brutis minus notas, indeque derivandos affectus quam plurimos pariter ignotos.

Sic inflammationes rariſſime in genere, & in ſpecie capitis, oculorum, aurium, faucium, niſi vi & externe illatas, minime vero ſphacelum ſubeunt.

Lippitudo, rubor oculorum, cœcitas cum & ſine cataracta canibus & equis familiarius eveniunt, non tamen æque promte ac hominibus, niſi externa vi intercedente.

Sæ-

Sæpius, bruta incidunt in ſqualores cutis & fœditates ulceroſo-ſcabioſas, non tamen eo more, quo homines in peculiaribus locis, capite, facie &c.

Convulſionum rariſſima in brutis, creberrima in hoc reſpectu in humano genere veſtigia deprehendes.

Paralyſis rariſſima licet inter homines ſit, rarius tamen bruta corripit, niſi equorum peculiarem in cruribus aliquando obviam debilitationem huc referre velis. Appellant Germ. das Verſchlagen.

Phantaſiæ læſio tam inter, quam citra morbos in humano genere non adeo infrequens eſt, in brutino v., excepta ipſa rabie, inſolita &c.

Inter ipſos a. homines quinam ad morbos habiliores ſint, jam diſpiciendum.

Sexus ſc. ſequior præ maſculino ad varias paſſiones ſæpius & facilius ſuſcipiendas aptior notatur.

Unde jam Hippocrates, mulierem morbos bis pati & duplo plus iis expoſitam eſſe, quam marem, pronunciavit.

Succedunt his viri & animo & corpore mobiliores, adeoque fœminis ſimiliores.

Quemadmodum uterque ſexus eo frequentius ægrotat, quo magis vario victui adſuetus eſt, & præter inconvenientem ciborum qualitatem quantitate præcipue excedit.

Deinde qui, cum otio & deſidia diffluant, ab edacitate nihil interim remittunt & gulæ indulgere pergunt: Pariter, qui expoſiti vivunt adventitiis & violentis perturbationibus.

Certiſſime, qui animi ſunt intemperantioris & motibus illius vel ſimplici, e. g. Ratiocinationi, ſpeculationi, multum inhærent.

Tum inſueti morborum, vel nimiæ ſenſibilitati adſuefacti, in diæta nimium ſollicita.

Denique qui a parentibus hæreditariam poſſident diſpoſitionem ad certos affectus, nunquam penitus obliterandam.

Contra majorem ſanitatis conſtantiam obſervare licet in nationibus incultis, feris, duro vitæ generi adſuetis, in ruſticis, plebejis, laborioſis, ſimplicioris diætæ, & animi a. ſollicitudine, cogitationibus intentis, pathematibus alieni.

Pertinent hic & ſtupidi tenerioris ſenſus & motus expertes, de quibus Germ. vulgus: Es ſeye ſolcher Menſch wie ein Vieh, empfinde nichts, kehre ſich an nichts, ſchade ihm auch nichts, habe rechte Pferdts Natur.

Imo

Imo fas eſt adjicere illam animadverſionem in ruſticis & agricolis, ingraveſcente ætate, ſubito a labore abſtinentibus & majorem adiram, terrorem, occaſionem nactis, wann ſie ſich zur Ruhe ſetzen und in ihrem angehenden Alter von dem, was ſie mit ihrem ſauren Schweiß erworben, etwas zu gute thun wollen, qui potius ab hoc tempore male habere & gravius in dies affici incipiunt.

Cap. II.

Hiſtoria morbi generalis ex ſtatu & diverſitate.

Cauſarum.

PRimum omnium memoranda hic venit intima & peritiſſima corporis animalis *diſpoſitio* ex materiali ſua conſtitutione, intimæ & præcipiti corruptioni quocunque tempore æqualiter expoſita.

Impr. quidem ſanguinem optimum ac floridiſſimum, ubi extra corpus, cito corrumpi notum eſt; ita intra alicubi incluſum, intercepto penitus ſuo motu, in nudam ſphaceloſam putredinem ruere, nemo non videt.

Proxime huic partes poroſæ muſculoſæ, parenchymaticæ, rubicundæ omnes, tum exſangues, denique humores, a ſanguine diverſi, lympha, ſerum, & horum affines, lac, ſperma, bilis, muci ab eadem putredine corripiuntur.

Et notandum, putredinoſam hanc corruptelam fermentativo actu, breviſſimo tempore, latiſſime ſeſe diffundere, a vitali ideo energia, quæ placidis & ſatis tardis progreſſibus gaudet, non amplius ſeparandam.

Habitus item meatuum, impr. tubuloſorum, velut ultra conceptum anguſtiſſimus, totus favet obſtructionibus, præſertim cum humores ſpiſſiuſculi ſint, & per accidentales occaſiones facillime ſpiſſitudinis augmentum accedat.

Mirandum tamen, corruptibilitatem hanc minus in actum deduci, adeo ut vix uni e millies millenis ſine externis violentis cauſis a nuda interna diſpoſitione eveniat & in ſpecie ſphacelus haud centies millē annis ſemel obtingat.

Inde ejusmodi diſpoſitionis nulla vere ratio habenda, quamdiu activitas vitalis intemerata viget.

Et

Et ſicuti *illi* priori directe reſiſtere non poteſt medicus, ita huic, poſteriori energiæ ſc., varie ſuccurrere & conceſſum eſt & convenit, non quidem ad morbum directe, (utpote quem natura ſponte ſua curat) ſed ſolum ad morbum magis impeditum per accidens, per individua.

Unde homo moritur non morbo ſimpliciter, ſed ſolum ob malum ſucceſſum vitalis reſiſtentiæ.

Certiſſimum enim eſt, plus millies unum eundemque morbum homines ſuperare, priusquam unus illo intereat: vel ſolo variolarum & morbillorum exemplo.

Præter hanc generaliſſimam cauſam neceſſaria eſt notitia generalium lædentium cauſarum 1. vel ipſas partes vitales, 2. vel motus vitales, idque vel materialiter vel moraliter, nempe finaliter ferientium.

Prima materialis cauſa varios præter naturam introducens eſt *plethora*, neceſſaria in junioribus pro augmento corporis, indeque ſenſibus obvia, ex abundantiore appetitu, & otio nimio pluribus familiaris.

Quæ prima cauſalitas tantæ certitudinis apud plebem etiam evaſit, ut ipſi pro proverbio ſit, daß die vollblütigſten und floriſanteſte Naturen am meiſten und gefährlichſten erkrancken; andere aber, die wie der Tod ausſehen, wären doch immer geſund und überwänden die gefährlichſten Kranckheiten.

Hæc non modo liberrimum ſanguinis circuitum impedit, ſed ipſi etiam energiæ motus plus negotii faceſſit, imo & craſin, uti mox dicemus, invertit.

Præter varia incommoda, quæ inducit plethora, ad motus voluntarios tam fideliter atque promte exercendos illos, quos obſedit, inhabiles efficit.

Siquidem promtior fatigatio, ſenſus dolorum contuſoriorum, calor inſolentior, imo infarctus & oppletiones, citius & gravius inde his, quam aliis accidunt.

Ex hac ſanguinis quantitate facile etiam "qualitas læditur, ſpiſſeſcentia ſc. ſ. iners ejus conſiſtentia multiplicium morborum ſcaturigo inducitur; unde pendet motus progreſſivi, impr. ſecretorii & excretorii, grave impedimentum.

Notandum autem, uti plethoram raro per ſe, ſæpiſſime "mediato ſucceſſu per ſpiſſitudinem, demum ad eximie morbidum actum provenire: ita ſpiſſeſcentiam humorum etiam in ſeroſos humores quaſi ſeorſim aut plane eminentius ſe porrigentem, peculiares morbos impr. autem particulares ſine vera plethora, gignere & ſuſtentare,

Hæ cauſæ materiales vel junctim vel ſigillatim cauſam impulſivam ſ. objectum præbent, propter quod varii motus vitales, ad materiam & finem proportionati, maxime ſe- & excretorii, ſuſcipiuntur.

Horum motuum ratio duplici intuitu perpendenda eſt. Sunt enim vel ſubjective læſarum partium læſæ actiones, vel fiunt objective, ordine morali *propter* uſum corporis conſervandi, non autem corpore.

Hi ultimi prioribus longe frequentiores, etiamſi neceſſarii ſint, & ſi modo recte ſuccedant, utique ſalutares, tamen ob incommoda conjuncta & laborioſam incertitudinem eventus, fiunt pariter cauſæ, tam apparentium p. n. inſolitorum (Φαινομένων, tum re vera & variis occaſionibus, ulteriorum vere erroneorum motuum;

Quibus nihil boni obtinetur, ſed potius intentio generatim bona, ſpeciatim male adminiſtrata, male exit.

Hinc variat morborum indoles ſecundum temperamenta, ætates, hæreditatem, conſuetudinem, ſenſibilitatem.

Et hinc ſummo ſibi jure primum locum poſt dictas cauſas vindicant animi turbatio, animi pathemata, tum conſuetudo & ſenſibilitas individualis, quorum inſignem in morbos & morbis efficaciam ſpeciatim infra recenſuimus.

Inter externas adventitias affectuum cauſas primo loco ſtant *Aſſumpta*, tum *reliquæ res non naturales*, frigoris & caloris varius aditus, ſomni & vigiliarum, motus & quietis inſignes alterationes.

Poſtremum locum merito occupant res extraneæ præternaturales, *violentæ* magis.

Et ſane docet experientia, rariſſime obtingere ægritudines ex interna hominis diſpoſitione, quæ non magis ab externis cauſis & fere quidem violentioribus inferuntur.

Exemplo ſint febres: numeroſi enim homines ſanguinis copia ſulphurea, etiam diæta inſuper calida, otioſa, adeoque internis cauſis ad febres abundantiſſime inſtructi, actu tamen febrem nunquam incurrunt, niſi forte extrinſecis tranſpirationis cohibitionibus repentinis, immodicis refrigerationibus, animi motibus aliquando percellantur.

Et hoc quidem in acutis ſporadicis ordinarium eſt. Contagioſæ notoriæ ab extrinſeca communicatione, inflammatoriæ nunquam fere ſine externa cauſa oriuntur.

Ita & cholericæ ab æſtuoſæ diætæ exorbitantia vel iracundia repentina, intermittentes ab externis tempeſtatum mutationibus, pri-

ma-

marum viarum præcipiti ſuffarctu, aut cum nauſea aſſumtis & retentis alimentis naſcuntur.

Omnes morbi chronici quantum debeant diætæ inordinatæ, in aſſumtis mali ſucci aere frigido-humido, peregrinis halitibus polluto, motuum corporis neglectione aut exceſſu, quis practicus non videt?

Quod vero excretionum chronicarum turbationes, quæ multos alios chronicos affectus poſt ſe trahunt, præc. in fœminis, a ſimilibus externis progignantur, omnes norunt.

Mirum vero non eſt, in tanta morborum perſonali infrequentia etiam has cauſas raro evenire, id eſt, homines non omnibus, ſed rariſ temporibus potius diſpoſitos eſſe ad harum cauſarum violentiam pari ſenſu percipiendam, vel mutuum concurſum talium cauſarum ſatis raro contingere.

Hæc de externis cauſis, quando cum internis concurrunt.

Ex ſeipſis vero communiores externæ cauſæ minimum ad inducendos morbos poſſunt.

Sic ciborum voracitas, craſſiorum ingluvies etiam minus tempeſtiva, potuum copioſa ingurgitatio, ebrietas, ſaltationes per noctes, motus laborioſi, jurgia, colluctationes, exæſtuationes, repentinæ refrigerationes, magnorum frigorum perpeſſiones, aromatum, ſpirituum acidorum, dulcium, fermenteſcentium abuſus a quibusdam innoxie tolerantur.

Cum econtra alios ab horum vel leviſſimis graviter alterari quilibet obſervare poteſt.

Et hi poſteriores communiter ſunt vel 1) actu morbo obſeſſi, vel 2) ad ſcrupuloſam diætam aſſuefacti, vel 3) ſpeculationibus, memoriæ fatigationibus, ſenſuum teneriorum, præc. viſus abuſui, aut animi paſſionibus ſubjecti.

Longiſſime vero etiam ab his externis diſtant pleræque illarum cauſarum, quæ hodie paſſim pro proximis allegantur, nempe *poteſtates* ita *dictæ ſalinæ* acores & ſapores.

Sunt enim hæ ſalſedines vel inquilinæ, domeſticæ, ex reſolutione ſc. ſanguinis diſſolutiva vel divulſiva quotidie provenientes, vel novæ adventitiæ.

Si priores forent, cum omnes iis ſcateant, omnibus quoque imminerent quotidie actuales morbi,

Si posteriores, tunc utique graves & præsentissimæ noxæ instarent ab enormibus istis salsedinibus, Spiritu vitrioli, nitri, salis, salis armoniaci, sale alcali, fixo. Sed nihil horum, licet larga portione ingestum (ni tamen ita confertim assumatur) effectus tales edere videmus.

Jam vero si hæc summe sapida nihil noceant, quid alia leviora efficient?

Idem valet de amaritie, nec non de dulcibus, quæ etiam puerperis & infantibus sine ullo detrimento propinare licet.

Illud vero fatale est, salsedines tum omnibus communes veluti indifferenter vel ad minimum uni perpetuo familiares esse, ante omnia vero quolibet tempore seu ætate illi obtingere & posse & solere; & tamen observari, quod affectus stati & certi certis magis ætatibus eveniant.

Exemplo sint arthritis & podagra, in quibus maxime salia acria rodentia articulos accusant perquam sane innoxia.

Hæ enim vix e 10. hominibus unum prehendunt, cum tamen e 10 vix unus insignibus salsed. vacuus sit. 3) omnes enim scabiosi, quorum massa sanguinea manifeste salsa est, ab arthritide & podagra longissime absunt.

Coincidunt etiam hi morbi cum certis hæmorrhagiis: quid vero salsedines ad hæmorrhagias? quæ emergunt non modo certis temporibus, ut in fœminis & hæmorrhoidariis quibusdam, sed etiam in diversis ætatibus, locis pariter diversis.

Non autem denegatur acrimoniæ in corpus illatæ, quod ut occasionalis causa, motus ex alio principio promtos provocare possit, non efficientes physice, sed moraliter.

Unde utique in affectibus doloros, præsente jam insigni exacerbationis sensu, parum etiam vini, sæpe eundem insigniter auget, cum tamen tot homines quasi amphoratim illud ingerant sine doloris consequentia.

Cap. III.

Historia morbi in genere, ex habitu ac natura animi Pathematum.

Quemadmodum gravia & varia symptomata in corpore originem interdum hisce passionibus debere nemo dubitat; ita observantur

tur illæ, quæ magis ab intra, ſcil. a paſſione dominante & temperamento, quam ab externis objectis invitantur, cauſæ remotæ plerumque ac mediatæ morborum, quæ vero paſſiones a fortiori objectorum externorum impreſſione oriri ſolent, immediatæ magis ac proximæ morborum cauſæ.

Cum autem Paſſio dominans apud homines variet ſic, ut alii ſint cholerici, melancholici &c. ſimpliciter, alii compoſito temperamento gaudeant, proinde quoque alii præ aliis ad certos variosque morbos diſpoſiti ſunt; aliis etiam certæ paſſiones interdum præ aliis utiles eſſe poſſunt. Refer huc, quæ infra de Temperamentorum habitu ad morbos hiſtorice traduntur.

In omnibus autem pathematibus deſiderium ſive cupiditas ad finem aliquem tendit, ita ut motus inde vel augeatur, vel imminuatur, aut plane tollatur.

Impreſſio ab externis objectis vel adeo fortis eſt, ut nemo ei reſiſtere poſſit, v. g. terror a tonitru vel fulmine improviſo: vel non adeo fortis eſt, quin ne minimum quidem aliqui inde moveantur, v. g. quando potator videt vitrum vini, vel luſor chartam luſoriam, quod magis a prava conſuetudine vel paſſione dominante dependet.

Nihilo ſecius fortiſſimæ illæ impreſſiones extrinſecus agentes omnes homines (diverſo tamen gradu) afficientes non facile homines in tantas turbas conjiciunt, quam illæ, quæ a temperamenti vitio magis pendent; niſi forte in delicatulis contrarium eveniat.

Semperque illi, qui facile ira corripiuntur, a terrore & metu parum afficiuntur, & contra.

Iſtæ quoque paſſiones, quibus aliquis aſſuetus eſt, non facile immediare ſolent, niſi maxime excedant, vel quod peſſimum eſt, ab alia contraria pasſione ſupprimantur, quod ſæpius cum gravi periculo accidit.

Omnis enim mutatio ſubita periculoſa, ac quo magis ſubito ſibi invicem contrariis, irritati maxime, affectus ſupprimuntur, eo periculoſius eſt, quod præcipue in ira obtinet.

In Specie.

De *Ira* hiſtoriæ proſtant, qua loquela tum reſtituta, tum amiſſa eſt.

Multos quoque propter hujus affectus vehementiam paralyſi, apoplexia, febri continua aliisque graviſſimis morbis ex ira ſuppreſſa, cor-

reptos esse, quin & febres acutas, lethales, aliquando deliria, convulsiones, ortas esse, plurima exempla confirmant.

In vulneribus, nec non in ulceribus, Ira admodum infesta est. vid. Hild. in obs.

In lacte nutricum tantum hæc efficere potest, ut lactentes pueri sæpe epilepsiam, sæpissime gravissima torminainde contrahant.

Ita etiam per hanc paroxysmi quidam morbidi resuscitantur, v. g. calculi, passionum hypochondriaco-hystericarum, Arthridit. podagræ.

Mœror ac *tristitia*, quamvis ordinarie chronicos morbos producant, sæpe tamen & mortem accelerare posse testantur varia exempla, ubi quidem plerumque terror cum mœrore conjungitur.

Metus ac *terror* uti interdum ægroto levamen in quibusdam casibus afferre possunt, (sic tertiana, paralysis, podagra terrore sublata memorantur) ita frequentius variorum morborum causæ existunt.

Sic a subito terrore alii (præcipue pueri, si etiam per jocum terror incutiatur) epilepsia, alii convulsionibus & paralysi, alii febre corrupti sunt, nonnulli repente defuncti vita obriguerunt.

Imo ex metu assiduo & firmiter concepto multi in morbos prolabuntur, a quibus sibi metuunt, id quod præsertim in peste occurrit.

Quantum ira, metus ac terror in gravidis valeat, innumeris constat exemplis.

Adeo, ut non modo multiplices nævi materni inde in fœtum transmittantur, verum etiam infantes sine capite, sine brachiis, aliisque multis modis deformes, ex forti animi materni commotione in lucem editos esse legas.

Interim perraro hæc in generosis ac intrepidis; sæpissime in delicatulis ac otiosis animabus, pica etiam ac malacia laborantibus, deprehendere licet.

Nausea item imaginaria vomitus ac febres variaque alia symptomata producere apta est.

Spes, *Fiducia* & *Amor*, si moderati sint, ad sanitatis tum conservationem tum restitutionem multum conferunt.

Amor autem si limites excedat, non solum cachexiæ & passionum hystericarum, sed & graviorum morborum parens sæpe est, scilicet gravis melancholiæ, insaniæ, quæ tamen etiam ab interveniente tristitia proveniunt.

Ex

Ex Zelotypia ſuffocationem mulieribus interdum accidere, notavit J. B. Montanus.

Cap. IV.

Hiſtoria morbi generalis ex ſtatu ac natura Conſuetudinis.

QUoad ſubjecta promte alicui rei adſueſcunt homines ſenſibiliores, ſpeculabundi & animi pathematibus atque erroribus magis indulgentes.

Præcipuum hujus objectum eſt promtitudo ad augendum vel remittendum motum, ſive, ſano vocabuli ſenſu, motus & quies.

Efficacia hujus tam *ſecundum*, quam *præter naturam* in actibus vitalibus manifeſtiſſima eſt circa diverſarum rerum patientiam.

Sic alii *a frigore* præpropere, alii non niſi mature & poſt ſat longum tempus alterantur, ubi & ipſa hæreditaria diſpoſitio aliquid poteſt.

Sic etiam *caloris* major gradus aut exceſſus diverſimode incommode habet homines, uti videmus in Gallis, qui caminis uti aſſueti, ſi in conclavia Germ. minus ſpatioſa & alta proveniant, varias circa caput congeſtiones incurrunt, ſenſim ſenſimque hiſce aſſueſcendi.

Par ratio eſt conſuetudinis circa cibos & potus.

Illi enim ſi difficilioris ſint concoctionis, vel nimiæ & acri-acetoſæ fermentationi expoſiti, in minus fartis varias moleſtias producere ſolent, in aliis contra.

Ita ratione ſaporis, male ſapida ab aliis commode tolerantur, ab aliis excutiuntur, quod tamen ſenſim deletur conſuetudine.

Uti etiam nauſea ciborum aut medicamentorum a nuda imaginatione peſſimi ſaporis profecta, conſuetudine ſæpe ita corrigitur, ut, ſublata hac opinione, omnes poſt hac motus poſt earum aſſumtionem omittantur.

Alii poſt prandium meridiant, alii non: & uti his ſomnus hoc tempore incommode cedit; ita illis defectus ejus: alii, niſi ſtata hora cibos aſſumant, male afficiuntur aut ad minimum appetitum amittunt, ut deinde vel nauſea vel poſitiva inappetentia ſuccedat.

Nihil vero notius eſt, quam quod hoc eveniat in negotio motuum involuntariorum & quietis.

Quo-

Quotidianum enim eſt, otioſos a fortioribus paulo motibus perſentiſcere a priori virium defectum, a poſteriori varias ſenſationes contuſorias, interim repetito ſæpe & diutius actu vires quaſi augeſcere & incommoda magis magisque decreſcere.

Contrarium evenit in iis, qui otio aſſueſcunt poſt motus vegetiores.

Idem valet de Vigiliis & ſomno.

Illud hic accedit, quod & dormiendi & miſti evigilandi plane certis periodis & ſtato tempore adſuefieri poſſunt.

Ita nota exempla ſunt hominum, qui certa noctis hora expergefacti & ad alacritatem incitati, multis ſequentibus noctibus eadem hora evigilant.

Alii ſtata hora ita expergiſcuntur, ut neque curruum onerariorum tranſitus, neque alius hominum ſtrepitus eos ante illam exſuſcitet; adveniente vero & quidem exacta ſubinde horæ iſtius ſoni periodo ſponte, tranquillis licet undiquaque rebus, evigilent.

Merito huc quoque *animi pathematum* conſuetudinem referimus.

Sic v.g. teneris infantibus non ſolum ipſe timor & terror temere aſſuefieri ſolet, ſed etiam ſubinde ſuccedentes pavores palpitabundi, imo tandem convulſivi motus; vel ex ira aſſuefacta interni ſpaſtico-torminoſi affectus cum excrementis acribus bilioſis.

Contra non deſunt exempla, ubi etiam tales impetus, v. g. ira, terror in adſuetis nihil incommodi infert; dicunt: Es ſchade denen nicht allein der Zorn nichts, ſondern ſey recht ihr Leben und Freude, wenn ſie zu Zancken, Keiffen, Händel anfangen, Gelegenheit finden können. ꝛc.

Mœſta & penſitabunda Indoles, ſi nimis huic conſuetudini indulgeat, vitæ ſedentariæ impr. & nimio otio, ſat gravia ſibi incommoda conciliare ſolet; ſi tamen intempeſtive & immoderatius ab his moribus abſtrahatur, non minora mala metuenda veniunt.

Nauſea imaginaria varie actus vitales perturbare poteſt, & vel adſueſcendo vel deſueſcendo intendi aut remitti ſolet.

Excretiones præc. craſſiores quoque non ſolum conſuetudine adſtringi poſſunt ad certas periodos, imo ſubinde horas diei; ſed etiam emiſſio illarum voluntaria deſidia atque neglectu ad conſuetudinem ſegnis & rarioris ſucceſſus deduci.

Præter naturam generatim de conſuetudine ægrotandi docuit experientia.

Homi-

Homines valetudinarios, notabili tamen orthoſtadia præditos, ut-ut ſæpe peſſime habere videantur, paſſim tamen effugere & plures morborum inſultus ſuperare, & ſi non ad plenam ſanitatem redeant, vitam ſaltem conſervare.

Contra athleticos & illibata prorſus ſanitate diu fruitos ab iisdem affectibus, & quidem uno eorum vehemente inſultu, non modo gravius affici, verum etiam longe citius conſumi ac interire.

Unde vulgus: die geſündeſten Leute greiffen die Kranckheiten am ſchärffeſten an, ja ſterben am erſten an erheblichen Zufällen.

Dantur enim certæ ſpecies morborum, qui, ſi ſemel iterumque patientem exercuerint, tam promte poſthac inſoleſcant, ut veluti habitum induant, ut patiens vix unquam in poſterum ab iisdem immunis vivat.

Ubi iterum valet Germ. dictum: Wann man einmal in das Kranckẽ komme, ſo habe man ſich alsdenn je mehr und mehr damit zu ſchleppen, und könne es nicht wieder völlig loß werden.

De his & ſequentibus conf. quæ infra de morbis habitualibus & periodicis ſigillatim explicata & deducta proſtant.

Reſtat, ut *ſpeciatim* affectus conſuetudini obnoxios breviter percurramus.

Ita præter *hæmorrhagias internas*, (de quibus infra l. c.) *artificialium* etiam, promta eſt conſuetudo, ita ut repetita ſemel iterumque venæ ſecatio aut ſcarificatio, ſi poſtea a plethoricis negligatur, varia incommoda & ſubinde pericula inde enaſcantur.

Et notum eſt, *violentas* quoque fortuitas hæmorrhagias varias commotiones, nunc generales, nunc ſpeciales, circa locum excretionis poſt ſe relinquere.

Febriles humorum *motus* ſubinde in conſuetudinem faceſſere teſtatur quotidiana experientia in febre tertiana, ſine ſufficientibus tempeſtivis excretionibus ſeneſcente, imprimis autem per frigoris neglectum recrudeſcente & ita diu inſoleſcente.

In hac patiens quidem appetitum, concoctionem, ſomnum tranquillum, ſitim naturalem, vires corporis, coloris florem, quæ ſub vero febrili ſtatu maxime fatiſcunt, recte recuperavit, conſuetis tamen diebus atque horis paroxyſmi reditum experitur perennem, quanquam leviorem.

Majoris conſiderationis eſt ille adſuetudinis febrilis motus,

quan-

quando febris intermittens, imo aliquando acutæ (præc. utræque male tractatæ & heteroclite progressæ) toto anno vertente vel manifesto repullulant, vel ad minimum evidentia molimina paria exserunt;

Unde ajunt: Es gehe etwas an ihnen um, daß sie sich einer Kranckheit besorgen, hätten eben jetzt vor einem Jahr das Fieber gehabt, und wenn sie es genau bedächten, wäre ihnen dazumal eben so zu Muthe gewesen.

Frequentius hoc accidit quartanæ, ut per integrum annum, imo plures, patienti stato die assuefacta commotione, de reliquo satis sano creet molestiam.

Neque fugit peritos certa nonnullorum individualis indoles, ut ad acutas febres etiam assuescant, easque vel sæpius per vitam incurrant, vel quotiescunque ad morbum dispositi videntur, febrilem imprimis motum experiantur.

Epilepsiæ nota est consuetudo tam simplex, quam periodica ad Lunæ phases recurrens.

Nec minus alii spastici affectus, tormina colica, & lentiores tractiones, constrictiones intestinorum, abdominis, imprimis circa umbilicum, mali hypochondriaci & hysterici, colicæ passiones, varii vomitus, tenesmi & diarrhœarum repullulationes facile in consuetudinem abeunt.

Ita integrum est nonnullis, ventriculum proterve etiam ingestis alienis rebus oneratum quocunque momento vomitu iterum exonerare. Quid? quod aliæ spontaneæ aut artificiales aliquando evacuationes per diarrhœam vel purgationem aut sudores, impr. per plures annos continuatæ ita adsuescant, ut in posterum omissa non levia sæpe incommoda post se trahant.

Noxia certe assuetudo occurrit in abortu muliebri, posthac, si semel præcipue in plethoricis factus sit, iterum metuendo & eod. tempore reversuro. v. infra.

Pari ratione præs. in fœminis lipothymiæ ita adsuescunt, ut e quacunque levi causa terrores eveniant, ad minimum cardialgiæ.

Rariores casus sunt, ubi a morsu canis rabidi, tarantulæ &c. per multos annos, illo anni tempore, quo prima læsio obtigit aut exacerbata est, novæ commotiones formantur.

Denique insuescunt sponte fonticuli & sponte nata ulcera antiqua manantia, quæ temere suppressa gravissimas certe perturbationes corpori inducunt.

Cap. V.

Historia Morbi Generalis ex Sensibilitate Naturæ.

HAnc Vulgus quoque in quibusdam taxare solet verbis ; zärtliche, weichliche, schwächliche Leute, die nichts vertragen können, von den geringsten sich stracks übel gehaben ; Item es sey eine schwächliche, kränckliche Person, wie aus ihrer üblen Farbe, üblem Ansehen abzunehmen ꝛc.

Et quotidiana est inter plures eandem rem admittentes, v. g. molestias, frigus, calorem, bonum aut malum odorem, certum saporem &c. diversa perceptio, deque iis vel approbatio vel quiritatio.

Sunt homines tales plerumque teneræ texturæ, sed non semper, cum & robusti occurrunt sensibiles & teneri sint, qui non æque ita afficiuntur ; adsuetudo tamen plurimum hic variat.

Notandum interim, hujusmodi sensibilitatem cujuscunque texturæ subjectis familiarem esse vel post prægressos alios laboriosos affectus, vel post nudas animi commotiones, terrorem, timorem, nauseam, vel ex impressione materna. &c.

In aliis innominanda quadam ratione peculiaris sensibilitas sese exerit circa ipsum tactum, imprimis in cardialgicis & nauseabundis anxietatibus, (ubi : es seye ihnen so wohl ums Hertz, so übel) etiam citra quidquam vere nauseosum.

Has manifestiores sensationes imitantur paulo magis clandestinæ, sed non leviores, cum languore, fastidiosa & indignabunda animi affectione, jam etiam cum speciali elisorio motu illarum partium, in quibus res sensum talem efficiens hæret, aut certe scopo tali congruente.

Ab hisce dependet morbida talium indoles sive individualis conditio, qua scilicet hujusmodi subjecta mox ad res levioris læsionis atque periculi compotes, alterationes tales circa motus vitales (rerum noxiarum & molestarum, ut talium expressorios) adeant.

Quæ cum ab ordinaria tranquillitate, æqualitate alienæ sint & multum diversæ, hoc ipso in genere ut præternaturales arguuntur.

Cap. VI.

Hiſtoria MEDICA Temperamentorum.

AD plethoram habiles ſunt maxime ſanguinei, deinde cholerici, denique melancholici.

Phlegmatici ſtricti non æque ſanguinis, quam aquoſiorem farraginem nanciſcuntur, unde ſecedente ſulphurea parte nimia & ſuperflua pinguedine onerantur, præc. ſanguineo-phlegmatici.

Sanguineis hæmorrhagiæ minus commode ſuccedunt, niſi concurrente externa vi, concuſſione, caſu, jactu, ſcalptione, ſtimulatione, emunctione &c. occaſio detur, unde alia præc. proxima quoque occaſione facilius penetrant.

Familiares inde his eſſe ſolent

Congeſtiones verſus loca, ubi alias perruptio fieri deberet, & inde tenſiones, æſtus, & hoc utroque nomine dolores circa caput, tum in prima juvenili, tum conſuetudine inde facta etiam in poſterum.

Infarctus, ſtaſes, inflammationes promptiſſime quoque ſubeunt, unde apoſtemata, ſcabies humida, adeo ut ſtatim feſtuca, vel ſpina infixa ſuppuratio, a levi ſcalptione abraſæ cuticulæ inflammatio oboriatur.

Adde, quod nemini, inclinante præc. ætate, facilius quam his eveniant tonico-ſpaſmodici incompleti, contumaces motus circa lumbos, os ſacrum & viciniam hæmorrhoidalem.

Unde vix alius complexionis reperias arthritico-rhevmaticos, nephriticos, Iſchiadicos, podagricos, varicoſos, paralyticos, exceptis manifeſtis cauſis externis aut incongrua medicatione, ex quibus etiam alii in hæc mala divolvuntur.

In puerili & infantili ætate convulſiones & epilepſia.

Febribus minus acutis & intermittentibus rarius ſubjacent quam cholerici, frequentiſſime vero ſanguineo-cholerici.

Hi vero ſæpius experiuntur febres acutas, fortiores ſpaſticos motus, convulſivos effectus; & ſicut in genere ad hæmorrhagias; ſic juvenes in ſpecie ad hæmoptyſin, aut acute ad peripnevmoniam, pleuritidem, habiliores obſervantur.

De-

Deliria horum ſunt violenta, furibunda, uti ſanguineorum vaga, hilaria, proterva, jocularia.

Melancholici, præcipue ex vitæ genere moribus ſuis conformi, hypochondriaca, hæmorrhoidalia interna pathemata, ſpaſtica leviora, ſed pertinaciora, vel ſi ingraveſcunt, e ſtatis epilepticis paroxyſmis ſubeunt.

Unde inflationes, indurationes lienis, hepatis, atrophiæ, hecticæ item colica ſpaſmodica, palpitatio cordis.

Deliria horum ſunt perpetuo ſuſpicioſa, taciturna, timida, cum metu incarcerationis, tenebrarum, inſidiarum, perſecutionum; vel ad minimum anxia, oppreſſoria, anguſta, daß ihnen alles ſo enge iſt, wiſſen in der Welt nicht zu bleiben.

Phlegmaticos contra invadunt utplurimum catarrhales varii affectus, loca tamen ſanguinis prioris evacuationi deſtinata ſervantes.

Unde prima quidem ætate circa caput coryzæ, capitis & faciei ſcabioſitates, aurium, faucium catarrhales, muceſcentes ulceroſi affectus, item tuſſes, vomitus, diarrhœæ, tormina, flatulentiæ.

Ad hæmorrhagias inepti ſunt, uti & ad acutas paſſiones.

Denique tentantur maxime cachexia, tumoribus œdematoſis, leuco-phlegmatia, hydrope, affectibus ſoporoſis, item catarrho ſuffocativo, paralyſi, apoplexia, non æque, uti dictum, acutis commotionibus.

Delirant ſtupide, oblivioſe, ſomnolente, abſone.

Therapia.

Sanguineis ſanguinis detractatio per ſcarificationes, hirudines, it. motus æqualis, & pro æſtu temperando acidula proſunt. Medicamentis calidis & regimine ſudorifero moderate hic agendum, ſecus facta ſubita concitatione ſudor non exit.

Cholericis & *Melancholicis*, præcipue his tamen V. S. tempeſtivæ, motus corporis, diluentia, utrisque Nitroſa conducunt. Et hi promtiores quoque ſunt ad excretoria incitamenta; ne nimium contingat in omnibus, cavendum maxime in chol.

Phlegmaticis præſcribatur motus frequens, ſed moderatus valde, tum etiam plus largius & ſæpius purgationes. Acidularum uſus, niſi ſanguineo prædominanti, non temere ſuadeatur; Thermarum circumſpecte non niſi iisdem & Phlegmaticis.

Cap. VII.

Hiſtoria MEDICA ætatum.

NOtamus hic, non omnes homines in quoslibet morbos, ſed in eos tantum, qui cujusque diſpoſitioni & temperamento conveniunt, varia ætate incidere, ita ut præſagire poſſit medicus non modo, quibus morbis expoſitus ſit in genere homo, ſed etiam quibus jam obnoxius forte ſit, fuerit vel futurus ſit.

Fœminis morbi ætatum poſt pubeſcentiam magis familiares ſunt.

Diſpeſcemus ætates in I. impuberem, II. puberem, III. virilem, IV. ſenilem.

I. *Impubertas* extenditur ad annum 14.

Ubi primo occurrunt infantiæ affectus circa caput, exulcerationes leves & ſuperficiales cutis, capitis, faciei, verſus poſteriores capitis regiones circa aures & genas.

It. Dolores, ardores, æſtus circa caput, oculorum & aurium inflammatoriæ paſſiones, oris interni ardores & aphthæ.

Convulſiva epileptica pathemata facile coorientia & repullulantia aut affluefientia.

A quarto ad ſeptimum vel ultra annum increbeſcunt (præc. calidiore tempore) dolor capitis æſtuans, hæmorrhagia narium, (in frigore) coryzæ, gravedinoſi capitis dolores, dentium graves paſſiones.

Quæ etiam abhinc verſus & circiter tempus pubertatis continuant, magis tamen etiam effectus eveniunt circa faciem, tumores anginoſi, inflammatorii aut tonſillarum viſcoſi inflatorii.

II. *Pubertatis* ab anno 14. & quidem *floridæ adoleſcentiæ* (ad 23 usque 24 vel 25) tempore frequentiores circa pectus ingruunt affectus.

Scil. tuſſes efferæ ſiccæ, humidæ, acres & impetuoſæ raucedines, ſpaſmodica, periodica & quaſi paroxyzantia aſthmata, dolores rhevmatici, nunc indolentes, nunc ſumme dolorifici circa cervicem, nucham, ſcapulas, humeros, thoracem, palpitationes cordis.

Ita & inter hanc & juvenilem [ab 18 ad 35 annum] hæmoptyſis, vomicæ, phthiſis, inflationes peripnevmonico-pleuriticæ incidunt.

It. pleuritis ſpuria ſpaſmodico-arthritica, quæ per æſtuoſa tractata facile in pleuritidem veram, vel concurrente diſpoſitione hypochondriaca aut cholerico-melancholica iracunda, in hepaticas inflamma-

mationes tranſeunt, unde ſebres acutæ hecticæ, quæ niſi per criticos aut alios tempeſtivos ſudores terminantur, funeſtæ ſunt.

Nonnulli vel præpoſtera medicatione, vel etiam ſponte, hæmorrhoides internas experiuntur.

Circa hanc ætatem quoque exerit ſeſe malum hypochondriacum.

Et hæc quidem evenire ſolent juvenili ætati ab anno 25 ad 35.

Inter hujus & virilis ætatis confinia, maxime ſuccurrentibus motibus ſuccuſſatoriis, obveniunt dolores lumbares, & ex horum empirica perverſa tractatione nephritis primo ſimplex, mox calculoſa,

Verſus ipſam virilem ætatem dolores profundiores, circa os ſacrum, coxendices, qui ſponte vel male ſuccedentes a gonagra & podagra unguem latam abſunt & mox præmaturo ſudorifero regimine proritari poſſunt.

III. In ipſa *Virili* ætate [a 42 ad 49 vel 56] ſiſtunt ſe hæmorrhoides externæ, ſeu apertæ, ſeu turgidæ, ſeu tumidæ, cœcæ, motus hæmorrhoidales, unde nephritis, calculus, iſchiadicum malum cum tenſivis ſpaſmis circa os ſacrum & morſibus veluti in inteſtino recto, gonagra & podagra, hecticæ hydropes.

Iunioribus viris, ſi hæmorrhoides large fluentes ſupprimantur, mictus cruentus copioſiſſimus accidit.

Idem fit in fœminis.

Pectoris quoque affectus a tali ſuppreſſione recrudeſcere notum eſt, ubi contra hæmorrhoides bene fluentes a pleuritide præſervare jam docuit Hippocrates.

IV. *Seniori* vegetæ adhuc ab hæmorrhoidum aſſuetarum inſufficiente ſucceſſu, aut ceſſatione non raro ingruunt mictus cruenti vel habituales ſpaſmi & contracturæ, in quas exit congeſtio, Gonagræ & Podagræ pertinaces. Pariter ſenibus præ aliis frequens eſt catarrhus ſuffocativus, paralyſis, apoplexia ſanguinea & ſeroſa, aſthmata, atrophiæ, Maraſmus.

Multi interim pro apoplecticis efferuntur, qui thoracis potius ſpaſmo, quam capitis affectu periere.

De his morbis in genere notandum, quod tales in ſubſequente aliqua ætate facilius & certius erumpant in locis iſti ætati propriis, quibus morbi ejusdem generis in præcedente aliaque ætate, licet loco diverſo, viguerunt.

Si vero ab immediate præcedenti ætate in ſubſequentem transmittatur morbus, retinet & locum priorem.

Sic

Sic e. g. qui in tenera ætate narium hæmorrhagiis assueti fuerunt, si in juvenili virilique ætate per vehementiorem motum quantitatem sanguinis imminuerint, ut ad abundantiam non pervenerit, hi in provectiore ætate, levi data occasione, in hæmorrhoides, mictum cruentum incidunt.

Contra qui a pueritia narium hæmorrhagiis vexati adolescentiam in otiosa, segni, vinosa diæta transigunt, retinent plerumque eandem evacuationem ad 30 & plures annos.

Quos in tenera ætate catarrhi tentabant, incurrunt succedentibus ætatibus in asthmata, tusses, phthises, in diarrhœas, vomitus, colicas; in arthritides semper pertinaciissimas, in paralyses, tandem tremores, tumores œdematosos.

Frequentissima tamen est palindrome ad caput & partes superiores.

In Therapia

Plethora ventilatione vicaria minuenda & motu corporis, non tamen repentino, it. diæta parca in profectiore ætate impedienda.

Spissitudini partim motu, partim medicamentis leniter attenuantibus subveniendum.

Commotioni præsenti nimiæ per diluentia, temperantia scilicet nitrosa cum digestivis tartar.vitriolat.arcan.dupl. Anodyna prudentissime adhibeantur.

Et hæc, ubi a sanguine est vitium.

In causa vero magis catarrhali ad catarrhalia respiciendum: catarrhi probe diguoscendi sunt.

Iunioribus annis venæsecationi aut scarificationi adsueti, ne in sera quidem senectute eam deserant.

Art. I.

Historia morborum Infantum.

INfantes interna sua culpa morbis minus obnoxii sunt, ex iisque facilius iterum evadunt, quam adulti, ut in rusticorum, militum, plebejorum infantibus patet.

Sicuti nati a parentibus vegetis, minus teneris, neque morbidis, animo non turbidis, corpore firmis, observantur satis firmi, imo semper insignes injuriæ illos firmant.

Af-

Afficiuntur plerumque externis cauſis.

Sic illis jam in utero vitia corporis & animi paterni, materni, imo aviti imprimuntur: editis in lucem pericula varia imminent a matribus vel nutricibus mali moris.

Item ab aeris intemperie, a ciborum immodica quantitate vel inepta qualitate, potu minus adhuc conveniente & cibis incongruis aceſcentibus, interpoſito lacte.

Præterea huc pertinent motus agilioribus infantibus regulus, vel ſomnus tenuioribus interruptus, animi pathemata per exteriora excitata, excretiones turbatæ; violentia externa, ejulatus & ploratus contentioſus & clamoſus, hernias, ani procidentias inducens.

Morbi igitur in ſpecie his proprii ſunt:

1. *Nævi materni* & *vitia* a difficili partu: diſtortio calvariæ, verdruckte oder geſchobene Schieffer-Köpffe, vel paulo poſt hydrocephalus vel fecum & urinæ excretoria imperforata.

2. A *meconii inſufficiente evacuatione tormina*, egerendi conatus, cholericodæa, nonnunquam convulſiva cum doloribus, clamoribus, inquietudinibus, vigiliis, caloribus vagis, quæ etiam ſeſe offerunt, torminoſis manifeſtis.

3. *A lacte*, ſi infantes a meconio nondum ſatis purgati illud bibant, quibus magis prodeſſet coloſtrum.

Præterea a lactis aceſcentia concurſu bilis, nutricis imprimis iracundia: unde vehementes dolores, clamores, pavores, manuum pedumque luctæ, quæ in convulſiones ſæpe exeunt; conatus item dejiciendi acerrimi, feces flavæ, virides cum odore acetoſo, quæ lintea teneriora tanquam Aqua fortis corrodunt, ani inflammationes, eroſiones, excoriationes; vel quando nutrix ſtatim a terrore prægreſſo mammam præbet, longe inde pejus habebit infans, quam ſi multo poſt ex mamma prius lacte corrupto emulſo; quod idem & nutrici utiliſſimum.

4. *Ab alimentorum reliquorum vitiis.*

Pultes quidem, ſive a farina & aqua nuda, ſive lacte, ſive mica panis loco farinæ fiant, moderato uſu ſunt bonæ.

Varietas vero ciborum vitanda & nimia ingurgitatio, unde cardialgia, humida pathemata, vomitus, qui ſi moderatus ſit, non nocet.

5. *Ab aëris intemperie*, imprimis humido-frigida, unde faciei & capitis ſuperficialia mala, cruſta lactea, achores; hæc vero niſi rite

procedant, tunc mala graviora epileptica, anginodea, aphthodea, catarrhalia ſuffocativa, imo lethargica inde pullulant.

6. *Febriles ſanguinis commotiones* facillime a temeraria refrigeratione ſeu partiali ſeu univerſali oriuntur, calente, imprimis autem madente corpore.

Acceduut etiam tales motus febriles aliis inflammationibus, ulcerationibus.

Inprimis familiares ſunt febres ephemeræ vel typicæ quoque, quarto jam die ad ſudatoriam leniorem & moderatam eccriſin revertentes.

7. *A Dentium proruptione*, qua etiam bene ſuccedente, inquietudo tamen, moleſtæ ſenſationis in ore indicia varia, gingivarum fricțio & exercitatio.

Frequenter comitatur diarrhœa, ſub qua etiam melius ſuccedere obſervatur dentitio, obſtructa vero alvo, manifeſto pejus, ubi ſe applicat communiter febris, inquietudo, languor, reſpiratio difficilis, jam cum humiditate catarrhali, jam ſiccis ſpaſticis tandem convulſionibus.

8. *Convulſiones epilepticæ* magis idiopathicæ, infantibus magis quam adultis propriæ ſunt, eorumque affectibus longe facilius ſuperveniunt. Gravius etiam exagitant caput, oculos, maxillas, quam reliqua membra, niſi quando tandem ultimo univerſali impetu totum corpus concutiunt.

9. His ſæpe veſtigia legit *ſtrabiſmus* vel dum nutrices ſive eorum curam gerentes objectorum admotione interdum juſto propiore ad oculos, horum diſtorſioni verſus naſum eos aſſuefaciunt.

10. *Rachitis* eſt contabeſcentia aliqua per longitudinem ſpinæ dorſi, concurrente vel ſuccedente peculiari deformatione articulationum, in Anglia quaſi endemia.

11. *Atrophia*, qua reliquum corpus ſenſim exareſcit, venter vel præter modum intumeſcit & indureſcit. Evenit magis infantibus ablactatis a potu nocturno frigido, præcipue corpore ſub ſomno calente & ſudante, imo pueris poſt 4. 5. annum. vid. Tit. Atroph. ſub morbis inteſtinalibus.

Ludovici in A. N. C. optime hunc affectum deſcripſit.

12. *Vermes* puerili ætati magis quam infantili ſunt proprii. Oriri hos putant alii e lactis vitiis; verius autem, dum nutrices vel aliæ den-

dentium fœtore & ſcabritie fœdæ vetulæ, cibos diu præmanſos infantibus intrudunt.

Eveniunt ab his varia torminoſa ſpaſtica ſemper acuta mala.

Pariter appetitus & concoctionis vitia, imprimis quando vel irritata hæc colluvies in globum complicetur & inteſtina tenuia alicubi obſtruat, vel quando ab amaris, præcipue Myrrha, enecati vermes non ejiciantur, ſed putreſcant, unde maligni oriuntur affectus.

13. Inter *exteriora* magis *corporis vitia* infantibus familiaria ſunt: peculiaris pertinacior collectio & ſicceſcens denſatio muci, & nares obſtruentis, & ſubinde ulceroſæ ejus corruptioni anſam præbentis, quæ non raro in fungoſa vel calloſa concrementa degenerans, in futurum etiam gravia damna transmittit.

Tumor mucoſo-membranaceus & varicodes ſub lingua.

Aphthæ, ſuperficialis nempe levis purulenta corruptio, excoriationem & cruentationem cum moleſtiſſimo ardore inferens, & ſubinde anginoſam corruptionem vel ad uvulam & infundibulum diffundendam minatur.

Item inflammationes aurium internæ & externæ, oculorum catarrhi.

Deformitas corporis, gibboſitas, nodoſæ articulationes. &c.

Intertrigines per ſudorem & commictionis occaſionem, ſi nempe nec urinæ mador, nec fecum imprimis acriorum contactus ſatis mature auferatur.

14. *Suctio* etiam fit *laborioſior* vel ob defectum lactis, vel oris interni venularum ſublingualium tumores & ſæpe ulcerationes, vel ſcorbuticam communicationem nutricis cibos infanti præmandentis.

Circa *prognoſin* notandum, morbos infantum brevioris eſſe periodi quam adultiorum.

Hic enim magis periodus ſeptenaria jam quarto die, quando melius ſuccedunt excretiones, notabiliter ad finem properat, cum apud adultos vix unquam ante ſeptimum diem exeat.

Sicut & apud infantes primo ſeptenario abſolvitur, quod apud adultos ſecundo, imo tardius.

Convulſiones jam quaſi aſſuetæ ſunt minus ſuetis leviores & minoris periculi.

Therapia has obſervationes offert:

Juſtus hic ſit fecum ſucceſſus, præc. tranſpiratio libera.

Neceſſaria ſunt corrigentia & evacuantia.

Illa ſunt oſtracodermata, oc. 69. cort. ovorum.

In effectu vero magis acido-acri, ardore & roſione in inteſtinis mucilaginoſa : Ubi

Gummi Trag. & Arab. conferunt.

In urina gravioribus ardoribus & ſabulo apparente, tum hæc, tum percarum lapides proſunt etiam.

In bilioſa aciditate Cryſtallus montana; In Anginode affectu & difficili deglutitione plebs Belgica certarum cochlearum pulverem (Hoomties) exhibet,cum indubio, quem jactant, ſucceſſu : Bonnetus etiam in med. Sept. de Entali memorat, quod amuletice collo appenſa anginoſos affectus tollant.

Diapnoen temperatiſſimam efficit Antimon.diaphor. Tenue unicornu foſſile & terra ſigill. nullius hic pretii.

Ex Eſſentiis ſufficit alexipharmaca, temperata ex rad. pimp. vincet. helen. ſcordii, &c.

Caveantur,vero acriora, crocus, Zedoaria, Galanga, Camphor.

Elix. Tincturæ compoſitæ e multiplicibus miſtæ.

Eſſentia myrrhæ nonniſi parciſſime in catarrhalibus & pectoris vitiis cum eſſentia ſuccini largius mixta locum habet. Exulet vero in febrilibus affectibus.

Tinctura Antimonii hic non probatur.

Et ſicuti hæc quoque *Euacuationis* ſcopo inſerviant, ita ad diapnoën etiam commendantur aquæ deſtillatæ temperatæ ſcabioſ.ſcord. card. Ben. ſcorzon. &c.

Rejicitur aqua fumariæ in acutis præc. & exanthematibus.

Externe camphora uſui eſt.

Regimen ſemper ſit diapnoicum ; in acutis abſit nimia calefactio externa, temporis periodus obſervetur.

Alexipharmaca adhibenda interim , offerantur potius nutrici, quia hæc in infantibus nonniſi minima doſi, ſed repetenda, conveniunt. In annuis v. & ultra id fit ſecurius.

In Evacuatione rariſſime neceſſaria ſunt Emetica.

Si quid moliendum, præſtant leniora, conſerva flor. Perſ. aut lactucæ, alvo tamen libera vel ſimul expedita.

Alvus commodiſſime evacuatur, ſi quid febrile adſit, per rhabarbarina, ſi nihil tale per mannam, ſennam, ſpinam cervinam, tandem mechoacannam, ſed cautius ; item per Mercurium dulc. in non plane teneris.

Epi-

Epileptica mala mitigat optime Cinnabaris parva dosi, specif. antepil. Stahl. cum absorbentibus & pauca Cinnabari.

Cornu & ungula alcis, Pulvis March. spec. cephalic. Michaelis, unicornu verum, lap. manati, corium human. nullius fidei sunt.

In scabie retropulsa & gravibus inde symptomatibus paulo adultioribus Mercurius dulc. maximum usum habet.

In externis crustosis & ulcerosis affectibus ol. ovorum.

Ad nævos recentium secundinarum frictio & sanguinis lochialis inunctio laudatur, quippe quæ & puerilem ætatem jam prætergressis auxilio fuere.

Art. II.

Historia Morborum Senum.

HUmores apud hos sunt spissiores, lentiores ; vigor impulsus horum decrescit, animus de fervore remittit & ad desidem quietem inclinat.

Causas ejusmodi morbis suppeditare solent : 1. animi lassitudo & desidia, (animi enim motus, præc. ira, & inferiorum corporis partium constans refrigeratio, non exiguo effectu pollent ad vertiginem imo apoplexiam.) 2. prægressarum ætatum luxuriosa intemperantia, vel 3. exhaustio virium in iisdem enormis.

4) Quietioris & lautioris vitæ affectatio, Sie wollen sich nun zur Ruhe begeben und ihnen in ihrem Alter etwas zu gute thun, unde mox abundantia sanguinis ejusque consectaria.

5) Excretiones sanguinis consuetæ omissæ, uti junioribus etiam e. g. a narium hæm. emansione, vertigines accidere notum est.

Passim quoque ventriculi prægravatio vertigines inducit, unde Salis Vitriolici usus ob vim emeticam salutaris.

Impendent hinc senibus:

Catarrhi varii capitis, faucium, pectoris ; gravedines, coryzæ, mucositates, raucedines, tusses, asthmata cum lenta humiditate.

Appetitus & concoctionis languor & vitia, ructus, flatus, alvi lubricitas, Diarrhœæ, lienteriæ, quæ etiam facile a frigore improvide admisso invadunt.

Mali colores, corporis flacciditas vel aufgedunsen, tumores, edemata.

Urina

Urina cruda, ardens, irritans, mali coloris, mictus cruentus, & ad hunc ſpectantes conatus, quo etiam, pertinent in prægreſſa ætate dolores lumbares.

Calculum niſi e virilis periodi confiniis in ſenium transferant, in hac ætate non amplius parturiunt.

Eadem ratio eſt hæmorrhoidum, niſi in virili adhuc ſenectute & florido individuo; quorum fluxus tamen legitime procedens, præſidium potius, quam detrimentum adfert, turbatus vero ſenſibilior eſt huic, quam prioribus ætatibus.

Senſuum hebetudo, viſus ſc. auditus & tactus; guſtus & olfactus per catarrhum depravatio.

Motus & roboris decrementum, intellectus item & memoriæ debilitas.

Senili vero eminentius ætati eveniunt apoplexia, hemiplexia, paralyſis, catarrhus ſuffocativus, oblivio, ſomnolentia veternoſa cum virium torpore.

Dentium irreparabilis caſus, tremor manuum, labefactatio genuum, toni marcor, unde cutis rugoſitas, coloris pallor.

Maraſmus extremo & decrepito ſenio ſolum competit.

Notatu dignum:

1) Quod fœminæ plures ad annoſum perveniant ſenium, quam viri.

2) Quod eædem licet torporem & marcorem corporis, rugoſitatem, Dentium lapſum, inceſſus labefactationem viris citius incurrant, tamen circa interiora diutius vividam energiam vitalem conſervent, & non adeo ſæpe ac viri, apoplexia ſed ad ſummum catarrho ſuffocativo vel tumidis aut tabidis eventibus decedant.

Therapiæ hiſtoria docuit:

1, Inſtituendam V. S. vel conſuetum fluxum in ordinem reducendum.

2. Se- & excretiones libere conſervandas.

Ita ſanguinis fluxilitatem conſervant rad. pimp. alb. & prudentiore uſu ſquilla; herbæ antiſcorbut. Gummi Ammon. Galbanum parciore, myrrha parciſſimo uſu, it. Extr. Agar. Zingiber, piper, Indicum.

Acria tamen magis frigidioribus quam calidis & floridioribus adhibenda.

In purgatione cavendum ab aloe & Gummi reſinarum longiore uſu, nec non ab impetu.

In

In flatulentia & colica clysteres emollientes, lubricantes.

Imprimis Diuresi prospiciendum per Rad. ari, vincet. pimp. Salia media, Nitrum, servando socialem alvi libertatem.

Abstinendum ab acrioribus stimulis & Salibus volatilibus.

Balnea & thermæ, nisi præparato corpore & v. s. præmissa, irrito, si non noxie, præc. interno usu, adhibentur.

Sudores post mediam noctem, imprimis circa æquinoctia obtingentes, neque impediendi neque impellendi sunt.

In Specie.

Senum affectus, qui *capiti eveniunt*, præservantur venæ sectionibus; Catarrhales vero purgationibus.

Qui vero *pectori* etiam v.s., reseratione hæmorrhoidum perite quærenda, catharsi, cavendum a Salibus volatilibus.

Qui vero *circa ventrem inferiorem*, his conveniunt v. s. placida, alvi promotio per abstergentia, clysteres, temperata aromatica pro tono, sc. corr. chacar., cavendo aboleis destillatis.

Rhevmatico-arthriticis succurritur per v.s., vel hæmorrhoidum exonerationem, quæ per hirudines instituenda. A narcoticis ubique tibi cave.

Apoplexia, Hemiplexia, paralysis, rarissime in senibus palliationem admittunt. Quicquid bonæ spei restat, consistit in hæmorrhoid. apertione vel venæsectione & quidem præservativa.

Prægressa Intemperantia vel incontinentia circa frigus, ut & alias in ancipiti casu prodest vomitus, præmisso vel adjuncto tamen clystere acriore.

In facie colorata & vasis temporum turgentibus itidem v. s. larga.

In catarrho suffocativo v. s. & lenior alvi expertio tum aperitiva pectoris per tenuia resolutio, becchico-diuretica rad. pimp. aut in Essentia sine vehiculo.

Diæta senum sit moderate calida ex vino Zing. pip. sinapi, Sale aqua spirituosa & aromat. prudentissime usurpanda. Ex vinis pura magis quam fortia prosunt.

Vitiis a calidiore diæta ortis occurritur per Nitrum interposita laudata Tinctura, dilutione, evacuatione.

Cap. VIII.

Hiſtoria Morborum Habitualium.

HI ſunt omnia illa pathemata, quæ in diuturnam veluti conſuetudinem, vel diuturnam durationem, vel frequentem recurſationem abeunt.

Sunt vero acuti v. g. Febris Tertiana, Quartana, Eriſypelas, vel Chronici, & quidem ſæpiſſime.

A motu intercepto, interverſo, ſtataria veluti paſſione afficiunt ægrum ulcerationes vel ſcirrhi vel excreſcentiæ vel malæ conformationes ab inconveniente conſolidatione vulnerum, fracturarum, rupturarum, eroſionum, luxationum, diſtorſionum, vel occalleſcentiæ & obrigeſcentiæ ſenſibilium partium.

A motu acuto depravato vel nimis neglecto ſunt tum ſanguinis congeſtiones, ſpaſmodicæ compreſſiones ad hæmorrhagiam tendentes, tum lymphæ & ſeri ſtagnationes, manationes, ſudores.

Hinc eveniunt

Circa Caput *e ſanguinea proſapia* hæmorrhagiæ narium, vel his interceptis, dolores capitis, oculorum rubores, palpebrarum inflationes, ardores, pruritus, ulcerationes, ſquamoſæ abſceſſiones: Aurium dolores, tinnitus & ſtrepitus, parotidum tumores inflammationes, ſuppurationes: Eriſypelas capitis aut faciei.

E lymphali cenſu faciei & capitis ſcabies, lippitudines, coryza, gravedines, viſus & auditus hebetudines, (in pueris) narium & oris ſputatoriæ redundantiæ, (in adultis) tumor tonſillarum, faucium, uvulæ cum mucoſitate, ſputatione.

Infra Caput anginoſa inflatio & inflammatio faucium, ſputum cruentum, hæmoptyſis, ſicca aſthmata, ſemeſtria, verna & autumnalia, aſthmata ſpaſmodica per paroxyſmos inſultantia, tuſſes diuturnæ ſiccæ, palpitatio cordis.

Item a cauſa catarrhali raucedines, aſthmata, tuſſes humidæ, phthiſis, ſingultus.

In Ventriculo & Intestinis, vomitus, flatulentiæ, cardialgiæ, ructus; anxiæ anguſtiæ, tormina, borborygmi, volutationes veluti globorum, Diarrhœæ ſpontaneæ circa æquinoctia ſine aſſumtorum vitio invadentes. Mulierum menſium motus tam ordinarius quam anomalus: Fluor albus, Diabete.

In

In Abdomine affectus ſpaſmodici, Epilepſia, Gonagra, chiragra, arthritis vaga, paralyſis, nephritis, calculus, oedemata & tumores, Eriſypelas, hæmorrhoides, Herniæ, efflorescentiæ.

Quæ omnia, quo diutius durarunt vel frequentius redierunt, eo contumacius inſiſtunt, certius redeunt, difficilius deſuescunt.

Huc etiam pertinent ipſæ febres, præc. intermittentes, nulla vero non proportionata materia recurrentes.

Item morbi a phantaſia matris, ſym- & antipathiis vel hæreditaria transmiſſione orti.

In ſpecie congeſtiones & ſtagnationes pro ætatum diverſitate differunt.

(Familiaris tamen eſt Palindrome ad jam adſuefacta loca.)

Sic in prægreſſa aliqua ætate evacuationi cuidam aſſueti ſubſequentibus ætatibus ad alias ejusmodi excretiones, licet loco diverſo, proni ſunt: quod quidem promtiſſime fit in motibus hæmorrhagicis, quorum varia molimina vix non omnium morborum chronicorum originem exhibent.

Hinc, qui in tenera ætate narium hæmorrhagiis vexati ſunt, vel ſuccedente ætate easdem retinent, vel dolores capitis & circa caput, humeros, cervicem, ſcapulas, eryſipelas, ophthalmias, anginam incurrunt.

Aut ſuccedit proxima ætate congeſtio circa pectus, molimina hæmoptyica. Sub vita ſedentaria malum hypochondriacum & hæmorrhoides internæ, in annoſioribus externæ, & his non expedite ſuccedentibus, dolores lumborum, renum, iſchiadici, femorum, crurum, genuum, pedum.

Fit etiam, ut homines, ad hæc talia in præcedanea ætate proclives, ſed in ſubſequente per diætam, regimen (fœminæ per puerperia, mares labore) hujusmodi ſymptomata evitent, in provectiore vero ætate in otium relabantur, tunc natura molimina ſua loco ætati conformi repetat.

In prognoſi

Notandum, quod morbi hi diuturna & ſemper repetita medicatione, tempeſtiva præſervatione, regimine, provida diæta, morigero patiente egeant, ſi cura felix ſuccedere debeat.

In ſe hi morbi refractarii, diuturni & facile recrudeſcentes ſunt hinc metus difficultatis, pertinaciæ & difficilioris curationis omnibus

bus convenit, & quo diutius jam invaluerē, eo pertinacius inſiſtunt & difficilius curantur.

Imprimis facilis recidivæ metus ſemper in feliciori curæ ſucceſſu habendus.

In Therapia

Nil cito & præcipitanter agendum, ſed frequenti repetita continuata medicatione aſſuetudo contraria inducenda.

Tam præſervativo, quam curativo ſcopo efficax eſt ſanguinis imminutio per venæ ſectionem, hirudines, & ad intercipiendos decubitus catarrhales ſcarificationes, repetitæ ſuo quæque loco ac tempore debito.

Huc etiam faciunt laxationes, purgationes tempeſtivæ, clyſteres, revellentes, acres, aperientes.

Motus, (qui, correcta nondum materia, immature non conſopiatur) detinendus eſt per ſpecifica tum temperata, nervina, ſalina, nitroſa, diluentia.

Animi pathemata, ſenſuum irritamenta, præc. a tempeſtatibus, diætæ vitia, vinum, fugienda.

Staſi opponendus motus corporis, orgaſmo quies, ſtato præc. tempore.

Mutatio in corpore & animo inſignis in hujusmodi morbis aliquid mutat, unde pubertas & matrimonia (præc. in fœminis) it. vitæ genus tam in victu quam motu mutatum, mutationes inferre ſolet.

Cap. IX.

Hiſtoria morborum hæreditariorum.

FUndati ſunt in communicata agendi idea, concurrentibus tanquam cauſis materialibus plethora ejusque commotione turgefactoria frequentiore, ſpeciali directione ad utiles exonerationes & inducta jam tum viarum habitudine, tum promtitudine ad actus ſuſcipiendos.

Experientia confirmavit, a parentibus in liberos transmitti 1) corporis ſtaturam in genere, 2) lineamentorum faciei ſimilitudinem, 3) animi pathemata, 4) peculiares appetitus & averſiones variarum rerum, 5) certos motus circa negotia vitalia, ſecretorios, excretorios.

Ita

Ita dantur, qui ex utero feles abhorrent, & ſi felis dormientibus, & ſic nec ſenſus nec memoriæ compotibus, in cubiculum afferatur, æque iisdem angoribus percelli videntur, ac vigiles.

Morbi autem veri ætatum omnes ſunt hæreditarii; nempe parentes ſi in ætate aliqua morbum ætati illi congruum inſigniter tolerantes, illo maxime tempore infantem gignant, tunc infans eidem ætati appropinquans eidem morbo expoſitus erit.

Hæreditaria hæc diſpoſitio in liberis ſeſe maturius ratione ætatis, fortius ratione impetus, contumacius ratione durationis, pervicacius ratione curationis ſeſe exerit.

Et quo præmaturius oriuntur, eo certius per aliquam ætatem horum generum malitiam & pertinaciam experiuntur affectus hæreditarii.

Vix tamen eminentes aliqui graviores affectus hæreditarii in liberis familiariter erumpunt, quin prius affines quidam affectus præludant, ad illum tamen inſequentem affectum juſta genealogia pertinentes, qui interim parentibus vel plane non vel minus ſaltem evenit.

Sic e. g. a podagrico quidam natus anno circiter 20. jam hæmorrhoides perpeſſus circa 25. 26. annum ab ipſa podagra correptus eſt.

Imprimis illi, qui cum phthiſi colluctantur parentes, liberos gignunt in puerili ætate ad hæmorrhagias narium, mox ad anginas, aſthmata, tuſſes, dehinc ad peripneumonias, nonnunquam hæmoptyſin pronos, qui ſi per ſudorifera tractentur regimina, in affectus arthriticos, pleurithidem ſpuriam, per expectorantia in oppletionem pectoris, per adſtringentia in phthiſin, per opiata in arthritidem plenam facile projiciunt.

Qui tumorum œdematoſorum hæredes ſunt, his hypochondriacæ tenſiones, molimina hæmorrhoid. Icterus, colica, diarrhœæ, vel contra conſtipationes alvi pertinaces admodum mature ab ipſa juventa vel adoleſcentia præludunt; fœminis menſium fluxus perturbationes mature eveniunt.

Circa hæc mala œdematoſo-hydropica notandum etiam, quod in junioribus a pedum quidem œdematibus fiat initium, promtiſſime vero per intempeſtiva artificia, vel etiam ſpontaneas internas commotiones, e pedibus retrocedentes in viſceribus abdominis vel repentinos inflammatorios, acutos, lethales affectus ſortiantur, vel paulo languidiore affectu ἀδηματώδει hectico imo phthiſico ægros abſumant.

Et ſic liberi vel non abſolute pares, vel non exquiſite ſolos illos parentum affectus, ſed differentes & varios exhibent, genere autem convenientes.

Morbida hujusmodi diſpoſitio raro ad tertiam usque generationem admodum ſenſibiliter percurrit, longe rarius illam transcendit, cum tamen conformatio corporis longe duret diutius.

Continuant quidem nonnunquam affectus, impr. qui prolixioris & operoſioris ſunt apparatus, v. g. arthritis, phthiſis, hydrops, podagra longius, ſed tamen longe mitius, quam in primis generationibus.

Quidam etiam morborum hæreditariorum certam, ſpecialem, imo individualem retinent affectionem, ſic v. g. puer quidam uſque ad pubertatem ichoroſis cutis affectibus vexabatur, cujus matri evenerat idem.

Sic totius familiæ hominibus circa tempus pubertatis epilepſia lunaribus phaſibus reſpondens evenit, a qua per matrimonium liberabantur.

Aliquando etiam per nudum contagium communicatur affectus, v. g. podagra per ocreas aut tibialia, arthritis ab indumentis, hæmorrhoides ex culcitris, ſedilibus, ephippiis, ab ejusmodi ægris diu uſurpatis.

Qualis tamen communicatio ab hæreditaria longe differt, quod illa mox occupet, nec niſi recenter ab uno corpore ad aliud transferri poſſit, nec etiam admodum conſtantes edat effectus.

In prognoſi.

Hujusmodi affectus ſimplices & per ſe ſine hæreditaria diſpoſitione mire jam obſervantur contumaces, in quibus omnes medicationes ſunt irritæ vel etiam palliativæ, niſi vel per motum præſervationis, vel per vicarias evacuationes, vel per vera ſpecifica iis obviam eatur.

Unde tanto magis, ſi in liberos propagentur, omnem reſpuunt medelam, & paululum imperitius tractati vel longe ferocius inſurgunt vel graviores ſubeunt anomalias.

In Therapia igitur

Percuratio & ſolida in integrum reſtitutio eſt impoſſibilis.

Inde nihil cum impetu, ſed omnia blande & ſucceſſive agenda.

Tum attendatur

1. Præoccupatio antecedentium cauſarum per vicarias evacuatio-

tiones, V. S., ſcarif., hirudines, it. ſpontanearum evacuationum tolerationе, moderatione, imo provocatione.

2 Præoccupatio motuum & animi & corporis impetuoſiorum.

3. Impetus erumpentis prudens tractatio, non per repellentia, ſtupefacientia, ſupprimentia.

4. Specificorum præcipue prudens & perita applicatio. Quorum vero nulla proſtant veſtigia.

Cap. X.

Hiſtoria Morborum corruptorum.

Occaſionem his præbet vel *ægrorum* immodeſta incontinentia & ἀταξίαι, jectigationes, frigidi potus, denudationes &c. vel medicorum præpoſteræ medicationes & regimina, paroxyſmorum invadentium intempeſtiva commotione vel cohibitione, calidioribus medicamentis & regimine excitato orgaſmo, diapnoës ſpontaneæ neglectu vel turbatione per urinoſa volatilia nervino-tonica viſcera ſtringentia, promiſcua medicatione ſine reſpectu paroxyſmorum vel criſium.

Ita verſatur talis corruptio vel in alteratione, vel in evacuatione inconveniente.

Ex alterantibus

1. abſorbentium abuſum monſtravit Ettmüll.

- imprimis terrea noxia ſunt.

2. Dulcia non nimis fugienda, nec tamen iis abutendum.

3. Acida in pectoris affectibus, Spiritus ſulphuris, Vitrioli lædunt, in inflammatione pectoris Spiritus Salis ſeu Spiritus Vitrioli philoſoph. immanem tuſſim excitant. Acetum deſtillatum in affectibus torminoſis nocet. Acida fermenteſcentia in fructibus horæis primas vias lædunt.

4 Potus ſufficiens febricitantibus non negandus, nec frigidus, nec inſigniter calidus ſit. Cibi non ſunt obtrudendi, alias cardialgia, ſingultus, tormina, ſpaſmi inteſtinorum, alvi turbationes oriuntur.

5. Adſtringentia, ſe- & excretiones impediunt.

Opii abuſus & animi pathemata ſe- & excretiones varie turbant.

Ex evacuantibus:

Laxationes nocent in morbis exanthematicis, puerperiis febrem

parturientibus, imprimis ſi fœmina ad tormina & diarrhœas proclivis ſit, in affectibus pleuriticis, hectica adultiore.

Vomitus intempeſtivus, nimius, anxietates, anguſtias cardialgicas, recrudeſcentem nauſeam vomibundam, aliarum excretionum retardationem; in hypochondriacis, deliria, manioden, fœm. vomitus cruentos, in hæmoptyicis, phthiſicis, herniosis, graviſſima damna producit.

Sudorum ſuppreſſio vel violenta propulſio intempeſtiva turbat *typum* morbi, præcipue in morbis exanthematicis, febribus acutis inflammatoriis.

Hæmorrhagiarum inconveniens tractatio plurimorum morborum ferax eſt.

Sic corrumpuntur morbi *prolatatione*, ita ex acutis chronici, e tranſitoriis diuturni, e vagis fixi; vel *exacerbatione*, ubi contra ex intermittentibus & chronicis fiunt continui & acuti, ex indolentibus dolorifici &c. vel *excretionum cohibitione* vel harum *perverſione*, unde ab exterioribus ad interiora repulſiones; vel *alacritatis enervatione* vel *nimis* vehementi objectorum impedimentorum *excuſſione*, vel etiam *energiæ vitalis deſertione*, quæ omnia per narcotica facile obtinentur.

In chronicis ex non perſpecta cauſa materiali, e. g. *dolorum capitis hemicranicorum* periodicorum, a depletionibus ſanguinis aſſuefactis emanentibus, ſopitionem per *narcotica* ſequuntur affectus capitis periculoſiſſimi, paralytici, apoplectici, vertiginoſi &c.

In pectoris vitiis per expectorantia habitualis decubitus ad hunc locum, pulmonumque laxitas conciliatur.

In phthiſeos ſuſpicione travmatica excretiones minuunt, nil proſunt, balſamica calida febrem intendunt, inflammationem ulcerationi inducunt; item in Hectica.

In Therapia:

1. Ratione materiæ, ſi hac neglecta motus cohibiti ſunt, eſt illa corrigenda, expedienda.

2. Sicontra citra materiæ vitium a motuum concitationibus vel medicamentis pervertentibus ſit malum; ſubveniat medicus demulcentibus, veris anodynis ſine ſtupefactione delinientibus vel temperantibus, ardores, irritationes, colliquationes, mitigantibus vel adſtrictiones & coagulationes reſolventibus.

Mor-

Morbi tales corrupti novos ſæpe & incognitos morbos mentiuntur, ubi ejusmodi inuſitata ſymptomata ad ſimplicitatem reſtituenda, morbus rite curandus eſt.

Sic e. g. ex febris per chinam ſuppreſſione in hydropem quidam incidunt, ubi ſi, febre revocata, illa denuo per Chinam ſupprimatur, hydrops vel purgantibus oppugnetur, funeſtus ſequitur eventus.

Idem damnum infert China, dum hectica ſæpe febribus intermittentibus per eam ſuppreſſis ſuccedit, ubi per vulneraria viſcera adhuc magis obſtipantur.

Hæmorrhagiæ in corpore plethorico adſuetæ per adſtringentia ad violentiorem perruptionem diſponuntur, vel etiam nimio abuſu viſcera obſtipantur.

Si vero hujusmodi morbi jam in conſuetudinem abiere, vel partium irreparabiles læſiones fovent, ſunt illi mitigandi, præoccupandæ materiæ & occaſiones, abſoluta cura non eſt promittenda.

Tandem ubi quis juvare non poteſt, a damno inferendo abſtineat.

Cap. XI.

Hiſtoria Morborum periodicorum.

Secundum naturam occurrunt periodicæ mutationes nativitatis, dentitionis, pubertatis, auctionis in longum & latum, generandi facultatis, virium decrementi. It. generatio lactis, fluxus menſium.

Præter naturam *brevioribus periodis* revertuntur

Febres ſtatis ſeptimanis vel diebus, imo horis, quas exacte ut plurimum ſervant.

Ita *Tertianæ* omnes ante meridiem inter horas jentaculi & prandii; *Quartanæ* tertia vel quarta pomeridiana; *ſanguineæ* diluculo ſolſtitiali, ſc. 3, vel 4. a media nocte; *bilioſæ* a tempore matutino usque ad & poſt meridiem proxime, *choleriodes magis* circa ipſam meridiem vel immediate poſt.

Plurium dierum menſura revertuntur Hæmorrhagiæ, quæ ſæpe ſunt periodicæ, & affectus arthritici podagrici familiarius æquinoctia & ſolſtitia comitantes.

Ex illis familiarius tales ſunt hæmorrhoides, præcipue in melancholi-

cholicis & ſtrictioribus ſtatæ, ætati virili, vere & autumno magis: adoleſcenti ſæpius æſtate: adultiori vero magis vere, rarius æſtate evenientes.

Poſt has mictus cruentus, tum hæmoptyſis, & tandem etiam nonnunquam hæmorrhagia narium, it. conſuetæ evacuationes vicariæ, V.S. ſcarificatio, repetitionem poſcentes.

Abortientes maxime plethoricas in abortum iterum tertia, quarta vice incurrere, ſeptimanis exquiſite reſpondentibus primæ vel etiam ſecundæ periodo, idque certius, ſi priores abortus in menſtrua tempora inciderint, quotidie docemur.

Si fœminis menſtrua ſupprimantur, familiares ſunt menſtruæ cardialgiæ, anxietates, dolores circa lumbos, os ſacrum, hypochondrium ſiniſtrum, ſinum pudoris.

Quoad anni tempus circa æquinoctia vel vere vel autumno ſolemnius redeunt illi affectus, qui a ſanguinis orgaſmo dependent. It. ſirio æſtuante vel bruma vigente, ubi tamen aſthmata, catarrhi ſuffocativi frequentiores ſunt.

Ita æmulantur ſæpe periodos Tuſſes, exquiſitè vero aſthmata convulſiva.

Item congeſtiones Eryſipelatodes, phlegmonodes, Rhevmaticæ, hemicranicæ, ophthalmicæ, odontalgicæ & Iſchiadicæ.

Imprimis ſi mala ſint hæreditaria, quæ ſæpe eundem annum ſervant invaſionis, quem in parente habuere, præcipue ſi illo tempore nati ſint, quo illis parentes affligebantur.

Lunares etiam phaſes ſequuntur viſus & auditus hebetudines, tactus paralytodea vitia, rationis labefactationes, deliria, convulſiones, quæ omnia luna creſcente & ad plenilunium appropinquante ſenſibiliter ingraveſcunt.

Paralyſes & hemiplexiæ revertuntur ſæpe, & gravius quidem illo tempore, anno, quo primo invaſere.

Periodici tales affectus a ſimplicibus probe diſcernendi, & modeſta hinc & adæquata cura inſtituenda eſt, non turbulenta, narcotica.

Facilius & efficacius præſervantur, quam curantur.

Inveterati & a patheticis occaſionibus orti in paroxyſmo non ut ſimplices curandi.

Narcoſis cum ſit ſuſpecta, ſola generalis contemperatio, analepſis

pſis medica & Ethica evacuatio, placida exhalatio, præſervatio cauſarum phyſicarum & moralium convenit.

Cap. XII.

Hiſtoria morborum incurabilium.

Tria horum genera ſtatuentur.

I. *Qui vix unquam ſolide & conſtanter eradicantur*, quin longis etiam ſæpe intervallis recrudeſcant.

Videlicet illi, qui evacuationes ſanguinis ſpontaneas quantumcunque aſſuefactas pro fundamento habent, qui non niſi totius vitæ generis mutatione deſueſcunt; ventilationibus vero vicariis leniuntur tantum & differuntur, in ſolidum autem non auferuntur.

Ad horum familiam pertinent quoque reſtagnationes catarrhales aut rhevmaticæ circa caput, vielfältige Flüſſigkeiten in phlegmaticis: dolores acutiores, æſtuoſiores, frequentiores in ſanguineis magis, quæ omnia heteroclyta medicatione in ſonticas anomalias aguntur.

II. *Qui brevioribus intervallis* & gravioribus exacerbationibus *recurrentes*, ita *magis magisque inſoleſcentes, medicam opem in dies ferocius aſpernantur*, & quo ſeverius aggrediaris, eo violentius contra aſſurgunt. In quibus ambobus generibus, quanquam morbum ſuperare non detur, datur tamen eundem mitigare, frequentiam ejus præoccupare.

Hujusmodi ſunt habituales mali conatus motorii ad translationes varias, imprimis ſanguinis, tum etiam ſeroſorum apoſpaſmatum.

Sic in ſexu maſculino evacuationes ſinceræ ſecundum naturam magis alienæ ſunt; ſi tamen contingunt & vel impeditius vel impetuoſius concitentur vel excedant, vel frequentius & diutius affligant, eo citius incurabilem contumaciam acquirunt.

In fœminino vero ſexu, ſi excretiones ſanguinis conſuetæ turbentur & hæ motuum perverſiones diutius durent, aſſuetudinem non eradicabilem progignunt.

Et hæ quidem eo certius, quo auctior eſt ætas.

Sunt autem hæ hæmorrhagiæ omnes capite (vel ad ſummum pectore) inferiores, (ſi quidem hæmoptyſis mature iterum occupata non ita rariſſime poſtea quieſcit & ad ſummum ad primæ claſſis periclitationes tendit) e. g. vomitus cruentus non tam propria pertinacia, quam

ſuccedentibus inde malis, hæmorrhoides vero in ſincera ſua ſpecie ſine longe periculoſioribus malis non in ſolidum curantur.

Huc etiam ſpectant affectus hypochondriaco-flatulenti, colici, torminoſi jam habituales, it. hyſterici, ſuffocativi, ſpaſtici, convulſivi, chronici, it. arthritici, iſchiadici, gonagrici, epilepſiæ, vertigines caducæ, melancholia profundior & mania.

Similiter paralyſis fortis vel inveterata, quæ tamen in adhuc valde junioribus melioris ſpei ſunt.

Referantur huc pariter nephritis calculoſa vera, phthiſis, hectica annoſiorum & aſcites conſummatus, œdemata pedum diuturniora, imprimis in annoſioribus;

Uti & ſtrumæ, ſarcocelæ, ſcirrhi mammarum diuturni, indolentes etiam tumores parotidum, eriſypelata, rhevmata aſſueta.

In flatulentia præcipue cavendum, ſi habitualis eſt in ſubjecto annoſiore, ne calida aromatica adhibeantur, ne flatus retineantur, vel altius ſurſum ducantur, unde vere atrocia mala icterodea, aſcitica, hectica, pullulant, imprimis cavendus intempeſtivus vomitus.

Accedunt ad hanc claſſem denique ulcera tam ex- quam interna, manantia; calculus renum, mictus cruentus, ſtrabiſmus, viſus hebetudo, gutta ſerena, cataractæ, antiqua lippitudo, caries dentium, aſthma antiquum, ſtati poſt cibum vomitus mucidi, non tamen ciborum, vomitus niger in acutis & ſingultus cum perenni cardiogmo, tormina habitualia, hernia inveterata, procidentia uteri habitualis, impotentia virium & ſterilitas fœminarum, fluxus albus, ulcera, caries oſſium, urinæ incontinentia jam inveterata.

Quorum inveteratorum omnium ſpes nulla eſt.

III. *Qui nequidem mitigationem vel palliationem admittunt*, ſed quibus ægri curati citius intereunt.

Tales ſunt Apoplexia profundior & hemiplexia, imprimis annoſiorum vel ebrioſorum eorundem, paralyſis cum ſenſus & motus ablatione. Fatuitas cum linguæ parotide, difficultate imprimis ebrioſorum. Gutta ſerena. Paralyſes particulares annoſiores & annoſiorum. Cancer occultus vel ulceratus, ſphacelus membrorum a fractura, ruptura, ulceratione, morſu, globis tormentorum, aridurae & impotentiæ, ani fiſtulæ & perinæi.

Mitigatio non inſtituenda eſt per narcotica.

Vicariæ proſunt ſervitutes, V. S. ſcarif. hirudines, menſes pro-

mo-

movendi, fonticuli, vesicatoria, setacea, balnea, thermæ prudenter adhibendæ.

HISTORIÆ MEDICÆ
PARS SPECIALIS.
HISTORIA AFFECTUUM ET MORBORUM SINGULARIUM.
SECTIO PRIMA.
ANOMALIÆ PULSUS,
SCILICET
HISTORIA FEBRIUM.
CAP. I.
Historia Febrium in genere.

QUoad *subjecta* notandum, quod febres non tam facile & crebro uni eidemque homini per totum tempus vitæ eveniant, præcipue diversarum specierum. Sunt vero ad eas proclives plethorici sanguinei, cholerici, minus melancholici & phlegmatici; Magis juvenes & adolescentes quam seniores, inprimis ad acutas: Seniores enim magis quartana, hectica, lenta afficiuntur. Inclinant etiam ad febres illi magis, qui animi sunt activioris & ad iram aut terrorem proni.

Historia vero *symptomatum* exhibet sensibiles alterationes circa *actus vitales*. α. Appetitus vel languet, vel omnino quiescit, vel nausea succedit. In quibusdam, v. g. in quartana, fit appetitus major nonnunquam, imo nimius, certis etiam insolitis eduliis intentus.

β. Concoctio & distributio ciborum minus succedit, & minimo excessu vel quantitatis vel qualitatis ciborum turbatur; carnes difficilius, vegetabilia facilius fert. Cibus vel perperam ingestus cardialgias, vultus deformitatem, frigus extremorum, sudores anxios,

frigidos, virium jacturam, morbi denique totius pejorem succeſſum progenerat.

Præterea ſunt in febre alterationes ſenſibiles *motus ſanguinis*, tum pulſorii, tum tonici reflui; aut alterationes ſaltim. Quod apparet ex viſu vel ſtrictiore & veluti emaciato; vel magis relaxato rubicundo pallido decolore; Nec non ex celeriore pulſu, laborioſiore & frequentiore reſpiratione. Ab hac celeritate & frequentia pulſus proveniunt alterationes caloris, coloris, dolorum, inflationis aut exinanitionis vaſorum. A toni alteratione procedit horror, rigor cum inſequente æſtu.

Has alterationes comitantur valde ſenſibiles *actuum animalium & rationalium* confuſiones quaſi, ſeu magis alterationes; ſiquidem ſenſus externi omnes magis intenduntur, guſtus depravatur, tactus nunc frigore, nunc æſtu percellitur, quies & ſomnus ceſſant, languor & faſtidium movendi corpus occupat. Animam vero impotentia & faſtidium cogitandi obruit. Si intenta cogitatio paululum urgeatur, ſequitur tam vitalium, quam animalium actuum vix reſtaurabilis ac fere lethalis enervatio. Adſunt etiam inſomnia turbulenta, delira.

In his alterationibus febrilibus motus vitalis notantur diverſa *tempora* & ſtatæ periodi. Initium eſt primus paroxyſmus & febris inſultus; Hoc per opportunam evacuationem materiæ morbiferæ tota febris in herba poteſt ſupprimi, quod alias noxium foret conamen. Incrementum eſt, dum virium lapſus, anxietas, æſtus, cephalalgia, ſitis continuant. Status eſt, ubi hæc omnia ſymptomata *ἀκμὴν* ſunt nacta. Declinatio eſt, cum ſub motibus & temporibus criticis hæc omnia fiunt tranquilliora & tolerabiliora.

Obſervantur inſuper notabiles alterationes *excretionum*. *Urina* loco citrini offert aurantium colorem, imo magis rutilantem, dum calet. Refrigerata evadit plane turbida, vel deponit ſub declinatione ſedimentum, aliqua ſuperſtante urina quodammodo pellucida. Hoc ſignum eſt ſalutaris eventus, ſi vero deficit, funeſti. *Sudor*, ſi legitimo tempore ſub paroxyſmorum remiſſione prodeat, bonum, & regimine quieto, temperato promovendus. Si vero ante hoc juſtum tempus vel ſponte vel arte prodeat, perturbationem indicat & malum præſagium adfert. Ejus emanſio trahit poſt ſe in acutis anxietates, æſtus internos, virium dejectiones graviores, deliria, convulſiones, mortem: In chronicis vero diuturnitatem aut tranſitum in acutas. Excretio *alvina* & *emetica* in certis ſolum febribus contingit; uti

diar-

diarrhœa in malignis, vomitus in tertiana, utrumque in biliosis. *Hæmorrhagiæ* denique vel in primo conatu, vel ultima crisi a natura instituuntur.

Ejusmodi vero excretiones convenientes succedentes sequitur *euphoria*. Defervescit caloris impetus, quies redit & alacritas animi. Paroxysmi decrescunt, & licet tempus revertendi servent, minus tamen impetuose exardescunt, breviore tempore durant, donec paucis paroxysmis, quibus per dictas excretiones restitans materia excutitur, sanitas restituatur, & quidem eo firmior & evidentior, quo magis critice illa excussio perpetratur. Unde omnis exacerbatio remittit, pulsus in ordinarium rhythmum redit, uti & animi alacritas, securitas, somnus, appetitus. Cessat immodica sitis fatigatio, virium delassatio sentitur quidem, sed somno ac cibis facile resarcitur. Talis ante criticum diem mutatio in melius, cum per se plena periculi sit, tanto magis anceps & sæpius funesta evadit, secura negligenti tractatione.

Ante criticos vero dies, si ejusmodi remissio obtingat, periculum designat, nisi critico tempore confirmetur; imo intermittentium præmaturæ cohibitiones malæ sunt consequentiæ.

Inde patet, quod omnis generis febres frequentissime restituantur sine ullis medicamentis, sola abstinentia & quiete, animi tranquillitate, spontaneis evacuationibus, convenientibus febris indoli, scil. per sudores, diarrhœas, vomitus, urinam; & quidem hac *naturæ medicantis* methodo æque certe ac secure, quam externa medicatione maxime vulgari heroicarum commotionum. Imo in futurum hæ medicationes internæ promittunt usum, dum corpora non adeo valetudinaria, si tantum rite procedat febris, viresque modeste recolligantur, non modo pristinæ sanitati restituantur, sed novum vigorem recuperent. Contrarium v. evenit subjectis nimium valetudinariis, maxime quæ pectoris vitiis, insignioribus capitis turbationibus, hepatis læsione &c. laborant. Hæc facile sanguinis intensiorem commotionem incurrere possunt, & hectici, phthisici, ascitici evadere. Maxime si sint seniores, aut minus vegeti. In aliis sæpe lucta febrilis periculosas dispositiones corrigit.

Externa medicina sine aut contra has internas luctas nil valet, experientia uberrima teste; præsertim vero si motus febriles, calor, excretionum molimen, periodica exacerbatio &c. turbetur, gravior redditur morbus & æger in vitæ periculum conjicitur. Nulla vero

medicatio ante & ſine ſtata periodo, excretionum ſucceſſu &c. febrem invertere valet,

Unde plures febricitantes ſine Medicis convaleſcunt, quam per Medicos.

Cap. II.

Hiſtoria febris Epidemicæ, malignæ in genere.

INdoles febrium continua ſtatim innoteſcit, ſi æſtus in primo paroxyſmo plurimum ultra 12. imo 16. horas duraverit.

Uti febri in genere competit certa temporis ratio, ita inprimis acuta habet ſtata tempora exoriendi, increſcendi, ſubſiſtendi ac remittendi.

Recte vero decurrens talis febris habet evidentem ſanguinis commotionem, & conſequentis caloris p. n. viciſſitudines.

Tendit ad eccriſes vel ſucceſſivas lenes diapnoicas; vel conferras exanthematicas aut criticas.

Acuta ſtata commotiones excretorias ſanguinis non habet, niſi in principio, aut ſub declinatione circa dies criticos.

Habet manifeſtas alterationes urinæ: Bene enim decurrens diebus ſtatis indicia alterationis urinæ exhibet, concoctionis, turbationis, ſedimenti; ſi vero nihil mutentur, aut mutatas denuo crudæ ſequantur, malum eſt.

Magis vero & utilius acuta tendit ad excretiones periphericas, quam ad introrſum ſpectantes, non tamen niſi ſtatis temporibus & gradual augmento in diaphoreſin tendit.

Sine ſufficienti tali & tempeſtiva diaphoreſi tendit in lentam, ſuccedentibus ſudoribus colliquativis.

Si talis febris criticis ſuis temporibus exactius incidat in lunæ duas præcipuas mutationes, novi- & plenilunium, inprimis poſterius, eſt longe periculoſior, quam extra hæc.

Epidemica dignoſcitur ab acuta benigniore ex frequentia ægrorum, convenientia item modi invadendi ac ſymptomatum.

Omnes tales febres aliquid monſtri alunt ſive malignæ ſunt, licet benigniores typos ſimulent, unde etiam ex tertianis epidemicis multi moriuntur.

Notandum quoque eſt, quod tales ordinarie continuitatem exhibeant quantumcunque etiam diſſimulatam, ut & ex uno typo in alte-

alterum ruant, curatæ quoque facilime recidivent, aut in lentas imo hecticas abeant.

Reſpondent vero typis communiter illi anni tempori, in quod incidunt, convenientibus; ſcil. vere tertianario, autumno quartanario, vere adultiore pleuritico, autumno humidiore catarrhali, tuſſiculoſo, æſtate dyſenterico &c.

Hiſtoria *therapiæ* in epidemicis malignis damnat regimen & medicamentum æſtuoſius, æque ac adſtringens terreum.

Pariter venæ ſectiones, refrigeria, opiata, purgantia; laudat contra materiæ tenuis putredinoſæ halituoſam excretionem, ſub motibus & temporibus criticis promotam per alex. præcipue colliq. Nitroſa, acida, aqua diapn., interpoſitis anal. ſacchar. diluentibus: regimen vero placidum quietum contra jectigationes inquietas commendat. Uti & convaleſcentiæ tale contra aeris injurias cum alex. continuatione refracta præcipit.

Cap III.

Hiſtoria Petechialis Malignæ.

INter circumſtantias hujus febris, & quidem ſibi relictæ, non perturbatæ, occurrentes eſt inprimis ſingularis *exortus* ratio, quod ægri primo *catarrhali* moleſtia afficiantur, tuſſi non adeo ſicca, gravedine capitis, coryza, cum torpedine membrorum, ſicut in contagioſa catarrhali fieri ſolet coryza, quod tamen contagium certa anni, aeris, temporisque conſtitutione ſegneſcere videtur, ut hinc 3, 4. ſeptimanarum intervallo corripiantur aliqui ex illa familia, in qua antea quis hoc morbo decubuit, maxime vero autumnali humido tempore ita ſe gerit hæc febris, ut ægri per plures dies gravedinem, coryzam, branchum, tuſſim invicem ſuccedere experiantur, qui affectus ex improviſo cohibiti, aut non libere ſuccedentes hanc febrem poſt ſe trahunt, concurrente languore, torpore, a peripheriæ ſtrictura pendente, imo actuali horripilatione, maxime ſub aura liberiore.

Quod de epidemicis modo in genere relatum de earum typo cum *anni tempore* reſpondente, illud in hac febre repetendum, quod ſub vere pleuriſes, aut tertianarias mentiatur; Martio, Aprili, Majo, Junio calidioribus, cauſos, cholericas, cardialgicas; Julio, Auguſto dyſentericas; Septembri, Octobri catarrhales; quæ vero ex ſolo contagio ſub naſcuntur, ſine tuſſi prodeunt,

Tem-

Tempus Invaſionis eſt veſpera, hora 5, 6. cum frigore horrido, imo & rigido, concurrente tenſione in dorſo dolorifica, ubi nec pedes tibiæ ſenſu ſtringente premente carent. Nec durat per æquale tempus hic horror apud ſingulos, raro ultra dimidiam vel integram horam excedens.

Succedit *calor* ſatis *fortis* cum *anguſtia* & anxietate præcordiali, minime tamen nauſeoſa & vomibunda, niſi forte in individuis, & his quidem pauciſſimis. Durat æſtus (pro menſura plethoræ præcipue dimetiendus) per horas multas ac totam fere noctem, ita ut primis maxime paroxyſmis vix in ſequentis diei horis matutinis notabiliter intepeſcat, ſed calor usque ad novam exacerbationem ſatis & patienti gravis & tangentibus obvius maneat. *Sudor* vero in his primis paroxyſmis vix niſi ſummo continentiæ regimine quieto ab omni jectigatione alieno, & quidem declinante paroxyſmo mane ſentitur, & quidem ſubtiliſſimi halitus forma: quod ſi fiat, inſequentium paroxyſmorum inſultum mitigat.

Hæc *exacerbatio*, ſine tamen frigore, repetitur die ſecundo eodem, quo pridie invaſerat, veſpertino tempore, durans per æque longum tempus, imo fortior ſæpe eſt, donec verſus meridiem usque ad veſperam iterum paululum remittat. Sicque durat in ſequentibus diebus, imo in paroxyſmis usque in diem quartum, ingraveſcendo magis quam decreſcendo. Reliqui vero poſt diem quartum paroxyſmi non ſolum nihil augeſcunt, ſed potius, ſiquidem cætera bene ſuccedant, ad ſenſum miteſcunt.

Ulteriore recrudeſcente paroxyſmo delaſſatio, dolores capitis, tuſſis magis *increſcunt*, & quidem *tuſſis* vel maxime, dum multi ante paroxyſmum nil tuſſiant, redeunte vero exacerbatione, ſumma tuſſi corripiantur, indeque eo pejus afficiantur. Imo ſæpe tuſſis index eſt paroxyſmi redeuntis.

Sub hoc rerum ſtatu eſt quaſi characteriſma ſpecificum ſumma *laſſitudo* gravativa, als wann alles zerſchlagen wäre; irrequieta artuum motitatio, vel etiam vibrationes in artubus mediis, imprimis ulnis & ſuris, uti & in dorſo a ſummis ſcapulis ad infimos lumbos in adultis; in infantibus ex horum motuum exacerbatione convulſiones, pavores in ſomno, initio præſertim, incremento, & primis ſtatim diebus ſuboriuntur.

Somnus abeſt, ſine tamen conſpicua hujus defectus cauſa. Neque enim tam ſenſibilis eſt æſtus, neque tam vehementes dolores, quibus ſomnus auferri poſſit, imo frequentes nullum penitus nec

corporis

corporis nec capitis indicant ægri: nihilominus de somno vix cogitant per multos dies; aut certe leviter saltim dormituriunt, quando dormiunt. Nec etiam incommodo inde, nedum damno afficiuntur, a delirio & stuporibus alieni, inprimis si tranquillam & patientem mentem servent. Si medicamentis sollicitetur somnus, gravis est, morbumque magis turbans.

Occurrunt vero nonnunquam aliqui, maxime juniores, qui in statu morbi somno potius quam vigiliis laborant, quod vix non pro comate somnolento haberi posset, nisi & ad poscendum potum & excretiones perpetrandas sponte evigilarent, quibus peractis statim iterum in somnum relabuntur, & illum quidem non anxium, suspirioſum, sed naturali non absimilem & satis æqualem sine jactatione, quiritatione, suspiriis: Hi sine ullis peculiariter contra hunc affectum remediis directis, sed illis tantum, quæ ipsi morbo destinantur, ad se redeunt.

Cephalalgiæ vix unquam tanto impetu ægros angunt, ut ipsis directe remedium necesse esset, neque graviora symptomata post se trahunt. Illud tamen non omittendum, quod illi ægri, qui notabilioribus capitis doloribus afficiuntur, communiter minus periculosi deprehendantur, quam isti, in quibus inprimis plane nullus in capite sensus molestus occurrit. Sicut in genere notandum, ubi ægri nullius morbi sibi conscii esse videntur, licet de reliquo mente constant, præter lassitudinem insignem, appetitum plane deficientem, somnum nullum aut levem &c. quod ibi ordinarie maximum soleat esse periculum.

Exquisita ordinarie in hoc morbo est *inappetentia.* Nausea vero, nisi ad cibos capiendos persuasis aut coactis nulla est positiva: nulla etiam ad vomitum inclinatio nisi in individualibus forte dispositionibus, & ventriculi statu jam magis ante morbum onerato; & quidem exemplis satis raris.

Plerique *sitim* quidem satis sentiunt, non tamen adeo enormem. Sunt alii valde quidem sitientes, sed cerevisiam, alias usitatam quidem, respuunt. Imo non desunt, qui fastidio quodam non solum cerevisiæ, sed & aliorum decoctorum afficiuntur. Quo magis autem sitis deficit, eo pejoris ominis res est. Potus aqueus tepidus nil facessit negotii, licet etiam largus sit; qui calido potui sunt addicti, illi utiliter talibus uti pergunt.

Interea ægri notabile corporis decrementum ſive *contabeſcentiam* incurrunt ; licet in hac febre (uti in aliis quoque lentis, vel vere & pure talibus, & non ſpecifice hecticis) nihil adeo magni periculi alit talis tabes, cum ſuperato morbo facile florem corporis recuperent ægri.

Durat hæc febris usque in diem 7, 11, imo interdum ad 12. ubi ſæpe concurrens ſpecialis dolor tendens, trahens dorſi artuumque, præcurſor eſt *macularum* erumpentium, & id quidem ſæpe 4, 7. die, imo initio, ſed non niſi paucis individuis ; erumpunt quidem diſperſæ per corpus, magis vero circa artus, pectus, ſcapulas, non æque in facie & abdomine conſpiciuntur. Poſſunt etiam exaſperari & exaggerari, uti variolæ & morbilli ; imo benignior earum conditio, medicationum fortiorum interventu, præter ſolitum exacerbari & angeri poteſt. Interdum puſtulæ, ex ipſis maculis apparent, wie Hirſe-Körner. Si paucæ, emergunt communiter : ſi multæ, moriuntur. Hæ maculæ ſunt quidem huic febri & quidem ſoli propriæ, ſed tamen non perpetuæ, unde magis petechizans nuncupari poterit. Neque tantum ſunt ſymptomaticæ, ſed criticæ, quamvis non exquiſite criticos dies imo horas ſequantur ; eccriſin tamen utilem habent, inprimis ſibi relictæ, decenter expeditæ magis quam promotæ, non vero intempeſtive retardatæ. Quique methodo leniore, naturæ convenientiore tractantur, illi rarius, parcius, pallidius maculas ſuas exhibent, criticis quidem aut certe proximis temporibus. Cum diverſis methodis copioſius, impetuoſius, imo præmature, aut juſto tardius prorumpunt. Maculæ, quo tardius circa 7. diem erumpunt, eo melius, quo vero citius, eo magis vagæ & periculoſæ ; ſi nimis copioſæ uno mpetu prodeant, plerumque funeſtæ ſunt. Maculæ roſeæ aut pallidiores, rubellæ tamen & floridæ, meliores ſunt, quam obſcuræ, lividæ. Perſiſtunt 3, 4 dies & evaneſcunt iterum ſenſim. Maculæ, quæ poſt 7. diem erumpunt, ſi nil levant, nil boni ſperandum, niſi die 3. poſt appareant in maculis puſtulæ ſive *purpura alba*, ubi iterum bona ſpes affulget. Ita Purpuræ ſucceſſus ſæpe expectandus, ſi petechias nec melioratio nec deterioratio ſubſequatur, licet tales efflorescentiæ cum gravioribus anxietatibus & virium jacturis ingruere ſoleant. Quod ſi vero talis purpura una cum petechiis appareat, periculoſum eſt, & ſubeſt plerumque impulſus diaphoreticus. Si poſt maculas 3, 4. dies prodeat, omnia tranquilliora evadunt. Diarrhœa poſt purpuram, petechias non recte ſuccedentes inſequentem utilis eſt.

In

In genere hic de *diarrhœa* in tali febre experientia docet, quod circa ſtatum & declinationem eveniens plus commodi quam damni adferat; Alvi contra adſtrictio plus damni quam commodi. Unde nec ſiſtendæ diarrh. ſed Nitroſorum & alex. uſus iterandus. In principio ſolet tamen ambigui eventus eſſe diarrhœa. Obſtructio vero ſymptomata cætera auget, delirium, aphthas &c. accelerat.

Aphthæ & prunellæ ſunt familiares huic febri, maxime ſi alvus ſit adſtricta, ſi inſoleſcant, funeſtum indicium exhibent, inprimis ſi ad aliquot dies invaluerint; wenn der Hals in 2. Tagen gelb wird, gelb Waſſer abſtreichen kan der Pinſel, und in den oeſophagum zu ſehen iſt.

Hæmorrhagiæ ordinariæ nec criticæ haud eveniunt. In principio debilitatem majorem, mentis abalienationem, anginas mature adducunt cum vagis præcordiorum anguſtiis. In eodem ſtatu etiam excitantur in ſtatu, maxime ſub alvi ſiccitate.

Sudores largi ſalutares raro ſunt. Quo minus vero mador halituoſus exit, eo æſtus gravius & diutius affligit, cum majoribus anxietatibus, agrypnia, mentis confuſione, alvi ſiccitate &c. In moderate calido ægrorum regimine quarto ad minimum die & ſequentibus paroxyſmis inter horam matutinam 4. & 7. lenis erumpit ſudor, non ſine notabili levamine. In quibus materia majoris corruptionis abundat, in illis ſæpe talis halituoſa excretio ſucceſſu continuo gaudet, magis tamen tepeſcente paroxyſmo prodiens. Regimen tamen ultra frigoris excluſionem non debet extendi. Tale qui cum continentia quieta excuſant aut quasdam corporis partes denudando refrigerant, hi mox aphthas periculoſas incurrunt & quidem eo maligniores, quo impetuoſiores ingruant. Contra qui in anxio nimis calore continentur, illis in principio quidem magnam proliciunt ſudoris copiam, cum inſigni debilitatione. Si vero hic ſudor in morbi augmento pertinaciter ſupprimatur; ſymptomata exacerbantur, petechiæ monadicæ, inconſtantes, diſperſæ micant & iterum recedunt cum fatali exitu morbi. Faucium inflammatorium vitium ſuccedit cum funeſta cataſtrophe, quam in Plethoricis incondita regimina una cum fervidis medicamentis accerſunt.

Urina eſt rubella, quæ vel talis manet, nec niſi in lentam craſſitiem mutatur, vel poſt refrigerium turbatur, deponit conſiſtentiam lacteo-roſeam, levi flavedine pallentem, & ſimul vitrum, in quo hanc mutationem ſubiit, alba cuticula imbuit.

Differentia hujus febris a *caſtrenſi* non eſt in eſſentia, ſed quoad

acci-

accidentia & quidem I. quoad regimen in nuditate, frigore, aëris, tempeſtatum injuriis expoſitum, decubitusque in nuda humo, æſtus diurnus accedens inæqualitatem auget. In potu nullum regimen. II. Quoad diætam prægreſſam occurrit inopia, cibi ſitu confecti, nunc vero luxus; aqua fæculenta, impuræ cereviſiæ, vini & ſpirituum ardentium abuſus. III. Quoad medicationem occurrunt tot monſtra, maxime diapnoes defectus vel exceſſus; uſus opiatorum, emetiorum, V. S. &c.

Quoad *exitum* hæc febris ſibi relicta eſt lenis & in ſuo genere lenta, nec ad peracutum ſtatum proclivis. A nulla evacuationis commotione incipit, nec cum tali deſinit ordinarie, niſi quod ad diarrhœam in ſtatu inprimis ſeneſcente facile inclinet. Unde ægri febre hac placide laborantes, certius evadunt; qui vero aliis evacuatoriis commotionibus corripiuntur, peſſime habent & vitæ periculum incurrunt.

De Exitu quoad *medicationes* varias etiam diſci poterit, quod quantum ſcil. hæ a placido æquali decurſu aberrent, tantum a leniore exitu recedant.

I. *Vomitoria* in primo principio ſubjectisque robuſtis ſunt quidem adhuc tolerabilia. Quod ſi vero æger, maxime fœmina, a primo paroxyſmo gravius afficiatur, vomitus vero lentius ſuſcipiatur, alvo maxime ſicciore, accedunt in ipſo vomitu enormes anxietates cardialgicæ, & typus lenior febris in turbatiorem ſtatum dejicitur. Licet etiam notabile damnum non poſt ſe trahat, tamen vires magis deficiunt, nec emolumentum ſingulare inde prodit. Circa criticos dies ex levi cauſa revocantur vomitus, omnem reliquum progreſſum turbantes, facileque funeſtum exitum adducentes.

II. *Purgationes* pariter hanc typicam febrim initio turbant, maxime diapnoicam diſcuſſionem revocant.

III. *V. S.* in vere non adeo abſolute, æſtate vero ac hyeme, nec non autumno certa mors eſt. Non habet uſum nec neceſſitatem: imo nunquam ſine periculo eſſe ſolet. Siquidem die 7, 9, 11, incompletam congeſtionem hæmorrhagicam ad caput attrahit, quæ erumpere per nares neſciens fauces occupat, aphthas producit, nec non ſtagnatione ſanguinis intra caput cum delirio, comate, lethargo inde ſuccedentibus ægrumque jugulantibus. In tali ſtatu ſi hæm. narium venæ ſecationem admiſſam ſubſequatur, in aliquibus ſpes adhuc emicare videtur.

De

De *ſudoribus* jam quædam dicta ſunt. In principio præmaturi ſunt & typum turbant; facileque vel colliquativos vel ſuppreſſiones cauſantur. Si vero die 7. 8. ſudor fervidis medicamentis urgeatur, ſaturatæ exeunt maculæ, raro felicis eventus futuræ.

Inter *juvantia* vero commendat experientia ea, quæ cap. præc. fini ſunt annexa. Febrem ſcilicet leniter ſuccedentem expectare, adjuvare, congruo maxime tempore, critici motus. Commendat præcipitatio, colliquantia ſcilicet abſorbentia acido citri, tartari ſaturata nitroſa verſus paroxyſmum. Alexipharmaca eo exeunte. In infantibus tenuiora diapnoica; in maribus acida nitroſa interpoſitis alexipharmacis. Absque prudente harum methodorum adminiſtratione præfert abſtinentiam & expectationis curam.

Cap. IV.
Hiſtoria Pestis.

In multis convenit cum febre petechiali. Pathognomicum vero ſignum conſtituunt bubones & anthraces, pluribus maxime tali febre decumbentibus evenientes. Præcipue notanda harum ſumma malignitas, maxime anthracum lethalis eventus, & valde præceps ad ſphaceloſam corruptionem & gangrænoſam præcipitem diffuſionem diſpoſitio, cum magnis anxietatibus, doloribus, lypothymiis &c. In quo gradu alii tumores bubonodes diſtinguendi ſunt.

Eventus Peſtem characteriſat qui ſcilicet familiariter apud plerosque lethalis. Quem neceſſario in limite febrium præcedit ſumma virium proſtratio, virium dejectio, trepidatio, ſtupiditas obli vioſa ſui ſuorumque negligentia, imo præceps funeſti eventus mentis præſagium. Apud alios ſunt præcipites ſymptomatum motuum febrilium exacerbationes, ſine ulla cauſa manifeſta, ſine proportionato effectu.

Invadit cum ſumma anxietate præcordiali, dolore ſpaſtico in dorſo & artubus, repentina debilitate, vertiginoſa turbatione &c. quæ repente modo dicta phænomena preſſo pede inſequuntur.

Veterum recentiorumque ſcriptorum monimenta de ſævitia hujus febris, longe lateque panicum omnibus terrorem incutientis, qui perluſtraverit, facile erit judicare, quo fundamento nitatur erroris haud vacua illorum opinio, qui peſtilentiſſimi hujus morbi indolem longe aliam ac hodie fuiſſe arbitrantur.

Uti enim dubio vacat, illam nonnullis ſymptomatibus aliquando variaſſe, aliumque ſimulaſſe genium; ita hoc accidentaliter tantum ſecundum loca, ſubjecta, tempus &c. diverſa contigiſſe, eſſentiales aut circumſtantias ubique utplurimum conſpiraſſe, neminem, qui paulo attentius omnia perſpicere non pigratus eſt, fugiet.

Omnium igitur conſenſu

1. Peſtilentia non ſigillatim aliquot ſubjecta, ſed incredibili celeritate totam urbem, imo regionem invadit, per aliquot menſes furit, tandemque remittit, per dimidium vel totum ſæculum ſæpe non rediens.

2. Homines a Peſte correptos compluribus ſymptomatibus obnoxios eſſe, quæ febrem petechialem comitantur, licet hic gradu multo vehementiore.

3. Quoad anni tempus plerumque æſtatem ſervavit, quoad ſubjecta velocius aggreſſa eſt & in mortis periculum adduxit juniores, robuſtos, plethoricos, calidioris habitus; uti & inter bruta (teſtantur hoc relationes ex Italia) pinguia & nitidiſſima proſtravit, non item macra, ſtrigoſa.

4. Invadit cum doloribus capitis, ventris, dorſi, intercurrente frigore & horrore, vertigine, (Düſterkeit des Haupts, daß ihnen grün und gelb vor den Augen werde,) quæ dolores magni præcordiales, calor diverſi gradus, pulſus inordinatus, plerumque lentus & debilis excipiunt; ex quibus omnibus cum inſigni patientis debilitate & univerſali contagio morbus hic cognoſcitur, præſertim increbeſcentibus conatibus illis vomibundis anxiis.

5. Poſtridie augeſcunt ſymptomata usque ad mentis perturbationem,& quidem eo vehementius, quo diutius ſe- & excretiones retardantur; ubi vomitus vehementiores, diarrhœa, hæmorrhagiæ enormes, lethargus, convulſiones, ſyncope accedunt, imminentis mortis prænuncii, antea tamen plerumque ſudores multi colliquantes, lividæ, fuſcæ, nigræ maculæ & anthraces erumpunt.

6. Quod ſi vero tempeſtiva, quieta & lenis diapnoë dies 3, 4, uti & bubones in locis glandoſis, parotidibus, poſt aures, ſub axillis, in inguinibus &c. ſuccedunt maturationi non difficulter obſequentes, intra 8 dies morbus minui & optato cum exitu terminari ſolet.

Recenſitis circumſtantiis univerſalibus in omni peſtis genere plerumque ſeſe ſiſtentibus, ſequitur, ut particulariores quasdam ſecun-

cundum naturam ſubjectorum, rationem curationis &c. enumeremus.

1. Urina non minus quam pulſus magnopere variavit. Urina flava, nigra, obſcura, rubra, mali; viſcida (leimicht,) fauſti ominis.

2. Ex Polonia nunciatum eſt, fœminas juniores, juvenculas, plurimum omnium peſti ſuccubuiſſe, quemadmodum & olim ab hac graſſante juniora & florida ſolum ſubjecta jugulata & extincta fuiſſe (unde & ſingulare nomen meruit) memorant obſervatores.

3. Varia temperamenta etiam varia in ſymptomata incurriſſe narrantur. Unde ſanguinei vehementes dolores, deliria, debilitates, ſudores, hæmorrhagias &c. cholerici vomitus impetuoſiores, diarrhœas, fortiora deliria & hæmorrhagias; melancholici majores anxietates, dolores, debilitates, minus ſudores: phlegmatici lethargum, dolores aruum, vomitus ſuſtinuerunt.

4. Imo huic temperamentorum diverſitati diverſus quoque reſpondit exitus. Unde cholericis facile erumpebant petechiæ cum carbunculis; ſanguineis petechiæ cum bubonibus; phlegmaticis bubones lenti prodeuntes, nec ita peſtiferi; melancholicis bubones cito & facile exeuntes, imo tales ſua ſæpe conſtitutio a contagio præmuniit; uti & podagrici, calculoſi, hectici maximam partem ab hujus febris inſultu liberi notabantur.

5. Peculiaris & rara eſt circumſtantia, unum ſubjectum bis a contagio mortis periculum ſubire. Illa frequentior eſt, quod febres catarrhales malignæ (rarius vermium excretiones, item contagium in bruta ſæviens) præceſſerunt, gravidæ facile abortierint &c. nonnunquam dyſenteria peſtem inſecuta obſervatur.

6. Perniciosiſſimam putredinem ab hoc morbo illatam oſtendunt partim in corpore vivo ſudores putridi fœtentes, petechiæ nigræ & anthraces celerrimæ, putrefactiones ſphaceloſæ, partim in cadavere intumeſcentia veloci putredini obnoxia, it. petechiæ nigræ inteſtina, uterum, viſcera obſidentes.

7. Ita & ejusmodi putredo ad fatalem prognoſin tendit & indicatur per ſudores ſumme colliquativos, fæces nigras, horrorem poſt ſopores, Leipyriam, tormina ventris, ſubitaneam apparentem melioration em &c. ſicuti & hoc in dyſenteria ultimæ & internæ putredinis ſignum habetur, ut taceamus vermium dejectiones, quod veteres jam internæ corruptionis productum exiſtimarunt.

Cap. V.

Hiſtoria Variolarum & Morbillorum.

NOvam Europæis morbi *ſpeciem*, uti petechiæ & lues venerea, aliqui eſſe putant variolas, cum orientales medici nil de eo ſcriptis prodiderint, maxime ex *Africa* ad nos delatam, cum nigris cutaneus talis affectus per omnes ætates valde ſit familiaris, utpote forte ex diurno æſtu & nocturno frigore oriundus.

Sanguinis menſtrui impuritatem male incuſant alii, cum & gravidæ menſtruatæ prolem varioloſam edant. Certum manet, quod omnis homo ad hunc morbum ſit diſpoſitus, ita ut etiam in provectiorem usque ætatem a contagio immunis non maneat. *Infantilis* & *puerilis* ætas facile occupatur. Nec facile bis afficit homines, ut fœminarum traditio habet, quod qui in plantis pedum nullas gerant, altera vice hunc incurrant morbum.

Adultioribus majus afferunt periculum. In omni vero ætate facile in progreſſu ſuo turbantur, licet nullum poſtea ulceroſum veſtigium relinquant; nec per ſe tanti periculi eſt, exemplo plebejæ experientiæ, niſi ab adventitiis cauſis id inferatur.

Servant variolæ, imprimis in progreſſu ſuo, ſtatam *periodum*; eruptionis a 3 ad 7 diem; a 7 ad 11. diem maturationis; ab 11 ad 14 deſiccationis. Sine typis tamen decurſus abſolutis.

Invaſio prima fit ſine horrore aut frigore notabili; ubi vero tale quid, uti & pulſus ataxia, motus convulſivi concurrunt, deterior utique eſt prognoſis & metus inflammatoriæ invaſionis in aliquo viſcere.

Oritur poſt meridiem maxime *languor*, *laſſitudo*, *calor* ſat levis, *capitis turbatio* gravativa, vertiginoſa, quam notabilis dolor, ciborum faſtidium, imo apud multos *odor amarus* & adverſus, rarius nec valde utiliter vomitus.

Multis teneriorum juniorum eveniunt tormina in abdomine, quæ tamen, niſi vermium proventus adſit, parvæ ſunt conſiderationis.

Concurrunt hiſce plerumque *tuſſis* & pectoris quidam infarctus, dolor dorſi tenſivus & leviter punctorius.

Convulſiones ſub eruptione ſæpe accedunt, ſed non frequenter aut neceſſario; quo minus tamen vehementes frequentes ſint, eo

eo minus ſubeſt periculi, præſertim in ſubjectis jam ad eas quaſi adſuetis.

Tertio die vel quarti initio erumpunt *puſtulæ*, primo exiguæ, milii inſtar cum rubore ambiente, augeſcunt tamen pedetentim, ut magnitudinem ciceris, imo minimi piſi adæquent.

Turgent ſemi-pellucido humore, qui ſenſim 2, 3, dierum ſpatio magis magisque ſpiſſeſcit, & purulentam conſiſtentiam inducit.

Durat itaque eruptio a die 3. ad 7.

Fit eruptio ſine inſignibus alterationibus *febrilibus*, ſine excretionibus multis ſudorum.

Si eruptio ſimul & ſemel ante 3. 4. diem *feſtinato* contingat, vel ex nimia copia ulceratio copioſior fiat: tum vel facile regurgitat impetus, vel nimia inflatio prægravat naturam, ut utrinque opus deſerere cogatur.

Obſtructio alvi eruptionis tempore eſt pene ordinaria, nec tum temporis irritanda. Si vero ante variolarum eruptionem nimis diu extiterit alvi adſtrictio: diarrhœam gravem poſt ſe trahit, ſub eruptione retroceſſionem inducentem; uti contra variolæ retrocedentes diarrhœam & convulſiones cauſantur.

Circa 7. diem non modo *pure* turgidæ apparent *puſtulæ*, ſed & *rubet* circumferentia, ſin vero *pallet*, mali eſt ominis.

Extuberant *faſtigiatæ* puſtulæ bullulis ſimiles, rotundæ bono; ſeſſiles vero & *depreſſæ* in medio, malo; circumcirca *pallentes*, peſſimo omine, uti & lividæ. Quæ vero *limpidæ* manent & mature rumpuntur, ſind die weiſſe Pocken. Quæ acuminatæ, die Spitz-Pocken. Utræque mitiores exiſtunt. Mature ſubſidentes ſeu *dehiſcentes* cum ſanguineo quaſi nigro ſtigmate loco puris in adultis plerumque, in infantibus non ita abſolute, lethales. Quale quid etiam evenire ſolet, ſi *urina* copioſa ſub ſuppuratione prodeat.

Ab 11. die ſponte disruptæ, effuſa purulenta ſanie, ſubſidere incipiunt, innaſcitur ſicceſcens *cruſta*, quæ verſus 14. diem ſenſim dilabitur, reſtituta ſubtus cuticula. Remanent tamen aliquandiu rubicunda ſub tenuiore cuticula veſtigia, non raro etiam foveæ, ipſa cute profundius eroſa.

Sub ſtatu ſuppurationis *dejectiones* ſanioſæ cum ſtriis tenuibus ſanguineis, non frequentes nec copioſæ, aut torminoſæ, adeo periculoſæ non ſunt, maturis vero & rumpentibus ſuccedentes etiam utiles ſunt. Periculoſæ vero ſunt tempore eruptionis, & ſi maturatio

languida ſit cum ægri imbecillitate, & inſigni febrilium ſymptomatum vigore. Tali diarrhœæ, ſi ſenſibilis variolarum retroceſſio, earum extenuatio, livor in ambitu & pallor reliquæ cuti ſuperveniant, mortis præſagia evadunt.

De *ſuccedaneo* variolarum exitu notat obſervatio, quod in lento & inæquali progreſſu, dum aliæ poſt alias prorumpunt, vel prioribus jam matureſcentibus aliæ novæ ſuccedunt, quod, inquam, hæ novæ facile retrocedant & ægri convulſionibus coortis facile intereant. Fit hoc maxime, ſi primis maturatis & euphoria ſuccedente regimen moderate calidum negligatur.

Ratione *paucitatis* notandum, quod ſi juſto tempore & promte exeant numero paucæ variolæ, non malæ ſpei ſint, & plerumque mitiſſima habeant ſymptomata: Languide vero exeuntes non careant periculo, & plerumque alias tarde ſucceſſuras habeant in receſſu; vel ipſæ ad retroceſſionem pronæ ſint, peſſimo exitu.

Symptomata extra eſſentialia ſunt perturbationes capitis vertiginoſæ, pectoris tuſſiculoſæ, ventris tormina, murmura, inflationes: fluxus alvi, hæmorrhagiæ narium, largæ ſemper; variolæ intra nares, infundibulum, fauces, ſternutationes, anguſtia per nares reſpirandi, faucium inflationem poſt ſe trahens, oculorum læſiones, eroſiones & foveæ cutis &c.

Morbillorum idem eſt typus, quoad tempus invaſionis & efflorescendi. Sunt vero exanthemata leviter protuberantia lenticulari elevatione, depreſſiore ſcilicet quam variolarum, rubicunda, ſine ſenſu, niſi quod ſub ſui finem, dum poſt paucos dies ruborem dimittunt, ſubſident, pruritum quendam & leviſſimas ſquamas ſeu furfures abſcedentes forment.

Interdum ſatis *benigni* & absque periculo eſſe obſervantur, quanquam etiam copioſi ſint. Interdum vero valde periculoſi & gravibus ſymptomatibus ſtipati, pluribus funeſti obſervantur, & quidem maxime a tempore vel tempeſtate prægreſſa aut præſente. Semper tamen benigniores ſunt variolis: ſcilicet in ſuo gradu, ubi coincidunt. Unde ab eorum *retroceſſione*, niſi valde maligni ea tempeſtate ſint, tam certum mortis periculum non abſolute imminet. Neque etiam *diarrhœæ* hic adeo periculoſæ exiſtunt, ut in variolis, reliquis circumſtantiis bene ſe habentibus; malis vero accedentibus ſunt etiam ſatis malæ. Semper tamen facilius toleratur ſponte coorta diarrhœa, quam medicamentis excitata.

In-

Inter *ſymptomata communia* ſunt *faucium* anginoſæ inflammationes, *oculorum* inflationes. Nonnunquam variolæ oculis & medio tunicæ corneæ innaſcuntur, cum ſummo viſus periculo.

In utrisque tempore ſuppurationis, præcipue in variolis, *inflatur* admodum totus ambitus corporis cum inſigni rubore, & quidem cum bono omine; ſi emaneat, malo imo peſſimo.

Anni conſtitutio ad malignitatem multum tribuit, quæ etiam ad diarrhœæ noxium effectum multum confert.

Quoad hiſtoriam *curationis*, docet experientia, utriusque motum eſſe lenem & ſtatum, qui per medicamenta facile aut regimen ante tempus cum periculo impellatur vel cohibeatur. Unde Sydenham recte monet, ut recte ſuccedente ſtatu medicamenta non adhibeamus.

Præmature enim ac fortiter *ſtimulati* progreſſus, movent quidem copioſiorem ſolito eruptionem, mature item recedentem.

Inconſiderate vero retardati & (per narcotica) cohibiti vagum faciunt ſucceſſum, qui ad retroceſſionem proxime inclinat lethalis ſæpiſſime eventus. Quod etiam de *refrigerationibus* ſaltim particularibus conſtat, ſub eruptione & maturatione, imo ruptione, quas retroceſſio, abſceſſus maligni, facile inſequuntur.

Qui *pereunt* his morbis, magis inculpare poſſunt artificia medica, malum regimen vel accidentes cauſas externas, quam morbi malignitatem, æquali enim moderato calore, quieta continentia plurimi plebejorum ſine auxilio externo morbum ſubigunt, & contra impetus ſudatorii lentum exitum præcipitant, natura a ſudatione in hoc morbo aliena, vel denique poſt morbum præmature injuriis aëris ſe exponentes ægri finem lædunt.

Variolæ, inprimis ruptæ & jam deſiccatæ, tantum ſubinde periculi fovent, ut teneriores ab aere libero frigido aut turbido vitæ diſcrimen imo jacturam ſubeant, id quod inprimis valet in variolis lento ſucceſſu aliis poſt alias emicantibus, ubi plurimis ruptis & ſiccatis paucæ adhuc immaturæ reſtant. Hinc facile improvido regimine retroceſſuræ &c.

Cap. VI.

Hiſtoria Febris Bilioſæ.

Subjecta hujus febris ſunt temperamenti cholerici (macilenti, non æque ſucculenti, niſi iracundi) prædominantis, calidiori diætæ aſſueta & ante vel poſt ciborum aſſumtionem iracundia gravi commota; præſertim ſi mox vel frigidum vel fermenteſcentem potum, cereviſiam fermenteſcentem ſuperbibant, vel dulcia acriter fermenteſcentia ingurgitent; unde ſcilicet *procatarſis* naſcitur, ſcilicet quicquid effuſionem bilis in ventriculum poſſit ſuſcitare, quæ cum reliquiis ciborum acidis, tanto acriorem fermentationem ſuſcitat; uti oleoſa cum vino in tanto acerbius acetum abeant.

Exoriuntur facile circa ſolſtitia ejusmodi febres, aggrediuntur vero verſus ſolis exortum; quæ enim veſperi cum æſtu, amaritie oris invadunt, bilioſæ non ſunt, ſed a ventriculi cruditate vel ab iracundia ortæ febres.

Habent quotidie ſuas *exacerbationes*, ſemitertianaria commotione, ſed ſine vehementibus rigoribus, cum horripilatoria tamen alteratione ſub principio exacerbationis.

Corripiuntur ſcilicet ægri, dicta procatarſi præcedente, *horripilatione*, tetrico aſpectu, languore totius corporis cum præcordiorum anguſtiis, nauſea anxia ſyncoptica, æſtu totius corporis, dolore capitis, in gradu ſuo per individua variante.

Succedit *vomitus* acris bilioſæ materiæ acerrimæ, quæ dentium ſtuporem, raucedinem, labia ulceroſa efficit, & cum pulvere terreo effervescit.

Conjungitur quoque *dejectio* bilioſa, quæ & tenesmum pruritum inteſtini recti ejusque excoriationem, maxime in infantibus, efficit.

Utraque hæc evacuatio fit cum *ſyncoptica* anxietate. Quo vero maturius hæc excretio ſuccedit, eo citius accedit levamen. Si vero diutius inde concluſa hæreat hæc materia, efficit intenſum ardorem inflammatorium ulceroſum, anxium. Unde ſyncope, deliria, convulſiones.

Maxime vero ſuccedit ſymptomatum ſumma exacerbatio, ſi vomitus non mature exeat in caſu ab ira poſt cibos, alvi vero ſiccitas adſit,

ſit, ut ſiccitas oris, ſitis a largis potibus augeatur, debilitates, dolores præcordiorum ſenſibiliſſime tactum reſpuentes increſcant.

Hoc rerum ſtatu urina eſt ſubrufa, flammea, pauca, craſſa, turbida, roſea, cum ſimili tandem ſedimento evadens, flavedo vero immixta manet.

Æſtus vero præ omnibus aliis febribus eſt intenſus, licet externæ corporis partes facile palleant & frigeant.

Singultus facile accedit, ſi valde parum exacerbatur & conatus magis ad ſuperiora quam inferiora tendat, imo veluti in medio titubet, citra dignum effectum, invaleſcente interim magis magisque inteſtini recti, duodeni & ipſius meſenterii circa ſuum centrum, imo diaphragmatis circa tendines inflammatione.

In *ardente ſicca* ſive Cauſo, quæ nec vomitu nec diarrhœa ſolvitur, æſtus, ſitis, ariditas evadit intenſior, imo facile in aphthas, deliria comatoſa fit tranſitus; maxime vero hoc ſtatu alvus ſicca ſemper periculoſior eſt, quam nimia ejus ſolutio, præcipue in ſtatu; uti etiam facile in Lelpyriam, inflammationes internas degenerat, utplurimam funeſtas.

Procatarcticæ cauſæ ſunt ſæpe aſſumta ſiccantia immodice calefacientia, ardor Solis liberalior, potus vini fortioris, longa ſitis, labor plurimus, Venus inexhauſta. Vid. Foreſt. Ebr.

In craſſo peſtilente Urina eſt livida, ſubinde viridis. Idem.

Si cholera *ſurſum* ad vomitum inclinat, magis pathemata circa caput progenerat: ſi *deorſum*, tormina, palpitationes epigaſtricas, ſingultum.

Dejectiones tamen criticæ tetricæ materiæ raro utiles vel ſponte vel arte excitatæ.

Accedit faucium *prunellodes* ſiccitas ad fiſſuras usque proclivis: agrypnia, pavores in ſomno, animus evadit ſumme faſtidioſus, impatiens, ad deliria furioſa, imo ad convulſiones proclivis.

Lingua arida, aſpera, nigra, labia nigra propria hujus febris ſigna. vid. Foreſt.

Tranſeunt hæ febres leviter mitigatæ per ſtomachica præcipitantia, acida in *lentam*, cum majore virium & appetitus dejectione, ſomno pauco, ſiti multa, aſpectu inter audacem & meticuloſum fluctuante, qui ſtatus, ſi pro phthiſi habitus per traumatica tractetur, in hecticam immedicabilem tranſit, in humidioribus tumores aſciticos relinquens.

Suppreſſæ bilioſæ immediate quoque, uti jam dictum, Leipyriam accerſunt, quæ ſi ſtatim ita incipiant cum æſtu torrido, frigiduloſitate externa, periculoſæ utique ſunt. At ſi bilioſæ jam unum alterumque diem vigenti hæc alteratio accedat, funeſtum eſt: maxime dejectiones & vomitus nigricantes obitum præcurrunt aut inſequuntur.

Bilioſæ in *tertianam* ſæpe mitigantur, ſed ſuſpectam: neque oris amarities aliud quid, quam bilis reſtagnationem in ventriculo indicat.

Exinde jam patet, *periculoſum* hunc eſſe morbum, ſine provido enim regimine appropriatisque remediis raro ſalutarem ſortitur eventum. Obſidet viſcera, ſi ſine matura materiæ ejectione invaluerit.

Foreſtus in febre ardente pejora ſigna ſtatuit. 1) Inflammationem pulmonis ſupervenientem lethalem. 2) Inhorreſcentiam ante materiæ concoctionem & hic & in aliis febribus continuis periculoſam. 3) Imbecillitatem cum deliriis, timore &c. vigiliis, ſopore, colli dolore. 4) Vocis interceptionem aut ſurditatem. 5) Tremorem manuum cum ingente corporis ſqualore. 6) Linguam nigricantem, os præſiccum & nullam ſitim, os male olens. 7) Singultum præc. poſt citam alvum, aut ſanguinem ſine modo effuſum vel guttatim e naribus ſtillantem in principio. 8) Rigorem in primo principio cum ſingultu aut ſanguine e naribus ſtillante, vel etiam ſine his. Hic vero rigor poſt ſigna coctionis bona prænunciat criſin. 9) Frigidos ſudores peſſimos & ſyncopes jam præſentis teſtes. 10) Frigiditatem extremarum partium cum livore, quæ mortem portendunt. 11) Acutos aurium dolores. 12) Si frigidus effletur ſpiritus, & pejus ſi collum vertatur cum moleſta deglutitione. 13) Convulſiones. 14) Urinam claram, tenuem, crudam, permanentem.

Hiſtoria *therapiæ* commendat *abſterſionem* & *excretionem*. Hanc Emetico-catarcticam, imo leniorem clyſticam. Emeſis ſit matura, maxime in ſtatu proxime admiſſæ iracundiæ poſt partum. In tenerioribus cliſtica abſterſio ſufficit. Illam vero per abſorbentia, cryſt. mont. oſtracea cum nitro regenerato parcis & repetitis doſibus; conjuncta humectante dilutione per decoctum pullorum tenue. *Mitigationem* vero alſolvit pariter nitrum cum enulſ. ſ. card. mar. &c. in inflammatoriis ſpecificis, *Diſcuſſionem* diapnoicam ultimo intendere præſtat pro abſterſione & inflammationis præoccupatione per eſſ.

alex.

alex. M. S. ſine regimine. Spontanei ſudores nec concitandi, nec reprimendi.

Maxime Medicationis *ordo*, uti in febrium paroxyſmo ſervandus, cum ſemitritæi rationem habeant bilioſæ; imprimis calida verſus paroxyſmum non ſunt danda. *Potum* vero experientia commendat dilutum, temperatum inſtar Thée, decoct. CC. citr. non fæculentum, non frigidum, qui anxietates ad ſenſum intendit; parum acidulatus non nocet. Hæc de juvantibus & nocentibus dictitat experientia.

Quando vel his non proficientibus, vel prima morbi ſævitia ſtatus exacerbetur, abit in *inflammatorias ſtaſes* bilis cauſticæ corruptæ, maxime pylori, inteſtini, duodeni, ventriculi, hepatis, generatque ſyncopales Leipyrias, typhodes, elodes, lethiferas febres.

Pendere hos affectus ab cauſticitate *bilis*, docet proventus in *infantibus* iracundis vel ab iracundia nutricum afflictis, ubi vomitus & dejectio alvina æruginoſa, pruſſina, graminea deprehenditur, cum ſummis torminibus, inquietudine, æſtu febrili; aut vitello ſimilia excrementa ſecedunt.

In quo ſtatu, ſive junioribus ſive adultioribus ſuperveniat dolorificis paſſionibus omnis ſenſus ſubita ceſſatio, æſtui ſuccedat frigus, manente, imo increbeſcente virium dejectione, anguſtiis, anxietatibus, lipothymiis, febre, & ſphacelum ſucoedere indicium affertur.

Solamen reſtat, ſi materia aeris bilioſa tempeſtive & largiter deorſum tendat ad exitum.

Unde *therapia*, uti in priori leniori ſtatu abſterſionem abſorbentem laudat, bilem æruginoſam deorſum ducentem, nec non inflammationis temperationem nitroſam; ultimo febris diſcuſſionem diapnoicam. Diſſuadet vero emeſeos & catharſeos cohibitionem, ſudorum intempeſtivam commotionem, humores acres late in ſanguinem ducentem; immaturam doloris ſopitionem per opiata, quorum loco tandem efferum vomendi & purgandi conatum lenit extr. chacar. p l. Becch.

Cap. VII.

Hiſtoria Febris Inflammatoriæ in genere & ſpecie.

Ejusmodi Febris internam inflammationem reſpicit, & exhibet præcipue *dolorem* ſumme ardentem in aliqua regione, ſub qua viſcus

viſcus quoddam deliteſcit, qui pro diverſitate viſceris variat, dum in ſenſibilioribus non modo magis acutus, ſed magis continuus etiam exiſtit, ut in pulmonibus, in ventriculi inflammatione, cardialgia eſt doloroſiſſima, in renum pariter ſenſibiliſſima &c. Quibus vero obtuſior ineſt ſenſus, in illis non modo rariores & veluti intercurſantes tantum ſunt puncturæ, ſed ſemper nudus ſaltim ardor urget. Imo ſæpe hæc utraque ita obtuſa, ut niſi valde diſerti patientes, nequidem mentionem illorum faciant, niſi interrogati.

Concurrit in hoc ſtatu febris intenſæ *ſitis* cum magna faucium ſiccitate, potui mox iterum ſuccedente.

Perpetua quaſi horripilatio adeſt, ſi leviter ſaltim corpus ventiletur.

Pulſus eſt febrilis, frequens & celer. Pulſu enim ſano interiora uri extremis frigentibus, nondum compertum eſt.

Ex inflammatoriis, ſi male res cedat, periculoſiores ſunt ventriculi, hepatis, inteſtinorum, duodeni, pancreatis inflammationes, proxime ſplenicæ & nephriticæ.

Facile quoque male cedentes in hecticam aut lentam tranſeunt.

Eximii vero periculi ſunt inflammatoriæ, ab arthriticis motibus repulſis genitæ.

In inflammatoriis, maxime abdominis, vomitus materiæ nigræ circa dies criticos evenientes, mortis præſagium ſunt. Imo diverſorum colorum inſolitorum excrementa alvina nullius boni præſagii ſunt. Quamvis enim ita materia, quæ primitus roſionem & inflammationem intulit, ejiciatur, perſiſtit tamen ab ipſo productus effectus ſcil. inflammatio, & pergit in corruptionem.

Omnis inflammatoria febris præter diſcuſſionem nullum ſalutarem exitum ſortitur. Quam quarto die remiſſio doloris indicat. Quo vero intenſo malum omen in tempus criticum metuendum. Suppuratio ſuccedens raro ſalutarem exitum nanciſcitur. Aut n. die 9, 11. deficit penitus agens, aut in hecticam tranſit. In conſiſtente ætate, ſexu fœminino, vincere nonnunquam deprehenditur natura.

a. Inflammatio Ventriculi.

Præter generales inflammatoriæ febris characteriſmos ſpecifice indicant hanc inſignis cardialgia cum dolore æſtuante, urente, pungente,

gente, vel ad minimum lancinante, imo quasi graviſſime contuſorio, ut vel leniſſimum præcordiorum contactum reformident, in medio ſcil. pectoris ſub ſcrobiculo cordis.

Si quid, præſertim frigiduli, deglutiant, potulenti emicant ſtatim ructus aliquot ſingultuoſi cum immanibus lancinatoriis intenſionibus, vel increbeſcit cardialgia adeo vehemens, ut ſubinde animo linqui appareant.

Eſt vero hic affectus non tam virili, quam fœminino ſexui familiaris, ob menſium regeſtionem.

b. Lienis Inflammatio.

Sicuti ventriculi inflammati dolor mediam quaſi regionem ſub ſcrobiculo cordis, per transverſum abdominis occupat: ita cooritur, & frequentius quidem, haud multo diſpar dolor in ſiniſtra regione ſub coſtis ardor, imo tenſio & actualis turgeſcens tumor. Dolor eſt punctorius ſumme ſenſibilis, imo contuſorius graviſſimus. Adeſt uti in præcedenti, ita in hoc affectu febrilis calor, pulſus celerior, & quæ inde eveniunt, ſiticuloſitas, appetitus dejectio, agrypnia &c.

Durat hic affectus non ſolum ad plures horas, ſed m. ad 3, 4. diem, quamvis gradu diverſo.

Familiaris huic affectui eſt, uti omnibus circa V. P. ſanguinis reſtrictionibus, alvi adſtrictio. Viget tamen & perſiſtit hic affectus alvo ſatis ſuccedente, inde facile diſcernitur a colico dolore, pro quo a quibusdam venditatur.

Tanto magis notandum, quod ſtata periodo recurrat, menſtrua, ac certa tempora perduret; ubi diſpiciendum, quantum inflatio congeſtoria a ſtaſi inflammatoria differat.

Oritur frequenter a menſium vitiis, ita ut male ſuccedentes vel antecedat, vel ſequatur, aut comitetur.

Succedit interdum vomitui prægreſſo cruento, aliquo etiam tempore tolerato: nonnunquam etiam in talem erumpit: ſcil. inflatione aut inflammatione tali lienis a meſenterii & inteſtinorum conſtrictione fiente.

c. Hepatis Inflammatio.

Periculoſa eſt, difficilisque dignotionis. Adeſt punctura acutiſſima in dextro hypochondrio, faciei uti & oculorum color flavus.

Venæ Sectio initialis plethoram derivat ſubjuncta diapnoica diſcuſſione.

Stimulus alvi turbat venam portæ.
Sublevatur affectus die critico primo ſudore & hæmorrhagia.
Vomitus nigri pernicioſi ſunt.

d. Pectoris Inflammatio.

Peripnevmonia frequentior eſt quam pleuritis, qui quidem diverſus ſtatus per ſputum cruentum diſcernitur.

Oritur verſus meridiem aut mediam noctem cum horrore, nauſea, vomitu, ſenſu punctura in alterutro latere pulſui reſpondente.

Tuſis individua eſt, non tamen exacerbans ſtatum.

Æſtuant, parum dormiunt, genæ rubent, adeſt languor, urina copioſa flammea, alvus mordicus non reſpondens.

Hæmorrhagias narium quidam experiuntur, multo ſudore critico ſolvuntur.

Evenit in juniore ætate poſt ſanguinis turgefactiones, maxime vernales, cum inſequente ſubita refrigeratione aeris vel potus. In ſubjectis cholericis ſi diſcuſſio 4to die non ſequatur, ſed ſuppuratio immineat cum dolorum continuatione ac intenſione: tum facile & eo magis aut funeſta evadit, aut in hecticam tranſit, quam nephritis.

Empyema verum rarus eſt affectus, in annoſis lethalis, maxime in ſubitanea dolorum remiſſione & reſpirationis ingraveſcentia.

Suppurationem traumatica adſtringunt & hecticam accelerant. Præſtat diſcuſſio promota per Salina diuretica colliquantia. Calida præcipitant tranquillam talem reſolutionem. Plethoram oppletivam venæ ſectio matura tollit. Acida vegetabilia æſtum mitigant: mineralia tuſſim augent & diureſin. Alvi irritatio inflammationis abſterſionem avertit & impedit. Si epidemica lues hac forma ingrediatur, tum magis lenis tractatio indicatur.

Pleuritis ſpuria rheuma arthriticum eſt, non vero inflammatio pectoris, facile tamen eo inclinat. Incipit cum horrore, ſuccedunt calor, punctura lateris pulſui & inſpirationi coincidentes, vagantes & utroque latere & in inferioribus ſubſiſtentes. Urina tartarea rutila eſt cum cryſtallis. Æſtus augetur, ſi in ſanguineos, cholericos, diætam vinoſam incidat: Motus animi & corporis excedunt, ut pleuritis vera exiſtimetur.

Sed de hujus & præced. diverſitate & diagnoſi latius infra ſub affectibus pectoris.

Nephritis.

Levior & brevior eſt affectus, quam lienis aut hepatis inflammatio.

Iuvenibus ſanguineis familiaris exiſtit.

Adſunt ardores, puncturæ, dolores in alterutro lumbo.

Urina eſt pauca tincta. Tenuis mala.

Vera Renum Inflammatio complectitur ſtaſin ſanguinis cum obſtructione aut parco ad minimum urinæ proventu, in ſuppurationem aut ulcus, niſi mature prævertatur, abeuntem ; in nephritide vero ſubeſt tantum congeſtio ſanguinis major & ſtagnatio, ſponte & arte facilius diſcutienda, niſi tamen hoc ſuccedat, majorem inflammationis gradum ac ulcerationis periculum illatura.

Phrenitis & Paraphrenitis.

Deliria Phrenetica ſatis communiter acutis febribus ſuperveniunt ſolum, raro per ſe contingunt, niſi quidem ad minimum vehemens cephalalgia præceſſerit aut concurrat: ex coll. Stahl.

In Paraphr. nullam diaphragmatis inflammationem obſervatam fuiſſe, in Bonetti ſep. An. aſſeritur.

Certum tamen eſt, gravibus cardialgiis & ventriculi Inflammationibus gravia accedere deliria, quæ an a ſtaſi in cerebro vel meningibus, vel diaphragmate pendeant, minus dubitare ſinit ſanguinis reſtagnatio hujusmodi affectibus ſolennis circa caput, quam ex hujus ſublivido colore vaſorum circa tempora & in oculis inflatione, doloribus & vertigine urgentibus dignoſcere poterimus.

Certum etiam eſt, quod multæ ventriculi inflammationes ſine mentis aberratione contingant, & contra hæ in hyſtericis familiares ſint ſine inflammatione.

Interim nullum practicum uſum hæc conſideratio affert.

Phrenitis mediocris per initia non tam periculoſa eſt quam in ſtatu ; cum aliis autem malis ſignis, præc. virium jactura, ſumme ambigui eventus ; critico die cum aliis ſignis conſpirantibus narium hæmorrhagiarum impeditionis prodromus eſt, ſed non ſine periculo: ex coll. Stahl.

Caſtrenſi ſtricte dictæ ſive Hungaricæ febri quaſi eſſentialis eſt, non tam æque phrenitis quam paraphrenitis, a ventriculi vel diaphragmatis, vel ſane non niſi per conſenſum agente aliqua interna inflammatione derivata. ib.

Quoad prognoſin febris eſt acutiſſima & raro ultra dies 7. excurrit, ſæpiusque hoc die vel antea jugulat.

Urina aquoſa. Dejectio albicans, ſtridor dentium & hunc inſequens convulſio, nec non rigor, ſigna lethalia habentur, uti & tranſitus in lethargum. Item continua dementia cum vigiliis atque alvus cum urina pertinaciter compreſſa, item diſtenſio nervorum ac contractio, ſyncope extremam perniciem denotant. Contra illa ſpem præbet, quæ continuum riſum admixtum habet, maxime ſi ſuperveniat fluxus hæmorrhoidalis.

Alias ſalutariter exit vel ſudoribus vel largo ſanguinis profluvio, vid. Foreſt, L. X. obſ. III.

Cap. VIII.

Hiſtoria Febris catarrhalis.

VEteribus *quotidiana* continua dicebatur, itemque phlegmatica dulcis & ialſa, imo rhevmatica, non quod hæc febris catarrhum producat, ſed quod laborioſiori, viſcidiori, magis putrido, ſuperveniat.

Exurgit circa *occaſum ſolis*, verſus æquinoctia, præcipue autumno. Quæcunque vero continuæ inter ortum & occaſum ſolis invadunt, fere inconſtantes, vagæ aut in intermiſſionem proclives ſunt.

Evenit hæc febris diſpoſitioni catarrhali. Scilicet gravedo vel coryza circa radicem naſi prægravat, imo circa fauces cum raucedine, deglutitionis moleſtiis, imo intra collum eriſypelacea quaſi conſtitutio hæret cum prægravatione pectoris, tuſſi feroci, parum tamen exonerante, triſtitia & languore eximio.

Siſtit *indolem continentis* ſine invaſione cum *frigore* & horrore, & ſine ſtatis exacerbationibus, ut continuæ. Eſt quidem ſine typo, ſed non ſine periodo & non ſine criticis alterationibus. Habet, ut eriſypelas ſimplex poſt iram aut terrorem, conſuetudo percurſationem horridulam cum volaticis intercurrentibus incaleſcentiis, languore faſtidioſo &c.

Vomitus & alvi profluvium accidunt a principio, in fine vero poſt coctionem, ſudor, ſi virtus fuerit debilis ſtatim ab initio vel appetitus dejectio adſit, lethale. vid. Foreſt.

Æſtus

Æstus leni gradu sese exerit; motus sanguinis auctior quidem est, pulsusque celer: tempus & consistentia secretionum succedit. Imo reliqua pathemata *motum febrilem* confirmant; scilicet dejectio virium & appetitus, somni imminutio, capitis debilitas magis, quam dolor; sudores interdum se exerunt, nunc vomitus, nunc diarrhœæ.

Maxime vero inter evidentiora symptomata accedit *peripneumonica* pectoris oppletio, quæ febrem magis manifestat, quod sæpe reliqua signa confirmant, urina cum spuma durabili, sanguis primo floridus, postea vero tenax.

Erisypelati frequenter supervenit, quo subito disparente pectus prægravatur & anhelosiores fiunt ægri. Hanc conversionem Hipp. malam pronunciavit. Hic non adeo eminenter tussis sentitur, quia non tam pectus quam præcordia, ventriculus, œsophagus, diaphragma ab erisypelate retrocedente afficiuntur.

Inde est, quod febres ejusmodi rhevmaticæ in floridis sanguineis biliosis cito ad interiora conversis præcordia & hypochondria, maxime dextrum, invadendo, *inflammationes* viscerum producant, & ita primum insultum cum horrore forment, maxime si malum primum ortum duxerit ab externo frigore, ira, motu; unde vomitus biliosi accedere solent.

De *periodo* jam dictum, quod continentes æmuletur & septennarios formet; quo materia aëris inflammatoria non expellitur, sed assidua resolutione ac discussione depellitur, stasis caustica, inflammatorio-ulcerosa, vel concoquitur, subigitur & evacuatur.

Urina, ut in omnibus febribus, est aurantia, crassa, turbescens, primo sine secessu ac sedimento, at huic peculiare est, quod pauca mora vitra tenuissimam cutem inducant lacteo colore rubentem, tenuitatis sufficiente indicio, quod vitri superficiei mox multa mole sed subtiliter adhæresçat.

Pro usu maxime therapevtico differentia tenenda est in hac febre ejusque statu acriore sanguineo, a stasi urente catarrhali, rodente, ulcerascente venereo in naribus, infundibulo, palato, tonsillis &c. nam per mercurialia augetur. Unde tanto magis omnis impetus & hic abesse debet; utpote hic lenis & levis absterssio febrilis sufficit.

Contagiosæ sunt etiam hæ febres, imo diaphoretico regimine facile *petechizant*, quod per se non faciunt.

Pejoris etiam indolis evadunt, ſi in ver vel autumnum incidant, ubi ſenſibilior ſanguinis commotio exiſtit; acrior enim facile fit inflammatio.

Epidemica conſtitutio catarrhalem benignam larvam induit, poſt hyemem tepidam, ubi repentini tumores glandularum ſub auribus, maxillis, collo, faucibus cum deglutiendi difficultate.

Febricula lenis accedit, ut orthoſtadia non impediatur: Discuſſione vero non rite ſuccedente acerbior redditur, cum inquietudine, anxietate, vomitu, fluxu ventris, &c.

Eo magis ejusmodi rhevmata epidemica diſtinguenda ſunt, quo magis repente cum capitis gravitate, perturbatione, dolore acriore, appetitus & virium languore, febre acutiore invadunt; ubi corruptivus ſtatus non uti ſerum mucidum ejicitur.

In ejusmodi ſtatu, ſi poſt tuſſiculoſa initia *aphthiferæ* & *prunelloides* congeſtiones ſuccedant, majoris ſunt conſiderationis hæc conſectaria, quam anorexia, agrypnia, gravedo cephalalgica.

Commotiones excretorias neque per ſe intendunt, neque bene ſervant, præcipue circa initia. Inter omnes tamen & facilius ferunt & magis concitant alvi laxitatem. *Diarrhææ* tales initiales & quaſi præliminares minuunt impetum; in ſtatu moderatæ indolentes, non multum inferunt periculi: At undique tutiores ſunt alvi ſiccitate, quæ etiam petechialibus & purpuratis nocentiſſimæ ſunt, & præcipue in ſtatu deliria, comata, convulſiones adducunt.

Spontanea *diaphoreſis* placida, ſtata, utiliſſima quidem, ſi juſto tempore promoveatur vel ſponte præcedat. At regimen intempeſtivum ſudoriferum facile in petechizantem ſtatum præcipitat. Unde ab omni importuna commotione evacuatoria ſibi cavendum; ne ſtaſis acris ſubtilis leni motu diſſolvenda exagitetur & febris ſucceſſus periodicus acuti ſeptennarii turbetur. Inde a commotionibus, externis ſtimulis major regurgitatio, acrior inflammatio, & malignior ſtaſis ſubſequitur. Unde in maligniore epidemicæ catarrhalis parva ſtaſi alexipharmacorum uſus providus ſit. Ex abuſu mortem prædicit Baglivius, cum anxietatibus, ſummo virium lapſu. Quamobrem aſſiduæ moderatæ tranſpirationes naturæ molientis expectandæ potius, quam alexipharmacis ſtimulandæ; in teneriore ætate aquæ diapnoicæ ſufficiunt, fumariæ tamen exulet; uti & lignoſa, catarrhalia, ſuccinata, ſimplicibus catarrhis quadrant, hic vero exulent, nec non ſalia

vo-

volatilia, urinosa, oleosa; ob lenem internam diapnoem continuandam æger convalescens aeri moderate affuefiat.

Una cum leni diapnoico regimine diuretica lenis absterfio ulcerosæ acrimoniæ & commotioni humorum intestinæ in hac febre convenire videtur per absorb. nitrosa, quæ in rhevmaticis retrocessionibus utilissima sunt.

Ex hisce patet, has febres lenes esse & lentarum commotionum, acutæ tamen & satis exquisitæ periodi. Unde *prognosis* facile cognosci potest. Diffusionem enim materiæ acris sanguineæ sequitur inflammatio, quod tamen facile in pharynge acriores raucedines, cynanches, imo diffusiones erysipelaceas, peripnevmonicas excitat, usque dum spissescant materiæ remanentes. Imo si acrior erysipelacea crasis extus facile causticas exulcerationes gignat, conceptu facile est, quod talis generis materia non succedente discussione periculosum morbi statum sit productura, quæ tamen non potest vocari specialis malignitas. Peripnevmonica enim diffusio non est aliud quid, quam erysipelas pulmonum, quæ vel acri irritatione affluxum auget, vel intempestivo regimine ac medicatione exacerbatur: unde fatalis successus specialem malignitatem non format. Ubi itaque simplices catarrhales per se periculo carent; Ita quo acrior inflammatoria subest stasis, eo propius ad dictum eventum inclinant.

Simpliciores non item, nisi quod magis in hecticam vel verius phthisin inclinent.

Secundum Forest. in observ. febris hæc est admodum diuturna, ita ut nonnullis ante 40 dies non finiatur &c. Forest. in obs. LII. obs. XXXIII.

Urina subtilis in substantia, pauca in quantitate in principio, cum deliriis, vigiliis, debilitate virium, difficili respiratione mortem propinquam significant, uti & tempus admodum frigidum & humidum, habitus pituitosus, paucus sudor, paroxysmus longus, somnus profundus; contraria, scilicet urina multa & crassior ex subtili, cum aliis bonis signis salutem. Urina major solito & crassior, frigoris diminutio & caloris augmentum accessionisque anticipatio, febrem citius cessaturam denunciant. id.

Uti limositates in dentibus, febrem fortiorem ac diuturniorem; ita sudor citius magis copiose apparens eandem brevioris periodi fore præsagiunt. id.

Forest. obs. XXXIII. l. II. ait, paroxysmo incipiente in hac febre cum stupore quodam ac somni profunditate a multis oscitationibus,

fa-

facie tumida, quodam livore, facile in carum vel Subeth ægrum prælapsurum. It. Si facies pallida citrina, oculi concavi, cutisque veluti corium siccum tensa & arida fiat, in hecticam transire vel transiisse, vel cum eadem mixtam esse hanc febrem docet.

Cap. IX.

Historia Febris Hecticæ ac Lentæ.

Historia *symptomatum* & passionum hæc est: Patientes multis diebus per leves occasiones ita insigniter perturbantur, ut magis *calore*, p. n. *languore, animi fastidio, inappetentia, siti, oris siccitate*, majori *potus* quam cibi *appetentia*, consueti potus *tædio*, *frigidorum* præ calidorum *amore* in potu & cibo, afficiantur. Tam cibo vero quam potu cito *saturantur*, imo si paulo plus edant, male habent & valde *languescunt*, *colore* sunt magis *pallido*, malo; perpetuo *languore*, virium facili *consumtione* debilitantur; quæ omnia pathemata a *motu* exacerbantur.

Capitis rarior est & obtusior *dolor*, *vertiginosa* tamen & quasi temulenta imbecillitas. *Somnolentia* urget, vel somnus imbecillior inconstans, aut, ubi profundior ac diuturnior est, magis delassans quam restaurans: Interdum etiam, præcipue circa anni mutationes, vel diætæ vitia *sudationibus* molestus evadit, quamvis de reliquo in hectica sudationes sint rariores & siccus magis calor urgeat.

Specialissime sensibiles sunt hectici tempestatis mutatione, & ferunt fere melius (domi tamen) pluviosas quam gravius serenas. Fatales vero sunt propemodum temporum conversiones fatales, æquinoctia, solstitia, neque illud tantum, uti vulgi est opinio ex tempestate, sed sæpenumero ipso die aut circiter. Unde tali periodo exacerbationes insignes subvenientes periodo insequenti malam sed tamen certam prognosin denunciant. Maxime quando febris intenditur cum agrypnia, anorexia, debilitate, consumtione universali; quæ nunc instar typicæ continuæ durat, nunc lenius protrahitur.

Interea tamen in lenioribus exacerbationibus, imo extra illas, *nutritio* lente succedit; magis in longum quam amplum. Si tamen contingat, tamen laxior & subtumidus est habitus.

Quo

Quo ſenſibilius vero dicta ſymptomata ſeſe exerunt, eo magis *exacerbatio* febrilis accedit : ſcil. poſt paſtum torpeſcunt magis & incaleſcunt, maxime in volis manuum. Calor faciei quidem vividior eſt, ſed in reliquo corpore major languor, ſitis, ſiccitas oris &c. ſentitur.

Hæc omnia exacerbantur ſæpe, daß ſie auch über alle Macht ſich aufhalten müſſen. Eminet pallor, extenuatio corporis, vitia appetitus, digeſtionis, excretionum &c. usque dum dicta ultimo febris intenſio inſequatur.

Tuſſis non omni hecticæ convenit. Tuſſes in pectoris ac hepatis induratione frequenter perennes ſunt. Illius humidior, hujus ſiccior eſt ſtatus. Tali enim vitio viſcerum ſeſe aſſociat hectica, & vero vel tuſſis hypochondriaca & pectoris ſæpe confunduntur, ut & phthiſis cum hectica; unde travmaticorum conjunctus uſus hecticos ſupprimit. In hypochondr. tuſſi profundior inſpiratio augmentum non adfert, uti in pectorali.

Hectica *diſpoſitio* familiariter ſuccedit ſanguinis evacuationibus & conſumtionibus debitis vel conſuetis perperam intermiſſis aut ſuppreſſis, præcipue in junioribus ; quod & in omni ætate obſtructiones internas, lentas, non inflammatorias, aut inflammatorias ſtaſes relinquit. Præcipue vero febribus aliis in ſubjectis diætæ calidæ vinoſæ, aromaticæ, facile complicatur aut ſuccedit.

Unde febris hectica eſt auctior ſanguinis motus pro perpetua abſterſione ulceroſæ labis ac *corruptionis* in aliquo *viſcere* ſuſceptus: Inde pendent calor, ſitis, exhalationis augmentum, urinæ mutationes, toni alterationes, vigiles ac faſtidioſi labores circa objectum periculoſum.

Diagnoſis viſceris læſi difficilior eſt ; ſenſatio & morbi prægreſſi aliquid indicant. Si dicta hectica pathemata in ſubjecta incidant ſenſibilia, ab auræ tempeſtate, acidis, animi pathematibus, cibis crudis, motu corporis ; & inde ſuccedat languor corporis, color pallidus, oculi lividi, volatici ardores cum rubore genarum : tum eſt hectica *pulmonum*. In hepatis vitio tuſſis eſt ſiccior, faciei color lividus, hypochondrii dextri tenſio, morbi & diſpoſitiones præcedaneæ aut conjunctæ diſcrimen afferunt, quod tamen uſu therapevtico caret : Ita enim *renum* hectica ex præcedanea nephritide dijudicatur. *Lienis* ab anxietatibus hypoch. conjunctis &c.

Differt a lenta ; in ea enim febris acuta inflammatoria præceſſit,

ſit, & hectica inſtar acutæ ſuccedit continuæ. 2. Eſſentialia ſigna gradu non ſolum majora ſunt languor, faſtidium, agrypnia, extenuatio, exacerbatio poſt aſſumta, ſed eorum major ad plures ſeptimanas duratio accedit. 3. Interea augetur tabes, & 4. vitalium torpor. 5. Cum exacerbationibus acribus ſine typo, ferociore impetu, non in ſanitatem, ſed in languidiorem febrem miteſcente, 6. viribus itaque corporis & animi ſemper in pejus ruentibus.

Lenta contra eſt ex continuarum cenſu, nec oritur ſponte, vel non tam diu durat, ſed in typicam abit & ſuccedit typicæ vel acutæ vel intermittenti, quod hectica non facit, quæ ſolis alterationibus alteratur. 2. Lenta, niſi, uti jam dictum, in typicam abeat, poteſt tranſire in hecticam, (quamvis lenta ſibi relicta hoc rarius faciat) ſed non contra fit. 3. Lenta vel miteſcit vel in aliud ſchema tranſit, quod pariter ab hectica alienum. 4. Lenta in profuſos ſtatim ruit ſudores, præcipue ſi antea cohibiti fuerint; Hectica vero niſi conſummata ſit, mordaci ſolum ſicco calore urget. 5. Et illi ſudores non tanti ſunt periculi, facileque obtemperant medicamentis, quod ſudores hectici non faciunt. 6. Lenta de vehementia in dies remittit, hectica augetur.

Indicia lentæ ſunt, quatenus cum hectica conveniat vel diſcrepet, lapſus virium inſignis, appetitus valde dejectus, ſitis & ſiccitas oris, mediocris calor corporis, naturali quidem major, ſed non valde ſenſibilis, ægro tamen perceptibilis; dolor capitis nullus, ſed ſtupor ſaltim. Inter ſurgendum & ambulandum evenit capitis debilitas temulenta. Color corporis eſt pallidus cum genarum rubore aut pallido circuitu concluſo. Subſidet interea habitus corporis, & contabeſcit pauco tempore; ſudant ægri largiter ſub ſomno. Urina in prima emiſſione eſt rutila, craſſa, turbaſcens cum ſedimento roſeo, liquore claro ſuperſtante.

Tranſitus lentæ talis *in hecticam* fit, quando appetitus redire videtur, reliqua ſymptomata tamen perſiſtunt; maxime ſi ſicca tuſſis urgeat, laborioſior reſpiratio, maxime ſi in unum vel alterum latus fiat decubitus, ſenſibilis gravitas in hypochondrio dextro &c.

Quodſi vero *lenta* recentior, e tertiana vel alia intermittente legitima ſive compoſita nata, in *intermittentem* ſimplicem tranſeat, minus periculoſa eſt, quam ſi in lento typo continuet, aut in hecticam, vel acutum ſtatum transmigret.

In

In hectica vero *prognosis* constans nulla est, quia innititur internæ corruptioni; scirrhosa enim & ulcerosa visceris corruptio ob vasorum copiam facile post se trahit purulentam stasin. Unde febris ardentior corruptionis gradum indicat, simulque omen hecticæ, maxime mala febris tractatio, si præcesserit, & quidem præcipue per sudorum suppressiones, qui nec in lenta nec in hectica statim sistendi sunt.

Therapiæ historia jamdum intermixta, quod febrium acutarum & intermittentium, maxime excretionum, suppressio stases hecticas generet; item hæmorrhagiarum repressio idem malum relinquat. In ipsa hectica infeliciter motus febrilis per acria stimulatur aut impeditur. Illud peragitur per balsamica, hoc per terrea antimonialia. Præfert experientia motus febrilis lenem expeditionem per acrimoniæ urinariæ absterſionem ex absorbentibus, colliquescentibus, ostraceis, cum succo citri, tartaro aceto destillato, quibus nitrosa, emulsiva interponuntur. Post exacerbationem discussio lenis alex. subjicitur ex rad. pimp. vincet. helen. Humectatio medica & diætetica utiliter conjungitur. Balsamica pro scopo præservatorio tum demum locum habent, antevertendi exacerbationes febriles, præmissa V. Sne, & quidem temperata ex succino, scord. maxime si ab evacuatione omissa hectica orta sit. Equitationem pro hectica abdominis pro levamine commendat Sydenham.

Cap. X.

Historia Febris Ephemeræ, Continentis ac Synochæ.

Familiaris est plethoricis, floridæ ætati & quidem juniori, sanguineo-cholericis succulentis, evacuationibus sanguinis assuetis. Subjectum enim est abundantia; objectum tempestiva exoneratio, instrumentalitas motus progressivus intensior, ut sanguis fluxilior pro excretione reddatur, vel resolutione consumatur: Forma actus excretionis critica expulsio.

Occupat ægros sine repentino horrore vel frigore, sed majore solum *sanguinis commotione* per pulsus augmentum: unde statim de insigni calore capitis, dolore tensivo, inflatorio, punctorio, pulsatili conqueruntur: visuntur rubicundi turgidi, non pallidi, nisi incontinentia vel doloris gravitas urgeat.

Incipit *diluculo* circa *solstitia*, peracta tertia concoctione, pergit æquali tenore, pulsu celeri & frequente, magno & pleno ad 7. usque

diem, ubi *criſis* hæmorrhagiæ narium vel ſudoris copioſi naturalem tranquillæ valetudinis gradum reducit.

In *ephemera* vero ab exæſtuatione externa ſolum ſubnata periodus talis intra 1. vel 2. diem terminatur.

Si vero *impetus excedat*, dolor capitis augeatur, plenitudo pectoris anxia, ſuffocativa, anheloſa increbeſcat, regimen calidum vel frigidum accedat: tunc mentis perturbatio phrenetica, ſtagnatio anginoſa criticis, imo etiam aliis indicatoriis & tyrannicis diebus, obruit, & ſtaſes periculoſas internas producit. Criſis hæmorrhagica etiam ſæpe excedit & vires conſumit, imo adſtricta hecticas, cachecticas, hydropicas, hypochondriacas, valetudinarias viſcerum obſtipationes relinquit.

(Hiſtoria febris ephemeræ ex Foreſto.) Cauſas & ſubjecta cum antecedente easdem fovet; ex quibus & hæc febris cæteris paribus dignoſcitur aut potius præſagitur.

Præſentis jam ſigna ponit invaſionem cum nullo frigore ſive rigore, ſed tantum calore jucundo, concoctionem in urina prima ſtatim die apparentem, calorem tactu ſuavem cum ſuavi ſudore deſinentem, pulſum plerumque magnum vel ordinarium, ſed & celerem.

Si ab exercitio nimio & laſſitudine, obſervante illo, cutis eſt ſiccior, pulſus exiguus, ſi a vigiliis nimiis orta ſit, decolorationem, faciei tumorem, palpebrarum humiditatem, earumque motum difficilem, cum caloris naturalis imminutione, pulſu exiguo & duriore obtulit, ſicuti nata ex ira, pulſus magnitudinem, oculorum nullam cavitatem, ſed magis prominentiam, nullamque faciei decolorationem, & ex timore præc. recenti pulſus celeres coloremque in facie exſanguem oſtendit.

Interdum etiam hæc febris comitatur bubones in locis glanduloſis, inguine, alis, circa aures &c. quæ tamen mitis eſt & periculo vacat, ſi bubones ex cauſis evidentibus nati ſunt, ſecus ubi hi fiunt a deliteſcente intus cauſa, ut viſcerum inflammationibus, humorum malignitate peſtilentiali.

Quo d prognoſin febris hæc eſt velocis intra 24. horas & bonæ terminationis, neglecta tamen ſæpe malas aliarum febrium propagines gignit: terminatur alias levi ſudore, nec criſin aliam facit; ſi vero ſine ſudore declinet, aut hoc exeunte tamen diem naturalem excedat, cum calore poſt aſſumtos cibos intenſiore, pulſu duro ac parvo & æquali; *ſuccedit hectica*, præc. in macilentis biliioſis; ſi vero

calor

calor augeatur, urina tincta ſine digeſtionis ſignis male olente, perſeverans cum corporis fœtore, pulſuque diverſo, diaſtole minuta ac ſyſtole aucta, 5 vel 4 die in *putridam periculoſam*, præcipue in corpore cacochymico, permutatur. Alias & in ſanguineam ſive *ſynochum* abit, in corporibus humidis & calidis, cum inflatione faciei inſolita, rubedine pulſuque pleno.)

Urinæ, uti & aliarum *excretionum* indicia nulla uſque in diem criticum viſuntur. Unde calor ſiccus, cephalalgia continua usque in criſin increbeſcens, ad *hæmorrhagicam* congeſtionem tendit. Fit hæc brevi periodo, ſtato tempore.

Quamvis hæ circumſtantiæ exquiſite demum ipſo critico die ſeſe exerant, frequenter tamen jam ab indicatorio die initia hujus apparatus ad criſin, ſi quæ futura eſt, ſeſe manifeſtant. vid. Stahl. diſſert. de Febr. comp. ex acut. period.)

Præcedit urina nullius feceſſionis, ſed rutila tenuis, alvi & tranſpirationis imminutio, preſſoria hypochondriorum, maxime dextri intenſio, inferiorum partium ſtrictura, auctus dolor capitis tenſivus, gravativus lancinatorius, faciei & oculorum rubor & niteſcens ſiccitas, & lachrymabunda humiditas, aurium tinnitus, ſuſurrus vel obtuſio, mentis turbatio, narium pruritus, tandem ſanguinis manatio.

Quæ omnia evidentius contingunt, quo impeditius actus ſuccedat, viæ per ætatem obduratæ, humor craſſior exiſtat.

(Vel ipſa directio minus determinata aut minus inſolenter interjecta ſit. ib.)

Inde patet mechaniſmus hydraulicus ex reſtrictione ſanguinis ad caput exundatoria; quæ cum non indigeat ſecretione, colatoria quadantenus obſtipata tenentur, pulſuque intenſo ſanguis fluxilior pro promtiore exitu redditur.

Cauſæ externæ ſunt motus nimius, vini abuſus, frigus poſt ſudorem, vigiliæ, concalefactio capitis, iracundia &c.

(Subinde etiam ad variolas ſeu morbillos fit ejus transmutatio critica, vid. Foreſt. in obſ.)

Per ſe adeo *periculoſa* non eſt. In junioribus criſis *hæmorrhagica* ſolvit; in adultioribus *ſudores* largi. In junioribus, uti dictum, male cedens ſynochus *phrenitidem*, *convulſiones*: in adultioribus *ſopores* excitat. Inde & *vehementia* diverſa eſt. In ſanguinis conſtitutione craſſa facilis eſt tranſitus in *lentam*, *hecticam*, *tumores*.

Facile etiam *anginæ* & *peripneumoniæ* accedunt malo omine: illæ in incremento, hæc in principio.

Ex hiſtoria vergentiæ internæ externa *medicatio* dijudicanda. Alexipharmaca augent æſtum. Camphora totum progreſſum præcipitat. Sufficit dilutio, temperatio nitroſa & acida in ſanguineis, uti illa in ſtrictioribus Iulepii forma adhibita.

Secundum Foreſtum, ſi ei ſtatim occurratur, ſæpe eodem, vel 2do, 3tio die ceſſat, potiſſimum ſanguinis miſſione copioſa, quæ neglecta ſubito ægrum aliquando interficit, niſi vi naturæ ſanguinis narium, hæmorrhoidum, aut menſium fluxu, aut ſudore copioſo liberentur; ſed & hic ægrorum habitum, ætatem conſiderandam eſſe monet. Foreſtus porro docet, facilem reſpirationem & anhelitum liberum optima ſigna eſſe, quibus ſi urina intenſa accedat, febrem abbreviabit, ſi remiſſa, producet. Optima illa urina, quæ albam & ſimul continuam habet hypoſtaſin, quæ vero divulſam & rubeam, licet ſalutarem tamen benigniorem indicabit, uti cruda & citra hypoſtaſin non ſolum longum morbum, ſed etiam perſiſtens periculum adferre poterit.

Emiſſio lachrymarum involuntaria, pulſus debilis, urina pauca alba, livida aut nigra, uti hic periculum, ita in ſynocho putri mortem notabunt.

Synochus putris periculoſior noſcitur ex urina livida aut fœtida, excrementis fœtidis, ſputo ſubinde amaro, pulſu inordinato, ſymptomatis acrioribus, mentis alienatione, ſtatu diuturniore ad diem 11, 14. &c. Interdum ſub initium alvi fluor oboritur, qui copioſus, vires ſæpe inſigniter conſumit, ortus vero a multa materia morbum brevem reddit; aliquando maculæ purpureæ erumpunt, quæ die critico ſalutares ſunt, alias lethiferæ.)

Cap. XI.

Hiſtoria Febris Purpuratæ.

PUrpura autem ſive *febris miliaris* exiles puſtulas formans invadit cum virium dejectione, horrore vel frigore, ſubſequente æſtu. Anxietates & anguſtiæ, nec non artuum & dorſi tenſivi dolores adſunt: Dolores & ardores faucium, magis tamen anginodes quam aphtodes, ſeſe exerunt.

Suc-

Succedit 2, 3, 4, die (neque enim tempus criticum attenditur) aſperitas cutis ſubtumida, præcipue in artubus, collo, corpore & pectore; quæ ſenſim, ſed tamen ſat tempeſtive, format numeroſiſſimas exiguas puſtulas, velut aqueam quandam tenuitatem continentes, quæ etiam non diu perſiſtunt, ſed fere diei ſpatio diſruptæ in adultioribus, & minus humidæ conſtitutionis mature ſicceſcunt; in junioribus vero & tenuioribus humidisque excoriationes quaſi & paulo diutius manantem formam inducunt. Sub toto hoc decurſu nec vehemens pruritus, nec inſignis ardor ſentitur.

His ita actis febris miteſcit, & æger intra ſeptimum diem ad ſe redit.

Familiaris eſt quibusdam *puerperis*, & id vel magis individualiter, vel epidemice: niſi quidem forte hic aliquid contribuant conſuetæ formulæ poſt partum hinc inde uſurpari ſolitæ, maxime æſtuoſæ. Gravius etiam habent puerperæ a lochiis retentis vel ira motæ, ut in talem febrem delabantur.

Differt a febre petechiali 1.) maxime puſtularum proventu, qui hic parciſſimus eſt: 2.) materiæ contentæ diverſitate, quæ in miliar. magis quaſi purulenta exiſtit.

Non adeo *periculoſa* eſt, raro etiam funeſta, niſi ſub peculiari conſtitutione epidemica, vel epidemicæ febri ſociata: vel nimis languide erumpat, vel in ipſo molimine, maxime tardiore, retrocedat. Unde raro febrem vehementem hæc exanthemata ſuſcitant, ſed plerumque lentam, languidam, lipothymicam, variis tamen & vagis tolerabilioribus intervallis fluctuantem ſequuntur maculæ minores ſaturatiores *ſcorbuticæ*, individuali raritate occurrentes, quæ a miliari acuta diſtinguendæ.

Cap. XII.

Hiſtoria Febris compoſitæ.

1. Ex acuta periodo.
2. Ex intermittente periodo.

Synochus cum ſynocha, continens cum continua, ſynochus cum putrida, cum periculoſo, ad minimum graviore ſucceſſu conjunguntur. Synochus enim intendit ſanguinis abundantis reſolutoriam con-

conſumtionem, ſynocha vero qualitatis ſecretoriam depurationem; qui ſcopus conjunctus difficilius obtinetur. Unde plethorici febre maligna gravius decumbunt; cum qualitatis ſecretio lentum progreſſum requirit; quantitatis vero reſolutio ſummam intenſionem motus attritorii. Inde in maligna æſtus intenſior eſt ſub tali complicatione, quam ex putridæ eſſentia prodire ſoleat.

Inde emergit prognoſis utilis, dum ſynochus nil periculi ſecum ferat, putrida vero plus; itaque conjunctio actum febrilem laborioſiorem reddat.

Synocha putris facile producit ſtagnationes & inflammatoriæ febris typum, ſcil. hepaticæ, phreniticæ, anginoſæ.

Synochi puri noſtro ſeptentrionali climati rariores ſunt: Unde & criſes puræ hæmorrhagicæ & ſudoriferæ rariores, typo ſcil. legitimo reſpondentes.

Synochus æquali, nil interrupto tenore, curſum ſuum abſolvit: Continua vero non intermittit, ſed exacerbationem vel remiſſionem præ ſe fert. Jene liegen in einer Hitze fort, dieſe wechſeln um, daß ſie zu einer Zeit ſehr hart angegriffen werden, zur andern Zeit ſich wieder leidentlich befinden.

In continente non intenditur caloris gradus ad inſignes exceſſus; impatientia major, quam æſtus obruit patientes, vel anxia trepidatio; oppletiva magis gravitas, quam virium defectus.

Mentis turbatio levior, niſi phrenitis ſuperveniat; non habet ſenſibiles alterationes; quo magis vero has offert, eo pejoris putridi ominis eſt. Unde in mixtione continuæ cum continente calor major cum remiſſione ac intenſione typi exurgit.

Complicatio itaque periculum adfert, uti dictum, dum plethorici in malignis criſes continentis moliuntur & continuæ negligunt, maxime ventilatione invitati. Fit criſis hæmorrhagica in congeſtione anginoſa ſubſiſtens, cum mentis obnubilatione, aurium obtuſione, ſtrepitu, tinnitu, oculorum ſplendore; ultimo apoplexia ſeu ſuffocativa mortis ſcena, & poſt mortem effuſione ſanguinis e naribus, infundibulo; quam erroneam criſin indicabat ſtrictura inferiorum, daß ſie von unten auff ſterben.

Uti itaque continens cum continua complicata periculum magis adfert e differentis ſcopi difficiliore executione: ita non minus gravior effectus miſcela emergit, ſi ſynochus cum cauſo, intermitten-

te,

te, variolis &c. conjungatur; ut inde ſpecialis malignitas febri depuratoriæ quoad ſui naturam non debeat tribui.

Uſus ex hiſtoria therapevtica ſatis evidens eluceſcit. Ita enim Venæ Sectio' pro plethora ventilanda ad facilitandam ſecretionem non bene cedit. Larga typum invertit; parcior ſanguinem magis ad exundantiam hæmorrhagicam invitat, ut ad criſin molimen tale congeſtorium certo eveniat, ac ſtaſin in capite lethalem generet.

In ejusmodi etiam miſcela commotio ſanguinis calida ſummopere noxia evadit, maxime ſi nulla præceſſit larga ventilatio, poſt quam regimen *διαπνοικὸν* intentionem exundatoriam invertit, & ſecretionem promovet. Fieri vero debet illa ventilatio in primo principio, plethora ſatis eminente ſufficiens, imo verſus criſes repetita, in fronte, naribus, lingua.

Attamen talis miſcela methodum leniorem præfert per diluentia, temperantia, diapnoica lenia, potum calidum, regimen temperatum.

Si ventilatio ſit præmiſſa, tunc verſus criſin deſpumatio naturæ eſt roboranda alexipharmacis.

2do. Ex intermittente periodo.

Hæ febres certos dies & plus minus certas quoque horas exacerbationis ſuæ habent, & quidem ſingulis paroxyſmis cum frigore ac horrore recurrunt.

In paroxyſmis vero ſubſequentibus, licet æſtu, impatientia, inquietudine, ſiti, debilitate ſenſibiliter acutis, ſæpe tamen frigus vel plane nullum, vel ſatis moderatum deprehenditur, ut extremitates digitorum, naſus, auriculæ leviter frigeant.

Sunt vero compoſitæ tales modo tertianæ, modo quotidianæ, modo hemitritæi, præſertim ſi quoad horas recrudeſcentiæ varient.

Tales enim febres raro exquiſitum tempus ſervant, ſed plerumque anticipant, quod quidem adeo malum ſignum non eſt, ſi 1 vel 2 horarum intercapedine fiat; pejus vero, ſi plurimum anticipent, vel vago motu titubent, ut aliquando intra 2 paroxyſmorum tempus, etjam ſtricte aliqua anticipatione æſtimatum, ter eveniant, & quidem jam pluribus, jam paucioribus horis interpoſitis; ſemper enim in aliis febribus pejoris præſagii eſt, ſi a ſegnioribus initiis ad anticipationes inſignes pergant. Quæ multum anticipant & breve frigus formant,

illæ præcipites ſunt ad ſtatum acutum inflammatorium, periculoſum.

Si vero ejusmodi compoſitæ parum anticipent aut plane poſtponant, inclinant in lentam & hecticam, niſi recte curentur.

Quodſi vero ſenſibiliter remiſſiones & veluti tranquillitatem circa finem unius paroxyſmi verſus novum inſultum febres tales exhibeant: tum eo mitiores ac minus periculoſiores haberi merentur.

Tertianæ & quotidianæ continuæ in talem diverſum ſtatum in ſpecie inclinant.

Quartanæ vero continuæ ſtatum lentum, imo hecticodem typum formant, neque raro in duplicem typum tranſeunt, ut uno die quietiore, duos deinde paroxyſmos moleſtos efficiant.

In genere vero notandum, quod omnes tales compoſitæ febres proclives ſint in acutas aut inſtabiles typos; & non raro vagæ exiſtant, vel in recidivas, alio ad minimum ſchemate, inclinent.

Imo ipſæ tales recidivæ, quanquam typum intermittentem & quaſi penitus benignum forment, nunquam tamen ſuſpicione carent, & ſat facile denuo in acutas tranſeunt, omnium vero facillime in lentas & hecticas.

Quod quidem eo certius contingit, quando prior ſtatus febris vel ſub compoſito typo, vel ſub intermittente, adſtringentibus febrifugis obrutus fuit.

Quod vero de hectica, febribus ejusmodi ſuccedente, dictum, valet de illis præcipue ſubjectis, quæ habitu corporis ſicciore, ſtrictiore ac denſiore inſtructa ſunt. Laxiore enim habitu præditis eveniunt œdemata, hydropes &c.

Idem exitus dictus evenit quoque circa partes ſuperiores, conjuncta ſiti, oris ſiccitate, calore moleſto partium ſuperiorum, appetitus lapſu; unde hecticam febrem deliteſcere patet. Aliquibus tuſſis & pectoris anguſtia phthiſin præſagiunt ac ſenſim inducunt.

Cap. XIII.

Hiſtoria Febris ſecundariæ ac ſymptomaticæ.

SEcundariæ febres adjunguntur aliis affectibus, ut *inflammationibus* internis, congeſtionibus arthriticis, motibus bilioſis &c.

(Sym-

(Symptomaticarum nomen minus congrue hic uſurpari docet Stahl. in Diſſ. de febribus ſecund.)

Sunt ſine *typo* propter inæqualem ſucceſſum inflammationis. Quæ vero cum evidentiore typo & invadunt & progrediuntur, vel non ſunt inflammatoriæ, vel benigniores. Quo magis typum tranquille ſervant, eo minoris ſunt periculi, uti certiſſimi non ſolum, ſed & eximii; maxime ſi typum acutum ferociter repræſentant.

Malignitas tamen competit non febri, ſed humori ſtagnanti.

Fundamentum latet in ſtaſeos discuſſione, vel ſi hoc fieri nequeat, fermentativæ portionis depulſione, quod ſub directione toni perpetratur.

Nullæ in hac febre ſunt expectandæ *criſes*, multo minus expediendæ. Ad acutum ſchema inclinant tamen & ſtaſeos discuſſionem ad 4. diem intendunt.

Lenta tamen *discuſſio* opus eſt in abſterſione discuſſoria ulcerоſorum internorum affectuum, ne ſub impetu collectio ſanguinis corruptionem præcipitet. Unde talis lenta discuſſio facile exacerbatur in acutius ſchema per externas occaſiones.

Febris hujus feraces ſunt præ aliis viſceribus *pulmonum* ulcerationes, quæ a diſpoſitionibus nodoſis tandem commotione febrili magis quaſi inferuntur. Habent tamen ejusmodi affectus a febribus ſuam ſeparatam exiſtentiam, quippe qui febrem ſtricte non ſupponunt. Non deſunt enim exempla vomicarum & ſuppurationum viſcerum ſine febre pus effundentium. Qualia nempe ſubjecta (ſi pulmonum vomica ſubſit) ſub corporis intemperantiore motu vel vini generoſioris largiore potu, ſuffocationem ſtrangulatoriam derepente incurrunt, & ſi demortui ſecentur, pulmonum ſuppurationes inveniuntur, cum vivi ab hecticis languoribus & caloribus prorſus fuerint immunes. Nil detrahunt itaque hæ febres ulceribus, qua talibus, quamvis etiam illis nil noceant, ſed dum tranquille procedunt, exacerbationes inflammatorias occupant.

Huic febri etiam expoſita ſunt *rhevmata arthritica*, maxime in ſubjectis ſanguineo-cholericis, plethoricis, ubi vago motu ſcenam ſuam ludit.

Maxime vero, ſi arthritis & podagra libere indolem ſuam exercere nequeat, hæc febris ſupervenire debet. Quod inprimis in podagra *retrograda* evenit & inflammatorias progenerat.

Si ſegniores fiant retroceſſiones, tum loco febris tumores œdematoſi ac hydropici ſubſequuntur.

De *febre biliosa* jam superius dictum, & plura de inflammatoria speciatim prolata.

De *erysipelacea* acriore biliosa diffusiore notat observatio, „quod ejus materia acris per humores ad superficiem expelli debeat, nisi ex regurgitatione maxime ægros in gravia damna & pericula conjicere velis. Intus enim lethales viscerum corruptiones facile relinquit. Extus vero leniori halitu moderati caloris a reliquo sanguine distrahitur: quod si temere intercipiatur, tum facile ulceratio maligna phagedenica, vel plane sphacelosa subnascitur.

Istæ vero expulsiones erysipelaceæ, quæ per apostases actu biliosas formantur, tanto magis his periculosis eventibus subjacent; unde initio facile ad interiora regurgitant; imo si aliquandiu substitere, tamen sine maturatione cum interioribus magis conspirant.

Simplex vero erysipelas non semper est cum febre; sed fœminæ imprimis, aut erysipelati adsueti, a levi iracundia vel terrore, tacite sine febre motu erysipelaceo corripiuntur, maxime si sensibilis phlegmaticæ sint constitutionis, cum sanguinea, cholerica natura symbolizantis.

Ejusmodi febres chol. erysip. quando vel sponte, (per ægros turbulentiores aut iracundia adhuc glisente) vel arte, (intempestivis aut perversis humorum commotionibus) vel casu, (malo regimine aut dispositione prægressa) a proportionato progressu turbantur, ut vel impetuosius, quam discussio requirit, impellantur, vel criticas commotiones tentent, ubi tamen materiæ genius ἄπεπτος & successibus potius, quam uno simultaneo actu dis- & excuti possit; tum extrusa aliqua portione, hærente autem adhuc aliqua graviore læsione in interioribus, in solennia illa tentatæ & insufficienter patratæ crisеos schemata transeunt; scilicet languores repentinos summos, desperabundam virium & totius activitatis omissionem.

Simplex itaque & successiva stasеos discussio ab observatione *pro felici exitu* celebratur. Proxime apostasis ad ignobilem partem externam. Tertia deterrima est, quando neque discussio obtinetur, neque, licet aliquid extrorsum sit propulsum, reliquum plane dissipetur.

Ex symptomaticis febribus vulneraria evidentior est & evenit, quando hæmorrhagia, maxime plethora commota, violenter adstricta, discussione ac roboratione partis neglecta, vel si adstringentia adhibita coagulandi effectum relinquebant, qui discussionem inflamma-

to-

toriam requirit: vel ſi dolor ingens circa partem tendens, pungens, lancinans, ardens oboriatur, vel ingens contuſio. Aut violenta conſtrictio & inde ingens congeſtio ſanguinis coagulati corrupturi ſit præſto, vel quando a nimia hæmorrhagia debilitatus ſit æger, & ad actum reſtaurationis ſive coalitus præſtandi torpidior ſit natura, vel ſi æger inordinata diæta, calidis acrioribus utatur, aut frigido potu, refrigeratione corporis, maxime partis affectæ, motu immodeſto excedat, vel ſi pars ipſa ſit nobilior, præcipue ſanguine multo perfuſa, vel actu valde ſenſibilis, vel ipſum vulnus ingens & operoſæ diuturnæ reſtaurationis negotium faceſſat, vel evacuationes debitæ, præcipue alvi, ſupprimantur. Inprimis ſi his omnibus cauſæ antecedentes in humoribus & animi affectibus diuturnæ prægreſſæ accedant.

Inflammatoriæ febres accidunt in inflammationibus multum materiæ complectentibus; vel quando pars inflammata valde ſenſibilis ſit, & quidem vel ipſa, vel vicinæ, vel actu dolor urgeat, aut ſi nobilis ac indiſpenſabilis ſit uſus, aut ſi valde ſanguinea, ſive multo ſanguine ordinarie tranſeunte, jam vero ſtagnante referta, aut ipſa ſuppuratione ex parte corrumpenda difficilis & inſolitæ reparationis exiſtat; aut ſi materia inflammationis criticæ vel quaſi ab intro ext uſa inconſiderata medicatione repellatur. Specialiter notandum, quod inflammationibus partium abdominis, præcipue non valde exquiſiti ſenſus, fere typus tertianarius complicetur.

Febres vero *lochiales*, uti *lacteæ* & *ſimplices eryſipelaceæ*, ſunt ſolum motus febriles quam ullo modo typicæ ſive completæ. Lochiales tamen facilius in veram febrem exardeſcunt, omnes tamen ſymptomaticæ proniores ſunt in continuarum typum, quam intermittentium.

Uti febriles motus *podagræ* accedere ſuperius dictum; ita & nephritidi præſertim, quando repentinum paroxyſmum parturit.

Tali motu febrili erumpunt excretiones aliæ quoque, unde *horrores lactis*, quibus lac in mammas puerperarum imprimitur: Item horrores cum inſequente æſtu eruptionem *fluxus albi*, aliquandiu cohibiti, impetu quodam expellentes: Motus febriles *a ſcabie retropulſa*, *ulceribus antiquis conſolidatis* conſuetis, *pedum ſudoribus*, cito ſuppreſſis, ab *evacuationibus artificialibus ſanguinis* in ſenſibilibus intempeſtive aut inſufficienter admiſſis vel cohibitis; item a *dentitione difficili*; a *vermibus*: a *fœtu mortuo* excludendo &c. ſuccedunt, imo

re impeditius ſuccedente, aut retrocedentes acutæ febres ſubnaſcuntur: unde non male dicitur, cum omnibus morbis concurrere febres. Quoad primum tamen ortum non confundenda commotio talis febrilis, utpote nullius inſignis, nedum directi effectus, cum febre ſtrictiore ſenſu ſumta, ad certum magis directum & proprium finem inſtituta, & typum ad effectum primarium proportionatum ſervante. Siquidem talis accidentalis vel plane ſecundaria commotio parum ſpecialis therapiæ poſcit.

De eryſipelaceo motu adhuc monendum, quod magis intermittentis frigoris & æſtus, quam completum typum exhibeat. Sentiunt ægri per plures dies languorem & laſſitudinem ſine cauſa manifeſta. Et quamvis actu non frigeant, horridula tamen ſenſatione ad quosvis motus corporis, ad quamvis allabentem auram percelluntur, ultimo vero invaleſcit & increbeſcit hic frigoris ſenſus, intercurrit maxime ultimo φλόγωσις. Denique ſentitur alibi in artubus dolor gravans, tendens, plus ſolito calens, imo denuo notabiliter exæſtuans. Locus affectus inflatur, tumet, non tam profunde, quam late circa diffuſo humore, rubet roſeo vel ſaturatiore colore. Occupat ibi calor, nitet inflatione locus. Interdum tumor profundior eſt, durior, cum ſaturatiore colore, intenſiore, æſtuoſo dolore, punctorio, contuſorio, qui ſtatus magis phlegmonodes eſt. Quo gravior vero eſt commotio, eo gravius fit eryſipelas, cum præcipiti magis horrore, æſtu, palpitabundo tremore. Continuat vero talis ſtatus ad plures horas, deſinit in æſtum vegetum: concurrente anxietate, alvi adſtrictione &c. Præceſſit communiter iracundia, magis tamen diſſimulata, vel terror repentinus, plerumque tamen cum indignatione conjunctus. Sæpe etiam talis commotio in conſuetudinem abit, ut vel tempus antiquum ſervet, vel, ſi tempeſtas importunior concurrat, hoc anticipet. Quo ſenſibiliores & nobiliores partes occupavit, eo diutius continuat ſtatus febrilis, ut in capitis præſertim eryſipelate, vel phlegmone partium poroſarum in ſanguineis, quæ in glanduloſis bubonodes tumores format.

Cap. XIV.

Hiſtoria Febrium Intermittentium in genere.

GEnerale ſignum eſt, quod paroxyſmus cum omnibus ſymptomatibus aliquod tempus notabile interpoſitum relinquat vacuum

um a commotione febrili; ut ad ſummum torpor aliquis & fatigatio, quaſi a labore perpetrato, & aliqualis imminutio appetitus vel tenſio poſt cibos tantum reſtet.

Exordium talium febrium plerumque præcurrere ſolet ſpaſtica quædam circa peripheriam corporis commotio, tanquam longinquum quoddam molimen.

Exerit ſe porro febris tenſione quadam obſcuriore, quam propaſſiva quadam gravitate & quaſi debilitate ac laſſitudine interpretantur ægri: Es liege ihnen in den Gliedern, ſind ſo müde, Bleyſchwer.

Exerit ſe vel activa tenſio ſpaſtica hujus indolis, mox ſenſibilis pandiculationis provocatione cum oſcitatione, appetitus faſtidio, capitis perturbatione, gravitate ſomnolento-vertiginoſa concurrente.

Inde proximus fere tranſitus eſt ad refrigerationem & horrorem corporis exterioris, quam tamen etiam præcedit non modo decoloratio inſignis quædam, ſed etiam præcipue extenuatio & veluti repentina emaciatio externi habitus.

Increbeſcit hoc mirum in modum in ipſo paroxyſmi frigido initio, ubi quaſi exſuccus exſiccatus apparet corporis habitus muſculoſus.

Extendit ſe hæc partium muſculoſarum exareſcentia etiam ad connexas interpoſitas ſupra & ſubſtratas partes molliores: unde digitorum apices veluti acutiores apparent, nares contractæ, aures compreſſæ & quaſi retorridæ; imo ungues digitorum ita ſunt pallidi, ac ſi deſuper depreſſi tenerentur, niſi quod circa radicem ſuam ſublivido rubore adhuc transluceant.

Concurrit vaſorum ſanguiferorum exquiſita compreſſio, ut tum ipſa nunquam appareant, tum nullum ſanguinem ad partes ita conſtrictas emittere poſſint, unde tum coloris ſoliti in eximium pallorem, tum caloris in ſenſibile frigus ſuccedat tranſitus.

Cap. XV.

Hiſtoria Tertianæ ſimplicis & duplicis.

EST hæc febris paradigma omnium febrilium paſſionum, actionum, motuum & effectuum. Unde ejus hiſtoricæ circumſtantiæ reliquos febrium typos declarare poſſunt.

Occu-

Occupat magis juvenilem & virilem ætatem, maſculini præcipue ſexus, & quidem tempore verno. Tempus paroxyſmi ſervat magis ante & verſus meridiem. In perſonis oritur facile nauſeabundis, a nauſea ab aſſumtis violenter cohibita, ne vomitus mox ſubſequatur. Voraces etiam magis diſpoſiti, quique alias errores diætæ diarrhœa ſpontanea non dependunt.

Materiam ſuppeditant eſculenta viſcida, coctionem crudam generantia, piſces, caro dura, ſuilla &c. Nec ſtatim poſt tales diætæ errores ingruit paroxyſmus, ſed prius perſentiſcunt incommoda circa ventriculum & appetitum.

Præludit Paroxyſmus tenſionibus artuum ad oſcitationem, pandiculationem, gravitatem crurum, brachiorum, tendentibus. Proxime vero paroxyſmum præcedit denſatio totius habitus corporis, ut ſubito quaſi tabidi appareant, quod vocant das üble Ausſehen.

Incipit refrigerationis motus ordinarie a regione lumborum circa tendines diaphragmatis, & percurrit juxta circulum diaphragmatis per Zonam veluti infimæ partis thoracis, verſus cordis ſcrobiculum, vel videtur jugi ortu in lumbari illa regione & ſcrobiculi cordis ſimul exurgere & ſibi invicem occurrere, ſineque veluti colliſione quadam diffundi a lateribus per latitudinem tum dorſi tum pectoris.

Primis quidem inſultibus quaſi ſubtilium formicarum fremitus tenerrimi tremoris forma ſeſe offert hic ſenſus, cum levi quaſi aura frigida; quo magis vero increbeſcit, eo ſenſibilius frigus ad rudiorem tremorem format.

Augetur frigoris ſenſus ab apicibus digitorum ad artus, & eorum, imo totius corporis, palpitabundum tremorem ac horrorem. Horror hic vehementior, ſed tamen brevior eſt quam in quartana, tranſcendens rarius unam horam.

Accedit præcordiorum anxia & nauſeabunda anguſtia, quæ ſub exitum frigoris horridi mox in actualem vomitum, nunc cibi indigeſti, nunc ſaburræ mucoſæ, nunc bilioſæ finitur, quod quo maturius fit, eo citius febrem tollit, quo vero laborioſius ac lentius, eo longius febrem protrahit.

Solvitur etiam frigoris maxime rigidi paroxyſmus, cum parvo horrore & nullo vomitu, alvi fluxu, in ætate magis provectiore & corpore magis phlegmatico, vel in quibus mucus indigeſtus diu jam ante febrem obhæſit, aut alias jam ad diarrhœas natura inclinat, vel

motus

motus emeticus ad exitum non perduci potuit, vel etiam contraria medicatione hic motus cum febre fuit cohibitus.

Utraque hac via, ſi paroxyſmus frigoris non exeat: tum aut patiens eſt naturæ languidæ, aut materia febrilis eſt tenacior & ita febris in longum protrahitur, aut paroxyſmus longior, laborioſior, à ſimplici typo alienior, quia ad quaslibet anomalias promtior; imo facile perverſa medicatione in lentam, acutam, hydropicam metaſtaſin abit.

Frigus immediate excipit languor contuſorius nauſeabundus als wann ihnen alles zerſchlagen wäre.

Illi, quibus diutius durat nauſea, hoc incommodum non ſentiunt propter reliquam internam anxietatem.

Fit inde tranſitus ad æſtum; habitus corporis redit ad turditatem, recuperat colorem, imo ruborem & excandeſcentiam.

Qui ſub æſtu non ſunt rubicundiores, vaſis ſanguinis turgidis, ii arctantur admodum circa præcordia, dolent longe intenſius, ſitiunt gravius, tenduntur circa dorſum, jactant ſeſe & inquietos gerunt.

Senſus adeſt oppletivus, diſtenſivus, inquietudo inſignis, perpetua loci & ſitus mutatio. Pulſus eſt celer & frequens, magnus & plenus, uti antea oppreſſius conſtrictus fuit. Sitis & ſiccitas oris; quibusdam oris amarities, aliis cardialgia. Sudor primis paroxyſmis lenis eſt, ſequentibus vero 3. 4. &c. augeſcit. Ordinarie in hoc æſtu abeſt ſudor, qui demum miteſcente æſtus impetu ſeſe exerit; ut adeo tum temporis in artuum extremitatibus aeri expoſitis frigidulus potius ſenſus percipiatur.

Intermedio vero ſtatu inter æſtum & frigus fiunt vomitus & diarrhææ, quamvis hæ quoque durante frigore procedant.

Horror importunior contremiſcens illis, quibus vomitus imminet, familiarior eſt, & cum phlogoſibus levibus emicantibus interpolatus: cum illis, quibus alvi fluxus imminet, major fit rigor, quam frigus tremebundum.

Frigus parvum & breve ſine ullis vel non ſufficientibus commotionibus excretoriis illegitimum & acuto typo propinquum morbum indicat. Si nempe repentinum inprimis vehementiorem & longiorem æſtum poſt ſe trahat. Brevis enim & levis æſtus cum parvo & brevi frigore vix unquam niſi ſeneſcente jam legitima febre evenit.

Alias æſtus in plethoricis & ſanguineis intenſior eſt. Ordina-

rie æſtus ad 6 8, 12 horas durat, faciemque pallidam in ruborem turgidum mutat; ſi vero ſub æſtu pallorem retinet, tertianæ ſuſpectæ malignitatis quid fovet.

De pulſu ſub frigore & æſtu dictum jam eſt. Sudoris etiam natura indicata, quod hic ſub æſtu neque regimine neque medicatione prodeat, ut contra magis ita, maxime in plethoricis in deliras anxietates præcipitetur. Calor, quo longior, eo difficilius & parcius maxime 1. & 2. paroxyſmo ſudor ſuccedit, præc. patiente inquieto aut ſe refrigerante, Poſt 8, 12 vero horas remittit æſtus in ſudorem, qui placide promotus reliquos paroxyſmos leniores reddit. Nimium vero concitatus in febres compoſitas, lentas, acutas, ſudatorias debilitationes deducit; impeditus autem & cohibitus in febrem magis chronicam languentem. In primis paroxyſmus lenior eſt, quam in 3 & 4. quo ad minimum feliciter erumpit. Quæve tertianæ ſine tempeſtivis ſudoribus affligunt, illæ pertinaciores ſunt, uti illæ, quæ vomitu & diarrhæa non ſolvuntur.

Si tertianarius paroxyſmus ultra 12. horas perduret, pro compoſita ad continuum genium accedente habetur, inprimis ſi vehemens æſtus poſt paucum frigus duret.

Tertiana vaga in illarum typum proclivis eſt, quarum horis diutius immoratur; anticipans in continuam, poſtponens in lentas vel quartanam.

Urina primo eſt flammea, poſtea magis cocta.

Saliva pauca ſpumida cum oris ſiccitate unde guſtus perit, daß ihnen alles wie Holtz ſchmeckt.

Redit itaque orthoſtadia neque in alternos dies paroxyſmus eandem ſcenam repetit. Rarius ante quartum, ſæpius vero cum 7mo paroxyſmo finitur; recte ſcil. obſervata & adminiſtrata ejus indole, alias non obſervata in noſtris climatibus vel 41, vel 71. paroxyſmi efficacia ad univerſum effectum quaſi critice terminandum. Si languidius vel maturius emaneat, tum tamen alternis diei languoris inſultum, faſtidium, ſegnitiem, gravitatem, ſomnolentiam, refrigerationem relinquit.

Impetuoſiores Tertianæ vertente anno eodem circiter tempore facile recrudeſcunt.

Ordine igitur hoc exeunte febre, ſanitas utplurimum firmior redit, appetitus vegetior, augmentum corporis majus, idque ſæpiſſime tertiana ſine febre ſoluta.

Sup-

Suppreſſa vero vel redit idque ſalutariter, vel degenerat in continuas in ſubjectis calidis plethoricis, vel hecticas in ſegnioribus pituitoſis, aut quartanas in autumno, aut in icterum, hydropem, choleram.

Impetuoſior etiam ſi fuerit: tum facile vertente anno ac tempore recrudeſcit.

Plebs jam in febribus cum edacitate junctis, Freß-Fieber, pertinaciam & diuturnitatem præſagit.

Peculiare etiam huic febri eſt, quod 1. in edacibus maxime in conſuetudinem abeat, licet nulla ſemper urgeat materia & ægri die intercalari optime valeant. 2. Quod etiam in diſpoſitis contagium, e. g. contactu, dormiendo in eodem lecto, bibendo ex iisdem vaſis, iisdem cochlearibus utendo exerat. 3. Quod aliæ epidemicæ hunc typum ſemper mentiantur, præc. tempore verno, quamvis haud raro ſine peculiari majoris periculi nota.

Quæcunque ſponte curantur, vomitoriæ ſub frigoris finem & ſudatoriæ ſub æſtus remiſſionem ſunt.

Hiſtoria Therapiæ tradit genium triplicis methodi, per purgationem ſive vomitionem, ſuppreſſionem, & diverſum morbi ad has medicationes eventum.

Per veterum catharſes febris mitius quidem decurrit ſed longius protrahitur.

Recentiorum emeſis in robuſtis mature adhibita febrem tollit. At teneriores plethoricos, nondum digeſto muco, vehementius angit, & in poſterum utilioribus conatibus inidoneos reddit. Evemetis jam ſponte ad vomitum propendentibus facile hypercatarſes ſine ſufficiente utili excretione excitat; tanto magis, ſi in diuturnis & jam in habitum deductis febribus applicetur, nocet. Nocet etiam, ſi vomitus coactus ſenſibiliter excedat, & ipſas vires, imo tenorem & ordinem motuum gravius concuſſit. Niſi Emeſis non evadit noxia in pauciore propenſione ad vomitum, tamen eſt inefficax. Ubi vero adeſt propenſio, ibi nuda emeſis periculoſa eſt nec neceſſaria.

Suppreſſio & cohibitio febris ſine præſentaneo incommodo utilis eſt in robuſtis, antehac ſatis ſincere ſanis, non primo ſtatim aut ſecundo paroxyſmo nec etiam propius impendentibus paroxyſmis, omnino tamen verſus illos adhibita. Contra nil juvat, ſi ſine reſpectu ad paroxyſmi diem ſcil. vacuo ſaltim adhibeatur, noxam exhi-

bet,

bet, ſi materia non evacuata febris adhuc vigeat, in plethoricis, ſudoribus nullis vel inſufficientibus ſecutis, largius & continuando adhibita ſit ſuppreſſio & nihilominus ſudoris commotio conjungatur.

Si hæc methodus etiam directum ſuum aſſequatur effectum, hæc tamen incommoda certo poſt ſe trahit, quod cum appetitus augmento alvi pertinax conſtipatio ſequatur, quæ a cortice introducta, ſi ſtimulo quodam cathartico rumpatur, mox novi paroxyſmi redeunt.

Minus vero caute adhibita cohibitio ſonticas infert noxas vel tardiores vel præſentiores vel præcipites.

Tardiores non quidem ortu, ſed progreſſu ſunt adſtrictio alvi & in conſuetudinem quaſi abiens: anguſtiæ inſolitæ, maxime circa præcordia, maxime poſt paſtum, ubi etiam in paulo magis plethoricis φλόγωσες, faciei rubores, capitis gravitates, inertia ſomnolenta inſolita concluſa potius alvo quam ſicce, anxiæ tenſiones in abdomine cum borborygmis, ſenſim magis importuna pathemata hypoch. tandem etiam coctionis & diſtributionis vitia.

Ab his omnibus ſegnis quidem, non tamen adeo rarus fit progreſſus ad ea mala, quæ aliquando etiam præſentius evenire ſolent. Qualia ſunt pathemata colica, inflammatoria, abſceſſoria ſcirrhoſa in abdomine, icterus, tabes, cachexia, œdemata aſcites, tympanites, ἀναστάξια, febres acutæ, inflammatoriæ, anginæ, ſtrangulationes cardialgicæ, febres lentæ ſudatoriæ, hecticæ, anomalæ vagæ.

Parcius datus cortex nil perpetui præſtat, maxime materia nondum ſublata. Verſus paroxyſmum propius inſtantem datus nonnunquam vomitum vel alvi fluxum, aliquando utrumque ſimul excitat.

Aliam methodum naturæ medicantis adjutricem commendat experientia. 1.) Digeſtionem & præparationem materiæ adjuvare verſus paroxyſmum per Salia med. cum abſorb. in chronico vero ſtatu per amara aromatica, piper, Zingib. radicem Ari. gent. herbas abſynt. cent. 2.) Sub finem vero æſtus diſcuſſionem per alex. parca promovere. 3) Motum, ne in conſuetudinem abeat, tollere per cort. chin. cr. Martis, Antimonii vel Sulphuris, pil. Wild. conchas uſtas. (in robuſtionibus.)

Tertiana Duplex.

Dignoſcitur ex alternorum paroxyſmorum convenientia, ratione temporis invadendi & durandi vel utriusque.

Eget

Eget typus curioſa obſervatione, ut a quotidiana dignoſcatur, quod facile fit, ſi tertiana ſimplex præceſſerit. Raro tamen occurrit, nec medicum uſum aut diverſam tractationem depoſcit.

Illud magis conſiderandum eſt, an revera ſenſibiliter remittat. Quamvis ſi hoc etiam faciat, tamen negligente tractatione perverti non debet, ſiquidem tunc in continuitatem prona obſervatur, imo potius in acutum typum, qualis medicamentis & regimine æſtuoſo evenit, aut malo regimine ſub æſtu.

Curatæ palliatione & cohibitione recidivam vel acutam ſub temporis & tempeſtatis mutatione pariunt. Acutæ tales ex intermittentibus natæ ſunt pejores. Quæ tardiùs recidivant in ſimplices degenerant. Quo magis continuæ ſunt, eo magis in lentas inclinant. Si eodem die paroxyſmo repetant, tum magis in acutam inclinant. Quo magis typus vagatur, eo magis in alium inclinat. Anticipantes in continuam; poſtponentes in lentam, vel remiſſionem, ſi paroxyſmi decreſcant.

Cap. XVI.

Hiſtoria Quotidianæ,

RArior eſt difficiliusque a tertiana duplici dignoſcitur.

Habet vero paroxyſmos ſive conſtantes ſibi invicem correſpondentes tempore invaſionis & durationis, ſive conſtantes ita diſſimiles, ut nullus proportione prægreſſorum propiorum cuidam reſpondeat, quod tamen poſterius rarius, prius vero frequentius fit.

Invadit tempore matutino hora 6, 7.

Æger friget communiter & horret ad horæ ſpatium: Ejicit ſatis vegete per vomitum vel per diarrhæam, per utrumque deinceps.

Sequitur inde calor & ipſe plerumque ſatis æſtuans cum dolore capitis, ſiti, inquietudine.

Durat fere brevius, ita ut totus paroxyſmus, ſcilicet impetu ſenſibiliore, raro ſex horas tranſcendat.

Terminatur etiam fere breviore tempore ac periodo tota febris, præſertim ſi dictæ illæ excretiones vegetæ ſucceſſerint.

Reliquæ circumſtantiæ eventus & curæ conveniunt plerumque cum tertiana.

Cap. XVII.

Hiſtoria Quartanæ.

REdit hæc febris quarto die diebus 2 intervacuis.

Eſt lenta incompleta præcipue in annoſis.

Conſiſtenti enim ætati & ultra; item ſegnioribus naturis, melancholicis & ſplenicis familiaris eſt; raro juniores invadit.

Autumnalis plerumque eſt, & horis pomeridianis tertia vel quarta invadit, usque ad futurum æquinoctium plerumque ſeſe protrahens per ſemeſtre tempus.

Succedit ſubinde aliis febribus prægreſſis, male tractatis, ictero quoque & diarrhœis ſuppreſſis.

Imminente invaſione ejus ægri antea corripiuntur nauſea & torpedine membrorum; mox vertigo cum dolore gravativo capitis & præcordiorum, ſuccedente rigore languido & tenſione membrorum (non tamen fit horror cum ſtridore dentium, uti in tertiana, niſi in junioribus & vegetioribus) id quod per 1, 2, durat horas.

Frigus tale non inſequitur vomitus aut diarrhœa ut in tertiana: ſed eſt alvi obſtructio plerumque ſat gravis: conjunguntur tenſiones in hypochondriis cum anxietate, in artubus faſtidioſis languor, gravitas, torpor &c.

Poſtea vero lento gradu mediocris ſuccedit æſtus (niſi in junioribus plethoricis auctior evadat) ſiccus cum laſſitudine: ita ut vel non diu, vel non parum, vel utrumque æſtuent.

Quæcunque vero quartanæ diu æſtuant veſpertinæ, aut nocturnæ, aut vagæ, in continentem vergunt, vel lentam hecticam cum ſudoribus ſub ſomno, alvi ſiccitate &c.

Durat æſtus vix ultra 3 horas, donec tandem ægrum profundior capiat ſomnus cum tumultuoſis inſomniis, pulſu debili, & lento; adeſt dolor capitis gravativus, ſtupidus, ſomnolentus. Junioribus plethoricis calidioribus vertigo inſultat.

Duobus vero inſequentibus diebus ægri ſat bene valent, niſi quod ſint non nihil torpidi, alvi ſiccæ.

Ægri ſunt familiariter ſimul flatulenti, perſentiſcunt dolores ſiniſtri hypochondrii, tenſiones, gravitates, inflationes &c.

Animo ſunt faſtidioſi, taciturni, tædioſi, moroſi quaſi mœſti, penſitabundi vel ſtupeſcentes.

Appetitus valde vagus eſt. Sunt quidem famelici, at ad prægravationem ventriculi proclives. Appetitus initio faſtidioſus, aſſuefacta febre in voracitatem & famem transmutatur. Potus parciore tenentur deſiderio, vel plane faſtidiunt conſuetum potum, quanquam ſitiant.

Tuſſis ſicca & profunda ſatis familiaris eſt quidem, ſed non ordinaria eſt.

Somnolentia in paroxyſmo non ita eſt incommoda. Cohibitio vero ejus vertigines & capitis graviores dolores adducit.

Inter cauſas externas terror ſubitaneus, frigidus potus &c. recenſentur; In feminis menſium vitia per medicamenta minus convenientia alterata, & ſanguinem circa V. p. nimium commovendo vel adſtringendo in infarctum deducta.

In quartanariorum ſectis cadaveribus hepar plerumque reperitur aridum & corrugatum. Hinc uti hæc febris ſæpe ſuccedit, ita etiam præcedit icterum. Inde etiam familiariter hectica inſequitur, nec non aſcites, œdemata &c.

Hiſtoria curationum nuſpiam approbat ullam commotionem evacuatoriam ſortem. Alterationem, apertionem lenem abſterſoriam, laxationem contra ſuadet. Diaphoreſis per ſe huic febri adverſa: unde diaphoretica regimina & medicamina, maxime ſub paroxyſmo adhibita, paucæ utilitatis ſunt. In & cum paroxyſmo etiam non ita feliciter curamus, quam in tertiana.

Specifica & ſopientia nonniſi ſub remiſſione paroxyſmorum ſunt adhibenda, quando ſcilicet leviſſime revertuntur.

Adſtringentia præmature adhibita habent pediſſequas icterum nigrum, hydropem, hecticam, aſthmata, catarrhos, metaſtaſes inflatorias & inflammatorias crurum, &c.

Maxime vero non ita raro translatione ac apoſtaſi quadam afficit crus ſiniſtrum, ut illud intumeſcat, indureſcat, e rubro lividum calorem adſciſcat cum pruritu, ardore, & in hac prava conſtitutione magis magisque obfirmetur; imo denique etiam ulcerationibus mali moris corripiatur.

Interdum fœda & inſolita ſcabies poſt diuturnas quartanas exoritur, non minus moleſta, quam contumax.

Suppreſſa magis quam curata facile repullulat, vertente anno, & ſubeunt ad minimum alii hypochondriaci moleſti & obſtinati affectus.

Reci-

Reciprocantur interdum quartanæ cum ictero dyſpnœa, tumoribus œdematoſis aſciticis, tympaniticis, cachexia, tabe: ita ut quartana his & hæc quartanæ cedenti ſuccedant.

Interdum conjunguntur & concurrunt; ſuperveniunt & complicantur.

HISTORIÆ MEDICÆ
SECTIO SECUNDA.
ANOMALIÆ TONI.
MEMBRUM I.
HISTORIA HÆMORRHAGIARUM.

CAP. I.
Hiſtoria ſtatus hæmorrhagici,
in genere
quoad α. internas.
β. externas.
γ. inſolitas.
δ. incongruas.
naturales.
artificiales.

Hiſtoria Hæmorrhagiarum
IN GENERE.
UBI
I.
Internæ.

QUotidianæ, ad quam provocamus, experientiæ teſtimonio ſatis ſuperque conſtat, internis hiſce crebrioribus pariter ac largioribus

bus promte ſuccedentibus hæmorrhagiis expoſitos eſſe præcipue juniores, tum ſanos, agiles, ſenſibiles, plethoricæ conſtitutionis, voraces, qui vaſis inſtructi ſunt capacioribus, cholerico-ſanguineos alacris animi ad iram & terrorem præcipitis.

Interim eadem Magiſtra docet, non omnes plethoricos in haſce incurrere; ingens enim talium hominum numerus vivit, non modo nullis ſubjectus hæmorrhagiis, ſed etiam neque periclitationibus & præſentioribus ſanguinis commotionibus.

Et hoc maxime in illis, quibus 1. animus eſt liber & tranquillus. 2. Rerum non-naturalium moderatus uſus. 3. abſentia violentiæ externæ & præcipue commotionis plethoræ per fortiores corporis aut animi motus. 4. neque exitus ſemel eſt factus, indeque nulli ſcil. motui ad excretionem repetendam ſeſe aſſuefecit natura.

Unde & apud inſuetos nullum notabile damnum inſequitur per ſatis longum tempus.

Progredimur ad cauſarum hiſtoriam.

Ubi præter internas ſcilicet temperamenti habitum, hæreditariam diſpoſitionem, abundantiam ſanguinis, multum quoque conferunt externæ: aſſumta aromatica, calida, potus ſpirituoſi & ſpirituoſo-fermentativi, aer calidus, humidus, commotio humorum fortior orgaſtica per motus corporis inſolentiores & hinc tranſitus ad repentinam refrigerationem.

Item violentia externa, & per hanc fluxus per aliquod tempus concitatus, per lapſum, verbera &c.

Nec prætermittenda hic ſilentio eſt adſuetudo ex frequentiore & facili ſucceſſu ſuſcepta, unde hæmorrhagiæ ſtatæ, pertinaces.

Antequam vero erumpant, fit inflatio vaſorum non tam arterioſorum quam venoſorum, non ſolum in ipſo loco affecto, ſed & longe lateque circa, cum tono partes a loco excretorio remotiores ſtringente.

Ita e. g. in menſium fluxu minus expedito color & calor adeſt, aſpectus attenuatus cum internis anguſtiis & ſub levi corporis motu oppletionibus.

Erumpunt autem hæ ordinarie tacite, fluunt moderate, deſinunt ſua ſponte ac tranquille.

Neque eas a vitiis craſeos, inteſtini motus tam augeri certum eſt, quam ab animi pathematibus, & præcipue conſuetudine, illo quorumvis naturæ motuum tyranno, quam facillime ſuſcipiunt;

Adeo ut quædam ſtata periodo etiam revertantur, ut maxime menſium & hæmorrhoidum fluxus.

Hæc periodus tam in genere ratione reditus, quam in ſpecie ratione durationis, non adeo facile, multo minus perpetua & eſſentiali conſecutione a craſi alteratur, licet ipſius fluxus ſucceſſus minui aut ſanguis ad exitum ineptior evadere ſoleat.

Ratione prognoſeos tantum abeſt, ut moderata hæmorrhagia debilitet ſubjectum, ut ne quidem largo fluxui ſpontaneo, modo non impetu repentino evacuetur, virium lapſus ſuccedat; (quemadmodum in violentis caſibus) ſed potius allevet, prægreſſam gravitatem eximia alacritate permutet & a variis morbidis affectibus non ſolum præſervative immunes reddat, ſed etiam curative ab iisdem præſertim aſſuetos eruptione ſua liberet.

Imo ſubjecta has certo tempore diu experta, & citius morbos ſuperant & vivaciores exiſtunt aliis, qui hæmorrhagiis non adſueti ſunt.

Interim emanſionem harum inſuetis per ſat longum temporis ſpatium non adeo noxiam eſſe jam præmonuimus.

Cauſis veto & moliminibus ad exitum præſentibus nec tamen ſuccedente hæmorrhagia multo periculoſiores oriuntur affectus ſcil. congeſtiones, dolores, æſtuationes, ſtaſes, inflammationes, ſuppurationes; ſpaſmi, palpitationes, convulſiones, translationes & vagæ graſſationes, corruptiones ſphaceloſæ funeſtæ: vel etiam febres labore atque duratione ancipites.

Differunt internæ *α*) Eſſentialiter ratione ætatis & loci; puerili enim ætati hæmorrhagiæ narium, juvenili hæmoptyſis, conſiſtenti hæmorrhoides internæ & externæ, vomitus cruentus, (in fem. magis) ſenili mictus cruentus eveniunt, fœminis peculiaris eſt fluxus menſium.

ϛ) accidentaliter ratione 1.] conſuetudinis, 2.] hareditariæ diſpoſitionis, 3.] period.

2.

Externæ.

Violentæ & paſſivæ.

Ad has quadantenus pertinent lochia, hæmorrhagiæ narium a ſcalptione poſt pruritum, pectoris a gravi conniſu verſus pondera.

In genere vero huc referuntur magis proprie.

Ru-

Ruptiones a niſu vehementi, ponderum lapſu, quæ maxime exitus ſuos nanciſcuntur e thorace, ventriculo, inteſtinis & utero.

Lacerationes a morſibus animalium & rerum aſperiorum contuſionibus, calculo.

Eroſiones frequentius ab internis cauſis, ulceribus pectoris, renum, rarius ab externis, halitu corroſivo &c.

Sectiones a quovis ulcerationis genere.

In his quanquam nimia ſanguinis amiſſio damnum potiſſimum eſt, excretio tamen non admodum immoderata æquale incommodum haud infert.

Quod tanto magis valet, ſi plethoricis hæ obveniant, utpote qui in præſens minus periculi ſubeant a tali profuſione, quam a præpropera illius cohibitione in futurum. Hanc enim facile inſequuntur inflammationes, febres, ſpaſmi &c.

Quid! quod etiam anniverſariis ſanguineis motibus expoſiti ſint, qui in ejusmodi caſus inciderunt, non ſecus ac a ſcarificatione & Venæ Sectione neglectis & repetendis.

Specialius a nuda vi externa hæmorrhagiæ differunt.

I. Ratione locorum ſive viarum.

Ubi e partibus ſpongioſis, quæ procedunt hæmorrhagiæ per harum vulnera ſunt quidem ſæpe ſatis prodigæ imprimis in talibus, quorum tota corporis textura laxe ſpongioſa eſt: non tamen æquant communiter illas profuſiones, quæ ex ipſis vaſis inciſis erumpunt.

Diſpar tamen etiam ratio eſt ipſorum vaſorum, in ramis ſcil. non in capacibus truncis, quibus alias inflicta vulnera, uti rara ſunt, ita nimiæ & funeſtæ profuſionis.

Satis enim notum eſt, arteriam inſigniter conſauciatam [non item venas, quarum vulnera cito & facile coaleſcunt] v. g. dimidia ſui capacitate aut amplius inciſam longe minus cohiberi poſſe ab effuſione ſanguinis, quam ſimpliciter ſane reſectam, dum quomodocunque membrum vel pars mollior ponatur, inflicti vulnuſculi perpetuum quendam hiatum efformet.

Unde cavendo ab infauſta tractatione per actualia canteria, nullum certius hic datur remedium, quam plenaria diſſectio, Spiritu vini rectificatſſimo ad ſiſtendum ſanguinem dextre applicato.

2. Ratione motus ſive impulſus, qui ſingularis occurrit in variis exemplis, ubi per ingurgitationem vini, curſum & motus turgefactorios, animi pathemata, iracundiam vehementem, venereas bru-

tales libidines, ſanguinis profuſiones præc. in diſpoſitis, aut plethoricis concitantur.

Commendatur hic Paracelſi monitum : Man ſolte das Blut lauffen laſſen bis auf ſeine ſtatt, ut ſcil. non ſupprimatur ſanguis præcipiti impetu, ſed potius largius antea fluere permittatur.

Cæterum memorandæ pariter hic veniunt *hæmorrhagiæ recrudeſcentes a præmatura* aut rudiore & improvida *eſcharæ* poſt violentas ſanguinis eruptiones obductæ *remotione.*

Quæ quidem hoc ipſo contumaciorem inclinationem ad proſequendas ejusmodi effuſiones, adeoque paſſim adſuetudinem poſt ſe trahunt.

Uti niſi peritiſſime tandem occurratur, certa alia plura pathemata poſt ſe trahant.

Neque omittenda eſt circumſtantia anniverſariarum poſt haſce ſanguinis commotionum, circa ipſa loca atque partes præcedente tempore violatas ; de quibus jam ſupra.

3.

Criticæ in genere.

Hæ uti ſponte aliquando erumpentes, ſi febris reliqua tota fuerit vehemens, nihil modici ſervant ;

Ita ſi ipſis per qualemcunque vim via quaſi pandatur v. g. per venæ ſectionem ſub lingua accidit non raro, ut venæ ita inciſæ ingentem ſanguinis quantitatem profundant difficulter admodum cohibendam.

Si vero juſto maturius, priusquam nempe largam ſanguinis portionem emiſerint, fluxus compeſcatur, vel amittunt omnem efficaciam ſalutarem vel potiſſimam ejus partem.

Adeo, ut patientes, ſi omnino vitam auferunt, diuturnis languoribus, faſtidiis, inquietudinibus, lentis & hecticis febribus, rheumatiſmis ita dictis aut apoſtaſibus ad certa ſolum membra obſideantur, vel motus pertinaciorum morborum ingruat.

Unde in hujusmodi caſibus parum communiter ſatisfacit moderata nedum modica emiſſio aut eruptio, quin potius vel plane exacerbet conniſum univerſum vel ad minimum nullum operæ pretium faciat.

Spe-

Specialiora & apparatum congeſtorium evolve ſub hæmorrhagiis narium.

4.

Inſolitæ.

Hæ paſſim ab autoribus referuntur, præc. de ſexus muliebris menſtruis e loco aliquando alieniſſimo erumpentibus.

Ubi tamen plerumque

1. vel aditum ad talem regionem patiens jam olim experta eſt, a generaliore hæmorrhagica inclinatione; unde poſtea menſes e media gena, a cantho oculi, ex aure &c. erumpentes.

2. Vel frivolam occaſionem dederunt immodeſta ſcalptione, fortuita ſectione aut contuſione cum concerpta cute, aut tenuiſſimis quibusdam varicodeis tuberculis.

De quorum cenſu tum vulgo dicti varic. exiſtunt, tum inprimis, quibus & color eſt ſaturatior & conſiſtentia mollior & ardor pruriginoſus major, unde ſi ſcalpello immoderatius concerpantur, eximius ſang. fluxus ſequitur, Germ. Blut ſeimen.

3. Maxime vero ſi hæc contigerint circa ipſum tempus menſtruum uſitatum, inprimis aut ubi via ordinaria vel intercluſa penitus vel admodum impedita, conatus tamen ſi ſatis conſtat.

5.

Incongruæ.

α) Spontaneæ.

Solent videlicet interdum evacuationes ſanguinis, ſenioribus debitæ, contingere etiam junioribus & reciproce illis, quas hi familiariter experiuntur.

Cauſa quærenda eſt in hæreditaria diſpoſitione rarius in mediatione ſtimulante.

Quanto magis vero incongruarum notam tales merentur, eo plurimum & graviorum incommodorum feraciores exiſtunt.

Ita obſervata ſunt exempla *infantum* menſtrua per genitalia paſſarum, puerorum dejectionem ſanguinis ſinceram expertorum, qui tamen omnes mature vivere deſierunt.

Qui vero *adoleſcentes* a pubertate ad 20-24 annorum ambitum etiam per hæreditariam translationem veris hæmorrhoidalibus evacuationibus adfecti occurrerunt;

Illis partim nil temperans nedum ordinatum eveniſſe animadverſum eſt.

Partim mature Iſchiadicos, podagricos, imo deteriores eventus ſucceſſiſſe aut vitam non ultra 40 ad minimum 50. annos produxiſſe.

Annoſiores ſuperiorum partium impr. hæmorrhagias perpeſſi, ſi hunc morem exadſuetudine ita ſervaverint, ut per juvenilem etiam ætatem frequentius ex hoc loco depletio facta ſit, neque tam crebris nec imprimis vehementibus in poſterum perturbationibus obnoxii ſunt.

Interim vix unquam ſine conſpicuis incommodis.

Tanto magis quicunque præter continuatam hanc adſuetudinem occaſione deficientium aliarum hæmorrhagiarum magis convenientium ad narium hæmorrhagias procedunt, ubi fluxus eſt præceps ad intemperiem, indomitus, anomalus, ſonticorum malorum ſcaturigo.

Vetulis, qui revertuntur uterini fluxus, apud ipſum vulgus infames ſunt ob vitæ brevitatem ab illo tempore ſucceſſuram [niſi a ramulo hæmorrhoidali potius uteri fluxus prodierit.]

Et certe communiter raro fallit præſagium, niſi dexterrimæ medicationi æque atque remediis tempeſtive obtemperaverint.

β) Non ſpontaneæ ſiue artificiales.

Inter has ſe nobis offert.

1. Venæ ſectio, cujus incongruus uſus ſuperſtruitur, tempori, loco, quantitati.

Temporis intuitu in valde tenera puerili imo adoleſcente ætate non convenit eam inſtituere libere nedum liberaliter ob pejores inde conſequentias.

Natura etiam non ſolum poſt longiorem uſum, ſed ſatis matura imo præmature adſuæ fit, facta inde poſthac ſenſibiliſſima impatiens & pernicaciſſima, ut niſi ſatis officioſe & velut ad veram indulgentiam tempeſtive continuetur, ſumma protervia, inſolentia & vehementia in has res connitatur.

[Cum ſatis certum ſit, incommoda in his ætatibus, venæ ſectione vel præoccupanda, vel auferenda, nequaquam tanta eſſe, quin etiam aliis methodis efficaciter ſe expugnari patiantur.]

Minus quoque tempeſtiva hujus adminiſtratio eſt in morbis, qui de reliquo verius non poſtremum concurſum plethoræ imo vel ad

ad exitum omnino inclinantis naturæ ſub ſe complectuntur, interim magis jam effectum ejusmodi cauſarum involvunt, quam ſingularem adhuc & continuam veluti, cauſandi energiam.

Primo enim niſi rariſſime tollit effectum.

Secundo uſitatæ noſtræ parcæ miſſiones non ſatisfaciunt tali effectui, ſi vel maxime largæ hoc forte poſſent.

Tertio ſigna communiter confuſa ſunt & indoles horum effectuum rariſſime ſimplex vel ſincera eſt; unde familiariter potius mala ingruunt.

Id quod præcipue de venæ ſectione in febribus prudenter æſtimandum.

Quarto ſi quam maxime exacerbatæ ita naturæ ſatisfit, rapit illa hanc indulgentiam in pejorem partem, ut alia vice propter leves occaſiones pari procacitate ad ſimiles impetus feratur, neque alii methodo niſi huic ſoli pareat.

Quo tamen ægri magis magisque conjiciuntur in provectiores & ferociores ad minimum affectuum recurſus.

Ratione *loci ac temporis* etiam inauſpicate ſanguis emittitur in ſuperioribus corporis regionibus v. g. ſub eruptione menſium aut ſub hæmorrhoidum fluxu plus minus ſtato.

Ratione quantitatis aberratur variis modis.

Parca enim miſſio curative propoſita, niſi ſubjectum oppido ſenſibile ſit & ad quietem propenſum, tali tempore ſimpliciter fruſtranea eſt & majores potius commotiones & turgefactiones provocat.

Quod & in illa, quæ præſervative inſtituitur, valet.

Nonnunqnam etiam nimis exili punctura fluxus ipſe languidiſſime ſuccedit, cum ex adverſo ſubjecta ſenſibilia ad alterationem V. S. ſubeundam diſpoſita, etiam hac ipſa circumſtantia repentinæ copioſæ eruptionis, inſigniter magis afficiantur.

Alibi vero etiam ab imperitis balneatoribus plus quam expediat, detrahitur, reſpectu ad magnitudinem, robur, plethoram patientum neglecto.

Et periculoſus non minus error eſt repetentium quocunque tempore miſſionem.

Id quod maxime valet de V. S. media æſtate, fervida tempeſtate imo vel promiſcue ad phaſes lunæ, nullo prorſus reſpectu habito in quibuslibet ægris.

II. *Scarificatio* non minus incongrua eſt, niſi inſubjectis ſpongioſis

gioſis & inprimis in contentioſis pertinacibus congeſtionibus circa caput hæmorrhagico-rheumaticis.

Quamlibet autem vix efficax ſit, niſi iteratis vicibus, vulgata tamen ſingulis menſibus eductio indifferenter minus convenit ; longe prudentius ordinanda ad anni, temporum, tempeſtatum, exacerbationum varias proportiones.

Ratione ætatis quoque & vergentiæ hæmorrhagiarum hic pariter ac ſupra error committitur, dum annoſioribus & junioribus plures cucurbitulæ circa ſuperiores quam inferiores partes affiguntur.

Quo facto iterum arthriticis Rheumatibus eorumque anomalo motui via ſternitur.

Rurſus autem hic adſuetudo promtiſſime inducitur, cujus certiſſimus effectus duplex eſt.

Primo, ut quanto intemperantius emiſſio hæc admittitur, tanto citius parum aut nihil amplius deſiderato fini ſatisfaciat.

Secundo ſi jam nihil amplius adjumenti afferat, tunc penitus eam omittere periculoſum ſit omnique ſtudio cavendum.

Supereſt, ut quædam ſubjiciamus de *omiſſione* adſuetarum harum evacuationum artificialium.

Stolidus profecto ſermo eſt, tam de annoſioribus promiſcue, quam de junioribus ſpeciatim phthiſicis, vel qui tabidi ſolum apparent, pronunciare, ut tales ſibi ſanguinem in corpus potius coemerent, quam ita prodigerent: Sie ſolten ſich lieber das Blut in den Leib kauffen.

Et experitur quivis attentior practicus tum detrimenta, & certiorum pluriumque malorum fomenta, tum incitamenta inſequi, ubicunque diutius aſſuetis temerarius neglectus perſuadetur.

Ipſum jam vulgus compertum habet [niſi a ſciolis expertibus experientia vana autoritate in transverſum agatur] frivolum ſcarificationis aſſuetæ neglectum antiquis incommodis portam aperire.

Unde nec annoſioribus utilis eſt ventilationis omiſſio, maxime ſi plethorici ſint cum euchymo cibo, ſpirituoſo potu, rariore corporis motu.

Nec tabidis hecticis eadem interdicenda adeo eſt, præc. tempeſtiva, ordinata, temperato æſtu febrili, ſub æquinoctiis vel orthoſtadia revertente.

CAP. II.

Hiſtoria hæmorrhagiarum, ſpecialis

I. Narium α. ſimplicis
β. Criticæ,
γ. phlegmaticæ.

In ſpecie

I.

Hæmorrhagia narium.

AD ſubjecta quod attinet, regulariter huic expoſiti obſervantur juniores, pueri & adoleſcentes alacres plethorici, maxime ſexus virilis.

Non evenit citra peculiares rationes hæreditariæ diſpoſitionis, aſſuetudinis vel externarum commotionum vel etiam palindromes ſenioribus.

Fit enim interdum, ut, qui in juniore ætate huic evacuationi ſanguinis aſſueti fuerint & deinde alias experti ſint, his a quacunque cauſa impeditis palindrome ad primum locum inſtituatur cum refrigeratione inferiorum.

Hæcque familiarior eſt fœminis, quibus menſes vel plane non vel impeditius ſuccedunt.

Hypochondriacis etiam juvenilis ætatis loco hæmorrhoidalium moliminum vel eruptiones e naribus vel molimina contendentia ſæpe accidunt.

Cauſas præcipuas externas exhauriunt motus cōrporis indomiti, minus conſuetus uſus & abuſus vini & ſimilium ſpirituoſorum & aromaticorum, fervor ſolis vel conclavium concalefactorum, ſomnus & magis inſolitæ vigiliæ.

In puerili ætate præter has motus ad expulſionem dentium, ejulabundi ploratus, quibus facies rubere, vaſa circa caput inflare adſueſcunt & tenuis humiditas per nares ſtillat, exercitatio memoriæ & capitis, curſitatio in ſole nudo capite in ruſticis pueris, conſuetudo.

Huc referantur externæ & violentæ occaſiones, colaphi, colli-

ſio

ſio contuſoria, partium violatio, ſcalptio, corroſio per halitus, emunctio vehemens, niſus fortis.

Palindromen ſanguinis ad caput, tam prægreſſa jam olim narium hæmorrhagia vel moliminum ejus conſuetudo in alieniore etiam ætate maximopere invitat temere inſtituta V. S. in brachiis & præc. ſub ipſis moliminibus, item lautior ſpirituoſa in ſenectute diæta & otium.

Quales concitationes præcipue cum animi motibus impetuoſius factæ in conſiſtente ætate producunt non raro apoplecticos affectus, & quidem ſeroſam in ſenibus, in junioribus ſanguineam apoplexiam.

Fluxus placide erumpens ſi moderate ſuccedat, nihil incommodi creat, ſed ſublevat potius patientem & alacriorem reddit; dum gravativos capitis membrorumque dolores ſolvit, maxime plethoram, idque tanto certius ſi non nimis ſæpe & inſolentius proveniat.

Si vero ita in defectu peccet 1] ut ne quidem tentetur, conſtitutione quamvis affatim ad eam diſpoſita, tranquilliores plethoræ effectus ſequi ſolent reſtagnationes, diſtenſiones, ſtaſes indeque inflammationes ſuppuratoriæ aut corruptiones ſphaceloſæ: operoſiore autem motu febres acutæ typi temperatioris, halituoſioris, perverſionis ſæpe funeſtæ.

Si 2] alias conſueta veluti ceſſat quietius & emanet, graviores minatur anomalias.

Si 3] moliatur quidem ſed non aſſequatur exitum, inde varia aſſurgunt incommoda a reſtagnatione circa caput copioſa, impetuoſa, pertinaci, frequente & magis magisque ob leniores cauſas inſoleſcente orta, qualia ſunt dolores, tenſiones gravitates, ardores, rubores, inflammationes, pruritus, ulcerationes, tumores; vel ſi ſegnius moliantur aut ſubtilius: vertigo, tinnitus aurium, hebetudines viſus & auditus, ſenſationes rheumaticæ tendentes, prementes circa nucham. In pectus vero deſultantia periculoſiora formant incommoda hæmoptyſeos & phthiſeos. Quæ quidem tanto graviora ſunt, quo magis aſſueta fuit ventilatio.

Cauſam hujus palindromes vid. ſupra.

Qui juniores immoderatioribus hujusmodi eruptionibus adſueti ſunt, ſi vel intermedia maxime ætate ab iis ſint liberi; hi facile tamen in adultiore ætate in tales vergunt affectus, quo vel inclinationes

tiones vel hæmorrhagicas translationes vel palindromes periculosas adsciscunt.

Quemadmodum etiam si quæ narium hæmorrhagiæ subjectis ultra 30. annos progressis obtingant, utplurimum importuniora pathemata spastica rheumatica sive verius arthritica comites habent.

Et hoc quidem triplici modo.

1. Si eruptiones ultra commotionem tacitam spontaneam per irritationes externas proliciantur, idque frequentiore eventu ita insolescat, ut & justo plus sanguinis pereat & præs. mala consuetudo introducatur vel levi instinctu reditura, vel sponte sive artificiis etiam improvidis suppressa plures & graviores affectus post se relictura.

2. Si abundantes & efferæ hæ evacuationes ab hæreditaria dispositione pendeant.

3. Si impetus tales hæmorrhagici sub aliis affectibus in fundamentis plethoræ commotæ, at exitu non potitæ prognatis & ferocientibus superveniant, largi inde immoderati, intractabiles, qui cohibitionibus etiam maxime necessariis, vel ipsi exasperantur vel reliquum affectum exasperant.

Hujusmodi hæmorrhagiæ evenire solent maxime arthritidi vagæ, tabidis & hecticis magis, quam vere & simpliciter phthisicis aliisque inquieto sanguinis motu laborantibus, unde & fœminino sexui.

Causæ harum partim ex temperamento impatienti cholerico-melancholico, plethora eamque deplendi intentione, partim ex supra dictis petendæ.

Quamvis autem ab excedente hac hæmorrhagia oculos in specie debilitari incertum sit, hoc tamen usus & dies docuerunt, quod, si mox a largis sanguinis quibusvis profusionibus oculi intemperantius exerceantur, sæpe & multum tenuia & ad elychnium vel solis splendorem legendo, acriter contuendo, oculorum acies sensim hebescat.

Idemque de capitis debilitatione sentiendum.

Et sicuti excessus hujus evacuationis non cohibetur, quin vel internas congestiones, inflammationes, obstipationes, vel spastico-arthritica mala post sese trahat; ita si ei indulgeatur sine perita contemperatione oritur ægri debilitatio ad animi deliquia usque, & in junioribus atrophia, auctionisque impedimenta.

Therapia itaque, nisi præsentissima damna aut certe pericula velis incurrere, provida moderatione omnia tractet & circumspectius adhuc abstineat a nudis repressoriis adstrictionibus 1. in hæreditariis 2. in illis fluxibus, qui ab impetuosis spasticis translationibus & stricturis congestoriis pendent atque foventur, impedimentorum & adstrictionum impatientissimis.

(Nam præter supra dictas consequentias aliquando etiam polypi narium, ulcerationes fœdæ, ozænæ dictæ, ab inconveniente chirurgica medicatione per vitriolacea, quin prorsus æruginosa pro scopo cohibendi, inducuntur.)

Potius his omnibus per vicariam ventilationem opportunam, si necesse sit, subjunctamque commodam temperationem occurrere satagat.

6) Hæmorrhagia narium Critica.

Hæc, quanquam diu ingens sanguinis commotio & turgescentia præsto fuerit in febribus & alibi, ubi accidit, non tamen erumpere solet;

Nisi certo tempore ad peculiarem non solum diem, sed etiam (rem exquisite capiendo) ad certas certæ diei horas, mensura penitus definita, larga tamen cum insigni decumbentis euphoria.

Quo magis autem a liberali & larga efficacia deficit, eo pejus cadit negotium & eo minus lenitionis ac mitigationis adfert.

Accedit hæc cum evidente apparatu motuum pressoriorum versus caput ex inferioribus.

Hinc tanquam signa præcedunt tensio hypochondrii dextri; urinæ suppressio aut imminutio & tenuitas; sudoris suppressio, frigidulus ad tactum inferiorum sensus.

Contra vero faciei inflatio, vasorum colli & temporum turgescentia, oculorum prominentia & siccitas quasi, quin rubor, sonitus & sibilus aurium, mentis aliquando vacillatio, vertigo capitis, ante oculos quasi apparens scintillatio, tandem narium pruritus & vel sine vel sub qualicunque scalptione, eruptio sanguinis.

Contrarium & alterum hujus ejusdem rei schema occurrit in funestis acutarum febrium catastrophis, prægressa constitutione plethorica male exeuntibus.

Præcurrit repentina dictorum signorum syndrome, it. angustiæ internæ suspiriosæ, mentis perturbatio, oculorum furor, ferocia &c.

cum

cum refrigeratione inferiorum maxime pedum, daß ſie von unten auf ſterben.

Tandem magis magisque corporis totius inſenſibilitas & immobilitas, quibusdam vitia anginodea faucium, denique mors cum reſpiratione per oppreſſionem veluti intercepta.

Illis, quibus hæc repente ita eveniunt indubie, quibus vero ſegnius, familiariter erumpit ſanguis copioſe poſt obitum e naribus & per infundibulum ex ore.

Unde ſcarificatio narium ægyptiaca primam duxiſſe originem perhibetur.

γ.) Phlegmatorhagia narium.

Conſiſtit hæc in congeſtione ſeu appulſu largiore ſanguinis hæmorrhagico vel ad hæmorrhagiam deſtinato ad nares.

Cum autem motus ad exitum non pertingat partim ex viarum, partim ſanguinis craſſioris & cum tenui ſero non ſatis ſubacti vitiis, ſecedit ita ſeroſitas & ſtillat e naribus, non ſecus ac hæmorrhoides mucoſæ & fluxus albus ab impedito hæmorrhoidum aut menſium fluxu contingunt.

Subſiſtit hic fluxus communiter intra guttas non ita multas, ut ſtillicidium verum, quale hæmorrhagia narium format, non proſequatur.

Notiſſima tamen etiam eſt notabilis hujus fluxus continuatio ſpisſioris æque [in vulgari communiore] quam tenuis materiæ in acriore coryza.

Cap. III.

Hiſtoria Hæmoptyſeos.

Evenit hæc ordinarie juvenibus & adultioribus ab anno ætatis 18 ad 35, plethoricis imprimis cholerico-ſanguineis & [magis adhuc cholerico-melancholicis aut ſanguineo-melancholicis ſexus maſculini, rarius ſequioris.

Ad cauſas & quidem internas ſpontaneas pertinet prædiſpoſitio ſc. adſueta in puerili ætate hæmorrhagia narium jam deſita vel ſuppreſſa, item menſtruorum turbatio in fæminis, nec non regurgitatio ſanguinis hæmorrhoid. in ſenioribus.

Cum his externa plerumque concurrunt: concuſſio pectoris a lapſu, immoderato clamore, cachinno, concionatione, reſpiratione vehementer alterata; niſus inſignis corporis cum contentione anhelitus, imprimis ſi ſpiritus ita contentus repentino impetu eliditur, deſidia & hinc compreſſio abdominis veluti perpetuas reſtagnationes ad pectus inducens.

Remotius huc referri poteſt ſtomachi ſaburra, qua per emeſin ejecta nonnulla hæmoptyſi, qua laborabant, ſe liberatos ſenſerunt.

Affectus eſt rarus maxime in reſpectu ad hæmorrhagias narium & ani, tum quia pauciſſimis hominum, tum quod his etiam paucis per vitam inſultibus obtingat.

Præcedit aliquibus ſenſus aliquis preſſionis, titillationis, pruritus quaſi ſecundum longitudinem aſperæ arteriæ maxime in parte laryngi propiore, a quo ſenſu inducti patientes nucleum quaſi ibi hærere exprimunt.

Apud alios vero longe profundius intra bronchia preſſio & reniſus cum actuali dolore inſtantem ſanguinis eruptionem prænunciant.

Ubi obſervatum eſt, quod illis, quibus hæmoptyſis tacite magis ſine externa violentia erumpit, primus ille ſenſus circa laryngem accidat; poſteriorem vero profundius illi experiantur, quibus a violentis cauſis eruptio coorta eſt.

Sæpe etiam hæmoptyici complures de peculiari exquiſitiore doloris ſenſu conqueruntur profunde in ſiniſtro hypochondrio & ſub ipſis coſtis nothis, quem aliquando poſt hæmoptyſis ſubſequitur.

Nonnulli imminente motu hæmoptyico ſentiunt motus ſpaſmodicos circa humeros, Flüſſe am Halſe und in den Achſeln.

Et non raro præcedit vel intercurrit etiam vertiginoſa capitis perturbatio, ſomni debilitas vel defectus, imo tacita quædam anxietas & animi dejectio.

Aliis erumpit poſt tuſſim prægreſſam & quidem minime tam ſemper immoderatam, ſed ſæpe ſatis parvam, maxime vero ſiccam.

Rariſſime vero a vehementia tuſſis ſuborta hæmoptyſis notatur.

Sic illis quoque, quibus [diſpoſitis] a motu corporis præcipiti & paulo citatiore reſpiratio mox anguſtatur cum irritatione quadam tuſſiculoſa, metus hæmoptyſeos ingruit.

Alios contra invadit quaſi tacite ſine ullo prægreſſo alterius cujuscunque mali ſenſu, ut citra alium effatu dignum ſenſum ſimpliciter ca-

lidum

lidum quiddam ſcaturire e pectore in fauces percipiatur, quod ejectum ſincerus ſanguis eſſe deprehenditur.

In ipſo paroxyſmo tuſſis exurgit, non cauſa, ſed effectus hujus mali.

Quo vehementior & copioſior contingit exſcreatio, eo pallidior imo ſublividior ægri eſt adſpectus; vaſis circa collum & tempora plerumque turgidulis.

Alvus in hac fere eſt adſtricta.

Periodus hujus affectus familiariſſima eſt, ita ut ſtata tempora ſervet non ſolum prævia ſeptimanarum vel lunæ mutationum, ſed etiam anniverſaria vix tamen uno vel altero die a priore abeuntia.

Atque uti, ſi ſemel hanc viam invenerit, facillime eam repetit, atque adſueſcit, ita ſæpe revocatur ab animi paſſionibus, maxime ira, concurrente etiam in utroque ſexu aliarum hæmorrhagiarum impeditione.

Quoad *prognoſin* omnis hæmoptyſis periculoſæ eſt conſequentiæ.

Bene quidem cedentis ſignum eſt, ſi facile ſanguinem egerit nec menſura excedit, nec tranquille ceſſans diuturnam aut importunam tuſſim relinquit. nec revertitur unquam facile, neque ſæpe.

Sed tamen haud caret periculo ſucceſſuræ detentionis extravaſati ſanguinis, illiusque cotruptionis ulceroſæ vel phthiſeos.

Quod ſi autem notabilis congeſtio exitum ſufficientem non inveniat, facile ſiccæ tuſſes, aſthmata ſpuria, ſicca, ſpaſtica, peripnevmoniæ, anginæ, phthiſes oriuntur, exterius affectus ſpaſtici, rhevmatico-arthritici, apoſtemata in glandulis ſubaxillaribus, fæminis in mammis.

Quoad *diagnoſin* diſtinguitur hæmoptyſis.

1. a ſputo cruento, quod ſaltim ſtriatum eſt ſanguine non ex profundo ſed ſcreatu ſolum ex infundibulo & ſuperioribus faucium vel etiam gingivæ partibus prorumpente, cui mucus videtur intermixtus.

2. a vomitu cruento, in quo ejicitur ſanguis grumoſus magis nigricans ſine tuſſi cum actuali motu ventriculi vomitorio; in hæmoptyſi vero erumpit copioſe magis, tacite ſæpius ſine prægreſſa, nunquam ſine conjuncta tuſſi ſincerus floridus ſanguis.

Hinc nec in peripnevmonia cum multo ſputo prorumpentes ſtriæ ſanguineæ hæmoptyſeos nomen merentur.

Cap. IV.

Hiſtoria vomitus cruenti & nigri.

SUbjacent huic ſæpius fœminæ, rarius viri; inter illas vero rarius puellæ, frequentius annoſiores, maxime tamen adhuc menſtrua experientes, non æque horum terminum prætergreſſæ.

Cauſa directa eſt ſanguis Venæ Portæ e ſplenica vena ſeu vaſis brevibus vel ex ramificatione ſplenicæ contermina inter pancreas & duodenum diſtributa huc reſtricta.

Indirectæ & procatarcticæ, hæmorrhoidum vel menſium fluxus impeditus, motus ſanguinis Venæ Portæ ob ſpiſſitudinem &c. lentior.

Et ſicut per vim, vomitum vehementiſſimum, imprimis artificialem, in plethoricis aliquando ſanguinis excuſſio ſequitur, ita contra in fœminarum præcipue periodicis vomitibus vomitus excipit evacuandi intentionem.

Quanquam vomitus directi etiam poſtmodum ſanguineis ſuccedentibus anſam præbere poſſunt.

Æger tum alias familiariter anguſtiis circa præcordia laborat; per motus, potus, animi paſſionibus facile exacerbandis, tum eo imprimis tempore, quo eruptio talis denuo molitur.

Succedit quaſi ſimplicior nauſea & mox conatus vomendi major omnino, quam ſimpliciter vomitorius effectus circa qualemcunque rem alias excerni ſolitam.

Donec tandem ipſe ſincerus cruor & quidem non exigua copia excutiatur.

Non tamen ipſo actu vomitus ſanguis ita eliditur, ſed potius ſub quietis tempore ita colligi ſentitur, ut ſuccedentibus deinde novis conatibus fruſta integra coagulati ſanguis prodeant.

Duratio ejus in fœmineo ſexu plerumque brevior eſt, longior in viris.

Apud fœminas etiam crebro ſponte ita ceſſat, non item apud viros.

Adde quod apud illas etiam præcipue juniores frequentius periodis adſueſcat, quam apud hos licet manente cauſa generaliori in utroque non ita facile emaneat.

Inte-

Interim illud ſemper memoria tenendum, vomitum hunc omnium hæmorrhagiarum ferme eſſe rariſſimum.

Prognoſis minus bona eſt, dum apud fœminas quidem non tantum periculi quam apud viros timendum.

Si tamen vel copia excedat vel minus diſcutiatur & adſtringentium abuſu perperam tractetur, diſponuntur patientes ad inflammationem lienis, vomitum nigrum, cachexiam, œdemata, hydropem, hectica & alia ſpaſtico-convulſiva pathemata hypochondriaca, hyſterica.

Diagnoſin ab hæmoptyſi evolve ſupra ſub hujus tit.

Hiſtoria *Therapiæ* docet laudatum & ſecurum exitum in menſium, hæmorrhoidum ſucceſſu tempeſtivo, in temperatione orgaſmi, parca adſtrictione ob immediatum ingreſſum tonicorum.

Specificum conſtans & fidum hic eſt Eſſentia millefolii per paucos dies uſurpata.

Præſervatio iisdem remediis obtinetur, maxime ventilatione ſanguinis in pedibus.

Vomitus nigrorum.

Morbus hic uti modo recenſito maxime cognatus eſt, ſed raritate adhuc longe præcedit, ſic occurrit aliquando,

vel per Chronicas ſolum *hypochondriaco-ſpleneticas* contentiones jam obfirmatas.

Vel per acutos affectus & febres vere heteroclitas vigiles taciturnas præter mores patientum cum debilibus & pulſus & toni corporis viribus, maxime veram lienis inflammationem, licet neque ad corruptionem ſphaceloſam durantem,

Materia vomitu ejecta fuſcum maxime refert colorem diapruni inſtar aut ad ſummum Rob. Juniperi vel ſambuci [ſive corticibus viridium juglandium parati.]

Specialis nonnunquam æqualis grumoſitatis ſpecies adeſt oblongis & veluti fibroſis quanquam brevibus moleculis.

Non raro autem diſcolores ejectiones videntur poſt cereviſiam ſpisſiorem, aſſumta condita, nucem juglandem vel ceraſa condita vel martialia aut decoctum prunorum pro alvo emollienda.

Unde narratur ſæpe color niger & materia conſiſtentia picem æmulans, wie Theer, Pech; ab aliis ſiccitatem ſimul expreſſuris: es gehe wie verbrannt von ihnen.

Prognoſis, ſi poſt chronica mala eveniat, mediocria nos ſperare jubet, in acutis vero funeſtum metuere eventum.

Cap. V.

Hiſtoria Hæmorrhoidum

tam in genere.
in ſpecie.
internarum.
externarum.

Hæmorrhoides in genere.

SUbjiciuntur hiſce plethorici, ſanguineum, ſanguineo-phlegmaticum & melancholico cholericum temperamentum [quorum ſanguis tam hoc fluxu, quam Venæ Sectione emiſſus craſſus, niger coagulesçens apparet] ætas juvenilis vel potius virilis & ſenilis. Sexus ſæpius maſcul. quam ſequior, [quem etiam non ita ſublevat.]

Quoad cauſas occurrunt plethora & ſpiſſitudo ſanguinis; huj s vero loci ſpecialisſima non alia videtur quam apparatus genitalis: hinc & conſpiratio quædam eſt inquinamenti venerei cum his locis, nec ſpernenda vulgaris traditio eſt: venereos podagræ eſſe expoſitos, nec Hippocratis obſervatio: Eunuchos podagræ expertes eſſe, ob conſenſum ſc. cauſalem motus podagrici cum hæmorrhoid.

Neque ultimum locum inter has merentur hæreditaria impreſſio, Equitationes concuſſoriæ, ſcybala dura, hæmorrhagiarum aſſuetarum, vel menſium emanſio, abuſus Aloes, helleb., vini Hung. &c. allii.

Non eveniunt niſi ſub certa ætate, exceptis externis fortuitis occaſionibus a niſu fortisſimo alvi valde duræ, equitatione ſuccuſſatoria, diuturna, tempore, ſanguine, diæta, ſimiliter calidis, quæ omnia efficaciora ſunt concurrente hæreditaria impreſſione.

Materia hujus fluxus eſt ſanguis venoſus purus a ſtagnatione ſpiſſior.

Ante eruptionem ordinarie motus ſpaſtici Iſchiadici, lumborum dolores, coxarum, femorum, pedum, daß es zucket, ziehet, reiſſet, ſpannet &c. ſentiuntur, vel ipſis hæmorrhoidibus hi motus ſuperveniunt

Flu-

Fluxus autem nunquam perpetuo ſucceſſu procedit, ſed ſemper niſum preſſorium ſub alvinarum fecum excretione opperitur.

Fluentes ſæpe periodum ſervant, ſiquidem

Aliis rarius eveniunt cum nullo ſenſibili intervallorum ordine.

Aliis cum quodam ordine per ſpatia ſemeſtria circa æquinoctia.

Aliis ſæpius per annum ſine certa periodo.

Aliis frequentius cum exquiſite menſtrua periodo.

Prognoſis non admodum bona eſt, dum hic affectus facile adſuescit & impeditus motus tanta poſt ſe trahit pericula.

Si junioribus fluant & (uti ſolet) inconſtanti ſucceſſu continuent, variis pathematibus per vitam exponuntur & raro inſigne ſenium attingunt,

Et in his quoque facilius, ſed cum graviore damno, ad interiora repelluntur

Contra in annoſioribus (qui & in moralibus conſtantiores ſunt & contumaciores) pertinacior hic fluxus, & his ſi moderate & ordinate ſuccedat, longiorem vitam quaſi pollicetur.

Sicut & alias debito ordine ac proportione ſuccedentis hujus fluxus effectus ſalutaris eſt abundantis ſanguinis depletio, præoccupatio incommodorum a moliminibus circa Vena Portæ ortorum; ſcilicet hypochondriacarum aliarumque congeſtionum periculoſarum ad pectus, hepar &c.

Peccat autem vel in *Exceſſu*; ubi tamen ſat magna ſanguinis jactura a natura ſponte ſuſcepta tantum periculi non involvit, quantum vi vel arte facta repentina inventio; hinc enormes ſæpe evacuationes parum aut nihil incommodi attulere.

Vel *in defectu*, quando hujusmodi molimina vel exitum non inveniant vel jam aſſuetæ hæmorrhoides ſupprimantur, ubi graviore cum noxa affectus hypochondriacos revocant cum profundiore infarctu Venæ Portæ dolore ſiniſtri hypochondrii, lumbari, colica torminoſa, ſpaſmodica, duritie abdominis flatulenta, lienis ardore, dolore, inflatione.

Sequuntur vomitorii conatus ad vomitum cruentum; Icteritiæ decolorationes faciei imo nigricantes, ſi ramus Venæ Portæ hæmorrhoidalis hepaticæ inſertus ſit excretiones nigro-fuſcæ per vomitum vel alvum cum febre lethales, ſine febre non item perpetuo.

Maxime vero ſuccedit aſthmatica compreſſio cum flatibus anotericis vel catotericis: imo in junioribus translationes ad pectus, Tuſ-

ſes

ſes humidæ, rarius tamen in hæmoptyſin & phthiſin deſinentes, ſæpius autem in melancholiam hypochondriacam, imo maniam item in ſuppreſſiones menſium, aſcitem, affectus hypochondriacos &c. quos modo conſignavimus.

Therapiæ Hiſtoria conſiſtit

1. In ſublatione plethoræ, V. S. vel ſcarificatione pro diverſitate ſubjecti, in ſuperioribus, ſi deſuefacere, in inferioribus, ſi invitare velimus.

2. Æquali diſpertitione, dilutione, motu, ſecretionis ſalinoſeroſæ expeditiore per nitroſa emulſiva, ſiquidem urinæ vel paucæ tenuiſſimæ ſunt vel paucæ & craſſæ, tartarea ad latera & fundum vitri.

3. Aſſuefactarum promotione, apertione per hirudines, V. S. ſub poplite, malleolo: ſcarificatione.

Hæmorrhoides copioſæ repente per adſtringentia anodyna, turgefacientia, turbatæ tranſeunt in ſiccioribus in hecticam, in humidioribus in hydropem, quam ſæpius præcedunt: poſſibile tamen eſt, ut etiam a presſione aquea vaſorum hæmorrhoidalium hydropi ſupervenire posſint, ſine tamen multo levamine.

a) Internæ.

Obtingunt plethoricis ſanguineo-cholericis & ſanguineo-melancholicis, fœminis plethoricis vel gravidis, largius aut menſtruatis vel intempeſtive menſtrua amittentibus; ſæpius tamen viris quam fœminis.

Inter cauſas, quæ ad has diſponere ſolent, merito numerantur hæmorrhagia narium prægreſſa, plethora; ætas juvenilis vel virilis inter 18 & 35 annum, Diætæ vitia, pasſiones colicæ, ſiccitates alvi, anhelæ curſitationes; vita otioſa ſedentaria, perfrigerationes corporis, aloëtica & Helleborata, animi motus.

Quoad ortum, fluxus hic prodit e Vena hæmorrhoidali interna, quæ ramus eſt e venæ portæ ramo ſplenico deſcendens & ad inteſtinum rectum excurrens.

Hic vero non tam cum quam poſt ſcybala duriora, ſine ſenſu vel mediocri tantum teneſmode, aut etiam intus hærentis nuclei duri proxime circa exitum ani fluit.

Et ſi tumor altius introrſum ſentiatur, tum vel cæca ſine exitu ſit ſtaſis inflammatoria, vel ſi exitum inveniat, eum tamen proxime huic

huic orificio invenit, ubi nempe tantum prorumpenda est cuticula, cum altiorem locum tunica villosa teget.

Sanguis rare & impedite exiens est spissus ac nigricans, floridus contra, si libere ac frequenter prodeat: in raris moliminibus procedit etiam materia mucosa, sæpe tamen sub fæcum expressione solum fluunt.

Internæ hæ non modo maturius sese prodere solent, sed etiam frequentius, imo & facilius, ideoque brevioribus moliminibus & congestionibus, quam externæ.

Differunt etiam mensura excretionis, in his satis moderata, in externis parciore.

Item internæ servant magis statam periodum nunc menstruam, nunc semestrem vere & autumno redeuntem;

Si extra æquinoctiale tempus ingruat, tumultuarium plerumque adipiscitur successum.

Interim non fluunt spontaneo & perpetuo successu, sed semper expectant pressionem sive nisum sub excretione fæcum alvinarum.

De assuetudine maxime notandum, quod hujus generis evacuatio facilius & pertinacius quam ulla alia adsuefiat, adeo ut vix ullus ei bis, ter, obnoxius sit, quin in posterum novos ejusdem insultus experiatur.

Idque tanto gravius & contumacius, si ante ipsam actualem excretionem moliminibus eo spectantibus hypochondriacis tensoriis, pressoriis, torminosis jam succubuerit.

Quod ante omnia obtinet in fœminis.

Hæ enim, si loco menstrui fluxus impediti hæmorrhoides semel iterumque passæ sint, harumque suppressionem tum incurrant, neque vicariis ventilationibus aut medicationibus utantur; certissime in colica suffocativa, convulsiva, arthritica, icterica quoque & scorbutica vulgo dicta externa symptomata incidunt, quæ Hippocrates sub Ilei Hæmatite schemate quadantenus recenset.

Sæpissime quoque in illis consuetudinem induit, in quibus jam dispositio sanguinis adest ad motus, uti in gravidis.

Reliquum est, ut de motu hæmorrhoidali interno loquamur.

Exerit se hic in tractionibus & pressionibus spasmodicis ramificationum hæmorrhoidalium in mesenterio & intestinis, si ad exitum pertingant; sin minus, altius ad hepar, splenem, ventriculum

adſcendunt & ramus ſplenicus ſæpe ita comprimitur, ut ſanguis verſus ſplenem regurgitans per vas breve vomitu erumpat.

Quo facilius hic motus ſortitur exitum, eo magis preſſio talis ſubſiſtit in meſenterio & inteſtini tunica exteriore fibroſa; unde ſenſus ille tenſivus commorſicans in longitudine oſſis ſacri teneſmodes in inteſtino, er trückt, ſpannet, steckt wie ein Pflock im Creutz, können nicht wohl darvor ſitzen, ſchneidet im Stuhlgang, als wann was im Affter ſteckte

Dolores his proximi remotiores ſunt colici tendentes als wenn ein Stein im Leib läge cum retractione umbilici & compreſſione potius quam inflatione abdominis vel etiam in ſenſu graviſſimo, als wenn ihnen im Leib etwas zerſpringen wolte.

Adhuc remotiores ſunt motus colici vagi, flatulenti imo convulſivi, ſuffocantes, ſingultuoſi, præc. in fœm. daß es ans Hertz ſtößt, ſich wie eine Kugel im Leibe wältzet: Quin etiam repentina contractiones meſenterii ſupra umbilicum; als wenn man mit zwey Händen im Leibe gegeneinander grieffe und ihme den Athem verhielte cum inſequente ictero.

Alvi adſtrictio pertinax conjungitur, interdum præcedit.

Proximus hinc gradus eſt, ſi adhuc impeditius procedat, lienis inflatio ardens lancinans facile in ſcirrhoſitatem tranſiens vel vomitum cruentum.

Dicti motus colici preſſorii formant Ileon hæmatit. Hippocratis vel colicam hæmorrhoidalem cum torminibus, anguſtiis, preſſionibus in fœm. maxime in cachectica chlorotica, hypochondriacoſcorbutica mala tranſeuntibus.

Tormina illa non ita facile, uti flatulenta, pereunt, facilius exacerbantur, ſanguineos invadunt & congeſtiones ſcorbuticas relinquunt.

A frequentibus aut fixis meſenterii, ſplenicis, hepaticis oppilationibus ſequuntur obſtructiones glandularum, vaſorum lymphaticorum rupturæ & inde aſcites.

Convertuntur facile hæ internæ ad externas, idque facillime regimine ſudorifero, per calida oleoſa, volatilia, ſpiritum Tartar, cornu cerv. eboris, urinoſos &c. in paroxyſmis data & fere infallibiliter, ſi paroxyſmus magis motus impetu quam materiæ quantitate exceſſit, quod promte ab animi paſſionibus evenit, ubi facillimus ad arthri-

tidem

tidem rheumaticam, vagam habitualem, in junioribus vero hyſtericis fœm. ad epilepſiam fit tranſitus.

Noxas, quæ ſuppreſſionem harum hæmorrh. aſſuet. excipiunt, plerasque jam ſupra, ubi in genere de hæm. delibavimus, ubi & de prognoſi latius.

Therapiæ hiſtoria condocuit.

1. Suppreſſionem non facile exercendam.

2. Temperationem potius præſtandam per Nitroſa, cinnabarina cum alvi expeditione per Rhabarb.

3. Tonicam roborationem præſervatoriam per Sal. volatilia.

4. Specificam motus alterationem per millef.

5. Tempeſtivam ſanguinis ventilationem, motum corporis iræ fugam.

6. Martialia nihil conſtanter agere, niſi poſt dicta ad æqualem tonum ; acidulas nonniſi in ſpongioſis ſuadendas.

7. Fœminis (poſt emanſionem menſium) injungendam vitam laborioſiorem ſubjuncta V.S.

8. Suppreſſarum revocationem in ſucceſſu hecticæ vel aſcitis difficilem. Stimulantia enim myrrhata, aloetica, helleborina motus preſſorios ſæpe augent, inſequentibus colica, melancholia, paſſionibus aſciticis &c. Quibus conſopiendis etiam dicta methodus per venæ ſectionem, motum laxantia, diluentia leniter diſcutientia &c. inſervit.

β) Externæ.

Snnt ramuli numeroſi oram magis & limbum, quatenus cuti connexus eſt, inteſtini recti circa exitum ani ſerpentinis quaſi gyris & anfractibus variis occupantes, quas anatomici dependere obſervarunt a ramis venæ cavæ Iliacis internis & quidem ramificatione earum hypogaſtrica.

Subjecta habet magis ſucculenta, ſpongioſa ſanguineæ prædominantis indolis utplurimum.

Inſtantium ſigna ſunt pruriginoſi ardores in orificio inteſtini recti præc. cum inæqualitate notabili, ut alibi quidem æqualiter molle ſentiatur, uno vero & altero loco quaſi nodulus quidam, mollior in turgentibus, durior in tumentibus,

Motus ad haſce hæmorrhoides interdum eminus ſolum & fruſtra

ſtra ſe exerunt circa longitudinem dorſi & lumbos, aut inferius circa femur, genua & pedes.

Si vero ad exitum pertingere debeant, compreſſorii ſpaſmi nonniſi in ipſo inteſtino recto & quidem inferiori ejus parte & in longitudine oſſis ſacri aut circa reliquam vicinam oſſis Iſchii percipiuntur.

Per hos motus aliquid ſanguinis ad & circa exitum ani comprimi & inde vel turgefactio vel tumor ſuccedere ſolet.

Appellant hæmorrhoides cæcas, alias *turgentes*, alias tumentes.

Illæ exhibent veſiculam transparentem, atro-rubente ſanguine per ipſam conſpicuo molliculam ſine dolore aut ullo ſenſu inſigni, niſi quod ſub alvi excretione ſenſus preſſorius, quaſi fabæ aut pruni nuclei ibi hærentis, percipi videatur.

Perrumpunt hæ aliquando flaccida rugoſa reſtante veſicula; ſin minus, aperiri debent, ſi ſcil. aſſueverit homo fluxui, vel alias hoc ex uſu ipſius ſit.

Vocant has inferiores Saxones, Tacken, ſuperiores Maſt-Körner.

Tumentes contra paulo profundius intra limbum deliteſcunt, duræ inflammatoriæ cum exquiſitiſſimis doloribus ex infarctu & ſtaſi ſang. in vaſculo aliquo longiore verum furunculum referentes.

Vocantur hæmorrhoides cæcæ dolentes, uti priores indolentes, imo κατ' ἐξοχὴν ubi de *hæmorrh.* cæcis ſermo eſt, hæ intelliguntur.

Harum niſi matura fiat reſolutio, fit mox ſuppuratio, quæ facile in fiſtuloſam ulcerationem tranſit.

Ante maturationem vero præſ. inciſæ profundius non ſolum ad ulceroſam ſed & ſphaceloſam corruptionem proniores ſunt, aut ſi jam ſuppuratæ nimis diu ſine evacuatione, mundificatione & recta conſolidatione hæreant.

Antecedunt Tumentes ſpaſtici motus & quaſi morſus ſive convulſiones inteſtini recti; percipitur mox molecula quædam, ſub depoſitione alvi velut nuclei preſſionis acutæ ſenſum formans; dolor hic perpetuo increbeſcit.

Cæterum hæmorrhoides externæ raro periodum in fluxu ſervant; ſed magis perpetuo fluunt, ubi tamen periodus adeſt, ſatis ſtata deprehenditur.

Ob

Ob tenuiora quòque & pauciora vaſcula ſucceſſus harum non ſolum eſt impeditior, tardior, rarior ſed etiam minor quam in internis.

Enata vero ſemel, quod non raro fit, veſiculari protuberantia, hac occaſione & promtiores ad repullulandum exiſtunt, & plus emittunt, præc. aſſuetudine fluxus jam inducta.

Hæc de legitima excretione, pauca de anomala quoque proferemus.

Galli & hæc & mucoſas hæmorrhoides albas hæmorrhoides nuncupant.

Ita in externis hiſce attritione, frictione, ſcalptione, ſæpe major aff- & effluxus concitatur & ſequuntur ſæpe ſerpiginoſi pruritus & ulcuſcula, circa anum vel ſæpiſſime repullulantes vel nunquam ad plenariam deſiccationem pertingentes cum nullis aut plane levibus incommodis Iſchiadico - ſpaſmodicis.

Hæc ſi diutius jam ſederint & ſæpius manarint (quamvis pauciſſimum & tota hebdomade vix uncia una materiæ exſudet) & tunc conſolidentur, devolvuntur patientes in perpetuas moleſtias arthrit. Iſch. Gonagr. podagricas.

Non conveniunt hi cum mariſcis veterum aut pruritu ani, cujus Foreſtus meminit L. XXIII. obſ. 2. ſed cum illis, quas idem in ſchol. obſ. 9. dicit a recentioribus quibusdam attrices appellari.

Cingunt interdum ad duos digitos latos ambitum ani, mox vel iterum introrſum ad limbum ejus coeunt.

Accedunt interdum rhagades ſive fiſſuræ circa ani orificium, non tamen niſi a ſcalptione vel attritu pars nimis exagitata intumuerit, ubi ſub niſu duriorum ſecum talis fiſſio contingit & ſanguinem per vices denuo eo fundit.

Differt tamen hic affectus a formica inde directe non naſcens, niſi venerea inquinamenta concurrant; ubi fere etiam in ipſa glande tales formicales affectus nempe ſuperfluæ exilium vaſculorum varicoſæ intumeſcentiæ ſubtiles & ab his ſenſim corruptio acrior ulceroſa.

Venereæ vero mariſcæ & condylomata, ut & criſtatæ excandeſcentiæ hic non pertinent, licet non raro ipſa vaſa hæmorrhoidalia occupent.

Denique a prima turgente congeſtione ſi diutius & pertinacius

continuetur, oriuntur interdum variæ quaſi protuberantiæ mutuæ papillarem congeriem variasque figuras exprimentes.

Nec minus ab ejusmodi congeſtionibus (in veſicalibus) ubi ſanguis non promte exit aut lentior evadit, ſine tamen inſigni dolore.

Imo, ubi actu etiam denique perrumpunt, fit inde facile ſimilis ulceratio, unde excreſcentiæ verrucoſæ, diverſa concretionum ſchemata ; ſub ficuum, mori, thymi, uvarum ſimilitudine, efformantes cum calloſa quadam ſicceſſente duritie, a Germanis Feigwartz dictæ.

Mucoſæ vero hæmorrhoides vocantur, quando poſt Teneſmodes conatus a diſpoſitis nonnunquam mucus excernitur non tam lentus ac tenax, quam ſpiſſus inſtar Tragacanthæ ſolutæ, communius tamen coloris ſubrufi quaſi roſei, imo interdum ſubtilibus ſtriis cruentis interſperſis.

Ad extremum motus ad hæmorrh. extern. eorumque conſectaria perluſtrare nobis incumbit.

Occurrunt hic frequentiſſime ſenſus illi tenſivi, quos ſub rheumatum nomine, vulgo acculant : Es ſeye ihnen ein Fluß in die Lenden geſuncken, liege ihnen darinn wie ein Stein, ſtecke ihnen Eißkalt, wie ein Eiß-Schollen in dem Rücken, der Schenckel ſey ihnen wie taub, wie eingeſchlaffen.

In importuniore vero conatu dolores adſunt ſenſibiliores, vibrativi, lancinantes aut ad minimum ulceroſo ſenſu : daß es ihnen Wehe thut, wie Blut-Schwähren, daß es darinnen reiſſet, zerret, ſticht, ficht ꝛc. Et hoc quidem jam per dorſum, jam in lumbis, coxendicibus, femoribus, pedibus.

Quæ omnia partim fluxum hæmorrhoidalem antecedunt, partim ſuppreſſum excipiunt, partim ipſo ſufficienter & tempeſtive ſuccedente abolentur ;

Siquidem ſat multa eorum proſtant exempla, qui poſt hæmorrhoides in juventute fluentes, poſtea emanentes, mox in Iſchiades, arthrit. Podagr. pedum ſtupores, contracturas aut impotentias paralytodes recta prolapſi ſunt.

Uti nonnulli ab aliquot horum morborum per introductas hæmorrhoides liberati aut ſaltem ſublevati per multos annos vixerunt.

Minime vero obliviſci decet nephriticorum pathematum hæmorrhoidalibus ſeſe jungentium ; ſiquidem certum non ſolum multos hæmorrhoidarios ſimul calculo laborare, verum etiam nephritide

&

& ipſis calculoſis excretionibus afflictos ad hæmorrhoidales paſſiones proclives eſſe, imo ipſis ſupervenientibus præc. externis in tantum ſublevari.

Hinc pridem Hippocrates monuit Aphor. 13. S. VI. melancholicis & nephriticis hæmorrhoides ſupervenire bonum.

Sic etiam ab hæmorrhoidibus ſuppreſſis, & improvide ſanguine per calidiora agitato, concuſſoriis motibus, it. ab acriorum præc. rad. armoraciæ abuſu graves nephritides imo mictum eveniſſe, triſtes multorum caſus docuerunt.

Interim ſæpenumero dolores ſimpliciter lumbares nempe externæ a ſpaſmodica muſculorum tractione, preſſione, vibratione pendentes confunduntur cum intimioribus revera venalibus ſive nephriticis, in quos tamen facillime degenerant per diuretica acriora medicamenta.

Ultimo memorabilis videtur conſenſus inter hæmorrhoidum internarum & externarum motibus; de quo jam ſupra nonnulla.

Longe vero frequentior tranſitus ſpontaneus naturæ fit ab exterioribus hæmorrhoidalibus motus; hinc facillimæ palindromæ Iſchiadicæ, arthrit. podagricæ, ut ſtupefactis veluti externis doloribus præſentiſſime internas anguſtias, flatulentias, tenſiones, cardialgias, vomitus, manifeſtas phlogoſes imo ſæpe graviores inflammationes ventriculi aut hepatis incurrant.

Idque præcipue in junioribus.

Unde nullum fugiet vulgata experientia; juniores podagricos ſenium non aut raro attingere.

Ubicunque vero in ancipiti ad utrumque exitum titubatione molimine non ſufficiente, diu Energia conſumitur, tempus abſumitur, intentio fluctuat, ut nihil ferme agatur; periculoſus ſtatus eſt, quo ſpectant pareſes e colica hujus indolis; vel ultimo poſt perverſum impetum, colico-inflammatoria aut Iliaca vel convulſiva ſingultuoſa pathemata denique ejusmodi patientes jugulant.

Cap. VI.

Historia Hæmorrhagiarum Uteri in genere & specie.

1. quoad excessum
2. defectum
3. emansionem
4. motum per vias insolitas
5. finem cum consectariis
6. Lochia.

In Genere.

INter animantes obtingit soli speciei humanæ (simiarum & fæmellarum canum rariora prostant exempla) & quidem sexui fœmineno ; nulla ordinarie excepta.

Viæ hujus solitæ sunt vasa omnia cum utero communicantia hypogastrica, hypochondriaca interiora cum vena portæ connexa. Specialissimæ vero sunt ramificationes uteri ab Iliacis internis & hypogastricis & quæ a ramo hæmorrhoidali ad cervicem uteri distribuuntur.

Ingruit cum tempore pubertatis anno circiter 13, 14, 15. cum fine secundi septenarii.

Fluunt ordinarie sponte tacito & tranquillo successu & per aliquot dies continuo.

Notæ sunt ipsi plebi, instante hoc fluxu tonicæ per totum corporis ambitum strictura, cum adspectu extenuato, pallido cum internis anguistiis & sub levi corporis motu, oppletionibus, scil. in qualicunque minus expedita exeundi libertate.

Servat periodum menstruam dupliciter tamen ut præcipuis lunæ phasibus novilunio maxime & plenilunio exacte respondeat; deinde licet ipsas phases non æque respiciat, intra mensem tribus scil. septimanis vacuis cum quartæ initio revertatur;

Per unam vero circiter hebdom. sive 7 dies leniissime promanare continuet.

In aliis vero sed minus sanis, sanguine spissiore vel animi motibus affectis variat & titubat, nunc vago tempore nunc nimis parce, prodige, excernitur, facile in longas tendit retentiones, ut aliquot periodis

riodis nihil effluat, cum tamen nec gravidæ, nec fœcunditatis annos prætergreſſæ ſint, ſed de his ſtatim prolixius.

Sanæ mulieres in rito hujus fluxus progreſſu (ſi ſcil. fœtus neque in utero neque lacte materno alatur) nihil incommodi ſentiunt ab eo, niſi qualemcunque fatigationem, & inter motus corporis reſpirandi difficultatem.

Senſibiliores autem ſunt animo magis faſtidioſo, quo magis cum potioribus lunæ phaſibus conſpirant.

Emanet ordinarie menſis ſucceſſus mature, quando fœmina fœtum concipit, nec fluere ſolet tempore lactationis infantis cum parvis aut nullis incommodis.

In perpetuum vero ſubſiſtit circa finem ſeptimi ſeptenarii, ubi hoc deficiente deficit etiam concipiendi ſpeciemque ulterius propagandi Energia.

Hiſce propemodum ordinarii menſtrui fluxus hiſtoria abſolvitur; jam vitia quoque illius & extraordinarium ſtatum quotidie obvium ſigillatim explicare ingredimur.

In ſpecie ejus

a) Exceſſus.

Hoc peccat menſtrua evacuatio, ſi fœmina in & poſt fluxum veram ſentiat debilitatem (non languorem gravativum) cum malo colore magis magisque increbeſcente.

Cadit in ſubjecta plethorica, vel ex perturbatione quadam inſigni aſſuetudinem inducente e. g. puerperiorum vitiis, abortu, mola.

Item in maritata pariter ac innupta ab incitationibus in ipſum tempus incidentibus ſcilicet iræ, intentæ veneris appetentiæ, motuum corporis, ſaltationum, ad onera tollenda, diætæ aromaticæ, vinoſæ inſolitæ, imprimis ab uſu pellentium.

Multum hic etiam valent conſuetudo & ſpiſſitudo ſanguinis, majores niſus & ſpaſticas omnino contentiones ſub legitimo tempore illatura.

Exceſſus vero reſpicit vel quantitatem, ubi ſingulis menſibus plus juſto & largiter admodum ſanguis effluit, vel in motu, dum nempe juſto brevioribus periodis ſcilicet 14 diebus recurrit, quæ anticipatio ordinarie juſto rariorem ſanguinis abundantiam poſt ſe trahit.

Interea bene notandum, vitium exceſſus non ſolum longe rarius eſſe defectu, ſed & ſæpe diu tolerabile & minoris periculi.

Si tamen assueſcat, varia exurgere ſolent incommoda circa concipiendum, imo & geſtandum fœtum, tum etiam circa partum & puerperii decurſum.

6) Defectus.

Frequentior occurrit præcedenti longeque periculoſior æſtimari debet.

Spontanee oritur ſæpe in plethoricis largo fluxui alias aſſuetis a vita ſedentaria, pauco potu &c. reliquis, quarum cauſarum hiſtoriam jam ſubjicimus.

Scilicet non raro a terrore repentino anxio menſes fluentes repente ſupprimuntur cum ſingulari ſenſu ſub ſcrobiculo cordis, a mœrore & deſiderio vero valde imminuuntur.

Item a dyſpeptorum, farinaceorum (Klöße, Klötze,) dulcium fermenteſcentium, mellitorum, fructuum horræorum (an welchen ſie ſich ihre Zeit verfreſſen) intemperante aſſumtione.

Sæpe quoque in culpa ſunt refrigerationes externæ, dum actu menſtruatæ in aqua frigida pedibus ſtant vel alio modo refrigerantur.

Hæc tamen majoris efficaciæ & periculi ipſis menſibus fluentibus, alio autem tempore minoris & in quamplurimis nullius plane periculi deprehenduntur.

Multum pariter huc conferunt partim nimia ſanguinis ſpiſſitudo & deſidia, pauco potu, ſicciorum edacitate, ut & ſanguinis defectus, craſſities ejus nigricans vel nimia aquoſitas loturæ carnium ſimilis.

Partim repentina ſanguinis ſubtractio in oppoſita regione nempe in brachiis, fluentibus vel inſtantibus menſibus.

Denique faſcinum, motus epilepticos & contracturas tandem nonnunquam formans.

Conſiſtit defectus hic vel in plenaria oppreſſione vel plenaria emanſione vel ſucceſſiva imminutione ſat longa, imprimis ſtatam adhuc periodum ſervante cum contentionum moliminibus, quæ, quo magis ſeneſcunt, eo citius imminet plenaria oppreſſio.

Quando vero periodum ſuam plane deſerunt, quo longius ab antea conſueto tempore & ordine recedunt, eo propior eſt plenaria ceſſatio & eo graviora ſequuntur mala.

Interim pro cauſarum habitudine vel levior eſt vel pertinacior ſup-

ſuppreſſio : 1. ſi natura in medio profluvio repente ſiſtatur, tum diu ab eo reaſſumendo abhorret.

2. Si neglecto remedio obſtipatio obfirmetur.

3. Si dyſcraſia ſanguinis nimium invaluerit, unde ſucceſſive decolores, tandem ſuppreſſi menſes.

4. Si translationibus aſſuetus ſit ſanguis.

5. Si ſanguis deficiat & vires langueant.

6. Si annoſiores ſint fæminæ & 7. ſi mola laborent vel aliæ excreſcentiæ meatus occludant.

Cæterum ceſſatio aut defectus menſium junioribus graviora, cuivis vero ætati certa infert pericula.

Nempe primo ipſius materiæ ſanguinis reſtagnationes, oppletiones, infarctus in viſceribus hepat. lienis, pancreatis, glandularum circa inteſtina.

Unde appetitus, concoctionis, ſecretionum vitia, flatulentæ tenſiones.

Item ſcirrhi viſcerum, infarctuum & gravationis ſenſus, Icterus, Quartanæ, hecticæ febres aut cachexia, hydrops.

Secundo varia motuum vitia per abdomen ipſum & in diſſitis partibus.

Hinc varia illa ſchemata ſpaſtica, hypochondriaco-hyſterica vel rheumatico-arthritica per totum corporis habitum, imo congeſtiones ad alia loca, caput, pectus, ventriculum; hic conſecutiones moleſtiſſimæ catarrhales, aſthmaticæ, vomibundæ, tuſſiculoſæ.

Et ex hoc fundamento feminæ proniores evadunt ad vomitum cruentum quam viri; non item ad hæmorrhoidales evacuationes.

Therapia generalis præſervatoria conſiſtit in Diæta & regimine providis, V. S. circa lunæ phaſin in inferioribus, ſtrictiore ligatura inferiorum, clyſtica injectione.

In ſpeciali curativa.

1. Natura torpens excitanda per Nervina balſamica, cephalica, uterina blandiora interna ut betonic. meliſſ. Puleg. ſerpill. Marum verum &c. calend. Borrag. &c. croci parcum, cort. citri & aurant. recent. ſantal. citrin. lign. ſaſſafras, coſt. ver. cinnamom. cariophyll. parciorem uſum, item per ligna Aloës, Ladan. ſuccin. myrrh.

Peculiare hic quid habet Sabina ejusque eſſentia ſpiſſior oleumque vitriolatum. Perſicaria ſub calcaneis geſtata.

II. Na-

II. Natura errans in viam reducitur V. S. ſcarificatione, pediluviis, frictionibus circa tempus conſuetum eruptionis aut phaſes lunæ inſignes.

III. Spiſſitudo ſanguinis diluitur ſufficiente potu & humidis cibis, potu Thee, coffée, veron. chærefol. hederæ terreſtris. Rub. Tinctur. Bellid. Hyſſop. ad modum Herbæ Thée.

IV. Plethora minuitur mediis chirurgicis juſto tempore.

V. Coagulatio grumeſcens prohibetur per reſolventia & alterantia, prius quidem per abſorbentia crocum martis per aquam ſimpl. martialem Stahl. conchas, teſtas ovorum. Item per Alcalia, volatilia & fixa, macra magis quam oleoſa, uti & ſpiritus ſ. ſucci expreſſi herb. antiſcorb. cochlear. perſicar.

VI. Craſſities mucida per acriora amara aromatica ſuccin. Myrrham gummi ammoniacum rad. ari. helen. Cent. min. Cardui Benedicti cort. aurantiorum.

VII. Defectui ſanguinis ſubvenitur refectione diætetica.

VIII. Relaxatio viarum fit V. S. ſi ab infarctu ſit orta obſtructio. 2) balneis ſeu inſeſſibus, plethora abſente vel ventilata. 3) peſſariis & emollientibus & blande nervinis. 4) Injectionibus per metrenchytam vel Glauberiano clyſmate vaporoſo, quod & obſtructioni ſanguinis ſpiſſi occurrit.

Idem præſtant præter ſuperius recenſita Cuſcuta, capillus veneris, Marrub. [attendendo monitum Simon. Paulli in Q.B.) abrotanum, aloë, Myrrha, interpoſito uſu ſalium volatilium aut mixturæ ex tinctura tartari & ſpiritu cornu cervi rectif. ana aut nitri depur. ne myrrha impetuoſius urgeat.

γ) Emanſio ultra 2. Sept. &c.

Puellæ ab ipſa prima ætate hunc defectum expertæ ſunt vel nimis plethoricæ vel ex antecedentibus morbis ſanguine viribusque exhauſtæ vel alienæ evacuationi aſſuetæ vel diſpoſitionis exquiſite phlegmaticæ, mucidæ, pituitoſæ.

Sic nonnullis menſes emanent non ſolum ad 16, 18, 20, annum, ſed etiam in perpetuum.

Hæ quidem eo citius pathemata huic emanſioni ſuccedanea incurrunt, quo maturius ceſſarunt menſes, vel ſi per tempus aliquot artificialibus ventilationibus maturis & ſat largis utentes ſatis bene valeant in vita activiore laborioſa, creſcentibus tamen annis aliæ in hy-

po-

pochondriaco-hyſtericas, aliæ nephriticas, aliæ arthriticas paſſiones prolapſæ obſervantur.

Quilibet etiam facile colliget, hanc menſium perpetuum abſentiam ſtipatam eſſe ſterilitate & vi minus ad concipiendum idonea.

Illud certum eſt, rariſſima talium, quæ nunquam hunc fluxum expertæ ſunt, occurrere exempla, quin vel ante pubertatem in valetudinario ſtatu fuerint aut aliis evacuationibus ſanguinis præcipue narium crebris, largis aſſuetæ: vel ad minimum mox in adoleſcente, juvenili & conſiſtente ætate in illa morborum genera incidant, quæ alias a menſium malo ſucceſſu aut longinquis moliminibus dependent.

Contra quibus mature emicuere menſes anno ſcilicet 12, 13, his nonnunquam ſolito maturius deſinunt.

Ita & vetulæ & infantes menſes habuiſſe aliquando notantur.

Illæ jam LX annos prætergreſſæ, præſertim, ubi in cauſa fuit largior vini potus, aliquot adhuc annos ſupervixerunt.

Infantes vero anno minores & majores hunc fluxum expertæ intra annuum forte ſpatium multis inuſitatis ſymptomatis exerciti mortem oppetierunt.

In Therapia menſium emanentium ventilationibus ſubjungenda ſunt alterantia, conjunctis modeſtis commotionibus ſanguinis per vitam agiliorem & ſufficientem dilutionem.

Admodum periculoſa vero talis Emanſio per acria pellentia tenuia martialia tractatur, indeque continuo atrocia oriuntur mala.

δ) Motus & progreſſus menſium per vias inſolitas.

Si materia vel viæ vel motus peccent, evacuatio menſtrui vias inſolitas capeſſere ſolet, primum tamen vicinas, ubi ſi non inveniat exitum, anxiis tentationibus ſubſiſtit, tandemque pro diſpoſitione prægreſſa per diſſitas vias eruptionem quærit.

Via talis prima & primaria inſolita eſt vomitus cruentus ſurſum, & hæmorrhoides deorſum.

Quoad priorem a menſium ſuppreſſione fiunt congeſtiones ſanguinis reſtagnatoriæ ad Venam Portæ ramum ſplenicum meſenterii & per conſenſum, inteſtinorum ſpaſticæ ſtricturæ, anguſtiæ præcordiorum, tenſio & preſſio cardialgica ſuffocativa (als wann man ihnen un-

ter der Hertzgrube einwerts etwas zusammen drückte, wordurch ihnen alsobald der Odem benommen würde) mox conatus vomendi, torsiones ventriculi vomitoriæ &c. tandem sincerus sanguineus vomitus.

Qui quidem sine idiopathico ad menses respectu rarius contingit, quam ille, quo horum anomaliæ complicantur, qui etiam sat exacte ipsa debita periodo destinationem suam manifestat.

Motibus vero his magis ad hæmorrhoides tendentibus sentiuntur tormina & stricturæ inferiorum mesenterii partium, quæ paululum remittunt, si ægræ abdomine plane introrsum complicato sedeant, contra vero immanissime exasperantur, si præsertim derepente surgendo strictura hanc temere extendere audeant.

Fæmellæ juniores ad superiores, provectiores ad inferiores evacuationes propendent.

Sæpius tamen tentantur tales viæ quam conceduntur, ut ita molimina initio ipsis evacuationibus longe sint crebriora.

Nec tamen in his tantum propinquioribus viis subsistit motus extraordinarius, sed & pro diversitate ætatis ad longius dissita loca redundat nempe ad caput & pectus.

Hinc juvenculis retentus fluxus per caput, nares & pectus exitum modo quærit, modo perpetrat.

Sic semper fit, ut juvenculæ narium hæmorrhagiis assuetæ 16 17, 18, annum sine mensium proventu prætergrediantur sine insigni incommodo. His vero cessantibus, nec mensium eruptione succedente, gravia propullulant pathemata.

Imo si vel paululum menstruatio turbetur vel leviter omittatur, ad pristinas vias recurrit vel ad minimum vergit & utrobique ambigens natura neutri satisfacit.

Ex congestionibus itaque tali exitu prohibitis exurgunt varii dolores, capitis, oculorum, aurium, dentium, cervicis, scapularum, humerorum aut loco œdematosorum tumorum, in partibus inferioribus, eruptiones serosо-lymphales seu catarrhales, fluxiones per nares, phlegmatorrhagia, manatio oculorum, sputatio.

Paulo magis plethoricis & adultioribus circa pectus oriuntur respirationis coarctatio, quam quidem tensiones hypochondriacæ aut præcordiorum, quandoque ambæ comitantur.

Unde pervenit multiplex illa asthmatica, tussiculosa, suspiriosa angustia a pectoris oppletione; nec admodum rara est plenaria eruptio

ptio per hæmoptyica, quæ quidem ſemper ſatis exquiſite ſtatis menſium temporibus reſpondet.

Familiarius tamen alienæ iſtæ eruptiones eveniunt, ſi legitimi motus menſtrui plane aboleantur ſine relicto ullo veſtigio.

Therapia generalis occupatur in promta reſtitutione fluxus menſtrui, cavendo à palliativa & damnoſa harum excretionum per adſtringentia, opiata, cohibitione.

In ſpecie vero viæ ſunt libertati reſtituendæ & motus ad ordinariam viam incitandi, quod fit in genere per medicamenta provocationi menſium ſatisfacientia, in ſpecie juſto tempore adhibita ſecundum phaſes lunæ cum Venæ Sectione in pede verſus novilunium circa æquinoctia.

V. S. & tota cura ſolida ad æquinoctia potius differenda, quam quolibet tempore ſuſcipienda [præc. in ſenſibilioribus.]

Salia volatilia non circa tempus inſtantis debitæ evacuationis, ſed tempore intermedio adhibenda, quibus tamen parum tribui poteſt ut & martialibus.

Facta igitur ventilatione inſtituantur leves catharſes cum epicraſi verſus tempus ſoliti juſti fluxus, ita ut circiter 8 dies ante terminum incipiant & illud tempus deſinant.

Tum denique menſiumeruptio ſollicitanda, ſine tamen fortiore totius ſanguinis commotione.

Conferunt etiam verſus hoc tempus exquiſitum pediluvia.

Aliquoties nitrum regeneratum menſes per aliquot periodos ſuppreſſos reſeravit.

ε) Finis Menſium Conſectaria.

FEminæ in plena imprimis lauta, aromatica, vinoſa, otioſa diæta conſtitutæ, plethora oneratæ, quæ menſtrua libera & larga expertæ ſunt, ſubſiſtente per ætatem hac evacuatione circa typum & exitum hujus fluxus incidunt in moleſtos quosdam affectus: vel ſi tales morbi eas jam ante tentarint, ceſſante fluxu exacerbantur.

Hujusmodi ſunt.

Imo. Menſtrui fluxus perturbatus ſucceſſus, ut nempe per aliquod tempus emaneat, deinde cum majori profuſione & longiore duratione redeat; vel præmature ſcilicet multo ante 49, 50 annum deſinat.

IIdo. Sicut autem feminæ, quæ ſpiſſo ſanguine abundant, jamjam ſub præcedente adhuc, quanquam laborioſius, fluxu devolvuntur in hyſterico-hypochondriaca pathemata, eoque ceſſante in exacerbationum incrementum; ita ſimilia illis eveniunt, quæ vel nil tale antea vel ſub puerperiis & ab animi motibus tale quid antea paſſæ ſunt, imprimis viduis junioribus in diæta lauta, luxu, cupiditatibus carnalibus viventibus.

Exerunt ſe convulſivis quaſi doloribus ſpaſticis, torminoſis, tam in inteſtinis quam in meditullio meſenterii, ut duplicato quaſi ſitu corpus incurvare & abdomen, imprimis umbilicum introrſum premere cogantur.

Adſunt volutationes torminoſo-flatulentæ, ſucceſſiones convulſoriæ, Stöſſe ans Herz, nothi & violenti ſingultus clangoſi & clamoſi, ſuffocationes præcordiorum aut ſtrangulatoriæ œſophagi & fauciüm.

Diſtenſiones flatulentæ obſtinatæ inteſtinorum, ſtricturæ alvi ſpaſticæ, pertinaces, etiam cannulæ clyſmaticæ aditum negantes, imo nonnunquam, quamvis rarius, dolores ipſius uteri vere ſpaſtici, dolorum partus æmuli.

III. Aliæ tentantur rheumaticis affectibus a ſtagnatione ſanguinis in porofas partes diffuſi, uti ſunt phlegmonodes, Eryſipelatodes affectus circa caput, collum, humeros, coxas, femora.

Vel etiam ſtagnationibus magis internis cum partium externarum ſtrictura in partibus membranoſis in capite &c. ſcil. oculorum bulbis, aurium receſſibus, exquiſito ſenſu, ſi caput leviter quaſſetur, ubi facie repente videntur macilentiores, genæ & tempora ſubſident, cum contra in rheumaticis exterioribus potius ſint inflatæ.

IV. Affectus dolore tractorio, tenſivo, ſpaſtico percellentes cum partis quadam compreſſione, arthriticæ proſapiæ, qui, ſi circa humeros, coxas, imo caput offis femoris ſe ſiſtant, ſolidam podagram magis magisque exprimunt.

Tam arthriticis quam rheumaticis vero affectibus hiſce communis & facilis eſt repulſio ad interiora, in his quidem magis importune inflammatoria vel certe ſtaſi proxima, in illis vero ſpaſmo cum affectibus ſtagnatorio-inflammatoriis, ad minimum obſtipatoriis propior: in laxiori quidem habitu cum inſeparabili inflatione rheumatode, in ſtrictiore vero manifeſtioribus tantum ſtricturis ſpaſticis.

Iſis

Illis demum affectibus succedunt vel consumtiones tabidæ, vel communius tumores oedematoso-hydropici: Quibus rebus adsunt tusses, præc. ficcæ, asthmata vel oppletiva, oppressiva, vel spastica vel utrumque.

Tabes superiorum se jungit tumoribus inferiorum; quibusdam circa cessationem mensium fluunt hæmorrhoides non temere sistendæ.

Therapiæ historia docet:

Cavendum esse, 1] ne alienum temere moliamur, 2] impr. neglectis, quæ ad morbum pertinent, 3] ne symptomatibus medeamur intacta radice, nec 4] mitigemus paroxysmos sine sublato morbi fundamento. Hinc nec 5] repentinis curationibus fidamus, sed potius constantiori justæ methodo invigilemus. 6] Stupefactorias autem palliationes affectum contumaciorem & ferociorem reddentes, sollicite fugiamus, sed totam potius curam quæramus in præoccupatione.

Convenit igitur V. S. in pede circa æquinoctia præservatoria quotannis repetenda.

Motus tonico-spastici mitigandi, non autem turbandi neque stupefaciendi stricte per opiata.

Nec prosunt calidiora carminativa item salia volatilia & martialia.

Excretiones legitime conservandæ Diæta humectante, mollientibus, abstergentibus, moderate laxantibus, non tamen sine judicatione adhibitis. Cavendo ab aloë absolute quidem in sensibilioribus, it. ab acrius stimul. & flatulentis.

Flatus ne reprimantur, sed promoveantur per clysteres aperientes emollientes.

Interne prodest nitrum cum absorb. sal digest. & cinnabaris, Radix Pimp. alb. omnibus aromaticis & sali volatili, it. oleis præferenda, cui in spasticis circumstantiis societur mille folium.

Caveantur hic carminativa calidiora, vomitoria, diaphoretica importuniora, præs. præsente plethora, varia damna illatura.

Tonicum effectum minime ab interno castorei usu expectes, quod in sensibilioribus ventriculum & hypochondria potius offendit, nec quadrant nervina calida volatilia.

Optimum præstant effectum Pil. Beccher. Stahl.

Venæ ſectionem etiam usque ad 70. annum bis quotannis, ſi qualiscunque vigor ſuppetat, ad 3. minimum uncias in pede repetenda.

5) Lochiorum fluxus.

Procedit e genitalibus puerperarum poſt partum per puerperii priores plures dies in tertiam ſubinde ſeptimanam fluens, prioribus quidem diebus ſanguis ſincerus & largus, poſterioribus vero tenuior, dilutior, tandemque ſeroſior, donec ſenſim deſinat.

Rite ſuccedens non ſolum utilis ſed & ſumme neceſſarius ab omnibus uno ore judicatur.

Contra aberrantem a debito ordine & ſucceſſu, tam in exceſſu quam defectu frequentiore & pejoris ominis, variæ paſſiones, quas jam hiſtorice percurrere animus eſt, excipiunt.

I. Exceſſus fit vel impetu uno repentino vel diuturna refractaria fluxione vel a ſecundinarum non perfecta excretione, laciniis earum remanentibus, vel maxime poſt abortum & quidem præc. adhuc minoris molis 2, 3, menſium, quibus non promotis & emotis omnia ſunt fruſtranea, adſtringentia vero noxia, it. prægravante mola.

Vel etiam legitimo partui ſuccedunt lochia nimia vel ſub ipſis ſemper conatibus; vel ſi ægra quieta decumbat, fruſta coagulati ſanguinis per ſpaſmos uterinos eliduntur cum hujusmodi profuſione ſanguinis.

Imprimis in retentione ſecundinarum hic fluxus diuturnus fit cum inæqualibus intervallis dierum 4. 8. 10.

Sequuntur hunc nimium exceſſum febres acutæ inflammatoriæ, vel tormina ſpaſtica uteri & meſenterii, aptitudinis ad concipiendum perturbatio, graviditatis incommoda vel plane abortus vel difficiliores ſubſequentes tempeſtivi partus vel iterata ſimilis profuſio.

Sequuntur pariter menſium perturbationes a retentione quadam in utero; fiunt etiam inflationes abdominis conſtantes; vel nonnunquam edunt infantes debiles, valetudinarios, minus vivaces.

Nimius hic fluxus non eo citius in totum deſinit, impr. ſine incommodis, ſuppreſſus repente magna certe pathemata infert & majora, quam non tam cito ſuppreſſus, quod etiam de omnibus hæmorrhagiis valet.

II. Defectum hujus evacuationis ſemper conciliant ſanguinis abundantia & ſpiſſitudo ejusque commotio turgefactoria per vini abuſum

uſum. It. alexipharmaca crocata ſalina volatilia, It. immodici & feſtinati puerperæ larbores ad partum, æſtus conclavis, pellentia, animi motus, præc. terror.

Hic poſt ſe relinquit *affectus* vel *mitiores* ſcil. anguſtias præcordiorum, appetitus dejectionem, inquietudinem, dolorem & perturbationem capitis. &c.

Vel *ferociores*; febres acutas, inflammatorias, congeſtiones hæmorrhagicas in caput; deliria, anginas, aphthas plerumque funeſta.

It. menſium ataxias, durabilia, periodica, ſpaſtica, hypochondriaco-hyſterica mala.

Cap. VII.

Hiſtoria Mictus Cruenti.

HUnc merito infrequentem vocaveris, cum ex omnibus hæmorrhagiarum generibus rariſſimus obſervetur.

Spontaneus obtingit communiter ſenioribus, tamen & floridioribus, ubi procatarctice non raro inconditus veneris abuſus motum ſanguinis & conatus ad has vias invitat, it. ſuppreſſæ hæmorrhoides.

Junioribus ætati virili aut provectæ juvenili ſymptomaticus interdum oritur a calculi violentia. Merito vero dicimus, interdum, cum nequidem vigeſimus quisque calculoſus eodem vere corripiatur.

Nonnunquam a motu corporis fortiori impr. equitando aut congeſtoria oppletione circa renes urinæ ſecretionem intercipi, [non niſi larga V. S. revocandam] & tunc fieri aliquibus ipſius ſanguinis cum urina eruptionem, paucorum exempla commonſtrarunt.

Stimulationes quoque diureticas nimias & alia acriora fortiter pellentia impr. cantharides præc. in non adſuetis, plethoricis biliofis inſequitur hæc ſanguinis expreſſio.

Ab his quidem accidentalibus læſionibus facilis eſt inclinatio ad reditum hujus evacuationis, propter locum minus idoneum, importunæ & periculoſæ, longe tamen ſecurius hic cohibetur, quam idiopathicus ille in ſenioribus.

In hoc vero ſpontaneo prodit ſanguis cum urina copioſus, ſincerus, floridus, [niſi quoad a ſalſedine urinæ mutatus] & quidem

quo

quo liberior, eo magis tacite, vel tantum ſpaſticis ſenſationibus & tenſione gravativa in lumbis prævia.

Durat hic vel impetu longiore ; unde per medicationes impr. adſtringentia aliud ſchema induit.

Vel pacatius & moderatius procedens ſenſim iterum requieſcens ad reverſiones impoſterum plus minus ſtatas inclinat cum magna deinde pertinacia.

Et ſi tum repente ſupprimatur cum graviorum hydropicorum, ſpaſticorum aut tabidorum affectuum periculo ; imó renum ulceratione, quæ turbulentam ſubcruentam materiam urinæ loco ſanguinis admiſcet, in quiete fundum petentem, tenacem quaſi mucum viſcidum, rubicundæ gelatinæ inſtar cum doloribus ſenſibiliſſimis, motibus facile laceſſendis, interim quiete ſegni etiam facile ingraveſcentibus.

Ubi quoties ſenſibilis dolor conjunctus eſt, de calculi præſentia & concurſu juſta eſt ſuſpicio.

Sub ipſo largiore proventu non ita raro accidit, ut vel in ipſo uretere vel in veſica diuturniore mora coagulatus ſanguis gravem preſſionem deinde formet in collo veſicæ & cum magno demum niſu nec tamen ſine dolore valde preſſorio excuti poſſit.

In uretere, qui ita coagulatus eſt ſanguis vermem quaſi ſpithamæ longitudine, & calami olorini craſſitie referre ſolet.

Cæterum mictus hic præcipue conſpirat cum hæmorrhoidibus, iisque ſuppreſſis ſatis ſæpe ſponte ſuccedit.

Effectum habet nullum utilem : præponderant enim damna & pericula.

Eſt enim adeo obſtinatus, ut, niſi maxime tempeſtive iterum miteſcat, & quidem cum prudente ventilatione, contumaciſſimum ſeſe gerat & magis magisque ſenſibilem, eoque ipſo ad irregulares emanendi & erumpendi exceſſus propendeat.

Senes in mictum hunc delapſos vix diu ſuperſtites fuiſſe & (niſi commode admodum & libere ſuccedat) intra paucos annos mortalitate interceptos obſervarunt attentiores practici.

In Therapiæ Hiſtoria.

Tempeſtiva & præſervativa V. S. multum ſpei bonæ promittit.

In aſſuetis contra præſentiores oppreſſiones certa minantur & funeſta pericula.

SE-

SECTIO III.

MEMBRUM II.

HISTORIA MOTUUM HÆMORRHAGICORUM Sive MORBORUM CONSEQUENTIUM

PARS I. GENERALIS.

Cap. I.

Hiſtoria Congeſtionum.

Priores uti ſanguinis exonerationem reſpiciunt, ſic frequentiſſime occurrunt omni ferme ætati hæmorrhagiis aſſuetæ familiares.

Oriuntur ex commotione ſanguinis impetuoſius facta cum intentione eum eliminandi impeditius ſuccedente.

Quin redeunt etiam violentius & pertinacius inſiſtunt poſt hæmorrhagias, quæ libere fluxerunt, emanentes, vel etiam artificiales aſſuefactas, venæ ſectiones, ſcarificationes &c. omiſſas.

Præc. poſt hæmorrhagias narium aſſuet. quando hæ imminent, plethorici acri æſtuoſo & tenſivo inflativo capitis dolore cum rubore frontis infeſtantur, ubi ipſi ſibi hujus fluxus conſcii loquuntur: Wann ſie nur bluten könten, ſo würde ihnen der Kopff leichter werden.

Locus ſive terminus a quo, per quem, ad quem, in quo, ſunt omnes partes poroſæ tum late patentes corporis regiones, tum exiguæ ejusdem partes & particularia fere membra, ubi exitus hæmorrhagicus evenire ſolet.

Notandus eſt periodicus inſultus congeſtionum præc. ſanguinearum ad varia loca, id quod vel maxime commotiones menſtruæ docent ſanguinem ad aliena loca tali utique tempore adigentes.

Ita tamen ut ſecundum diverſam ætatem, diverſa etiam occupent loca.

Et quidem 1) in *pueritia* congeſtio talis circa caput excitatur præter adſuetudinem ab exagitationibus corporis æſtuoſis immoderatis, vini potu inſolito, obverſatione in ſole, capite nudo, aut in hy-

pocauſtis humilibus & proxime terram ſitis, unde pedes quidem & crura frigore, caput vero calore ſenſibilius alterantur.

Comitatur hanc oppletio, gravitas, rubor, calor, dolores, donec hæc omnia fluxus ſang. ſolvat.

2) In *adoleſcenti* & proxime adulta ætate, tum etiam fœminis in impeditiore menſium fluxu eadem in pectore occurrit, ubi anguſtias & oppreſſiones format, præc. corpus acrius agitando, vel ſcalas, clivos aſcendendo.

Qualem conſtitutionem, licet non eadem promtitudine, tamen non ita rariſſime excipit hæmoptyſis.

3) Ad ventriculi regionem ſiſtit ſe in *virili*, magis tamen fœminino ſexu, ubi ſplenicæ inflationes cum cardialgiis & vomendi conatibus (uti non raro vomitus cruentus etiam inſequitur.)

4) Arctiſſime omnium exerunt ſeſe ejusmodi congeſtiones in hæmorrhoidalium & vicinorum vaſorum inflatione tum in hæmorrhoid. veſiculis tum duris tumoribus & veris furunculis, nempe hæmorrhoidibus cæcis ſine & cum dolore.

Seroſæ Congeſtiones oriuntur vel a directis contentionibus ſanguinis, unde ita dicti catarrhi, cum effuſione humiditatum ſeroſomucidarum coryza & tuſſi humida, tum etiam diarrhœæ ab aſſumtis haud ortæ.

Vel ab obſtipatione certorum colatoriorum per congeſtiones ſenſim inducta, unde tumores frigidi, tam oedematoſi quam ſcirrhoſi, glanduloſi.

Huc referantur tumores illi oedematoſi, podagricorum laxioris corporis habitus, tranſitorii quidem & ſenſim iterum evaneſcentes, interim ſatis ſæpe diuturni per 3, 4. ſeptimanas in paroxyſmis durantes, imo vero interdum continuitatem ſervantes, præc. ſi dolores per narcotica ſublati fuerint.

In Therapia in genere ad prophylaxin ſanguinis ventilationes derivatoriæ commendantur & uſui ſunt; quod ortum ſatis evidenter declarat.

Cap. II.

Hiſtoria Rheumatiſmi.

Simplices generaliores junioribus maxime *virilis ſexus*, præc. habitus poroſi ſanguinei vel ſanguineo-phlegmat. [feminis familiariores ſunt etiam in adultiore ætate] accidunt circa caput, pectus

ſca

ſcapulas, humeros, dorſum : mediæ ſive juvenili & floridæ virili ætati magis per dorſum & coxas ad femora exterius.

In retroceſſione vero ad interiora in illa ætate magis circa caput, fauces, pectus ; in his circa hypochondria, inteſtina, renes, damna moliuntur.

Cauſæ remotiores petuntur a commotionibus plethoræ, congeſtionibus, ſtagnationibus, hinc adeſt ſenſibilis ardens dolor inflammatorius; ſpecial. a ventilationibus ſanguinis omiſſis, ſcarificationibus, veſicatoriis, fonticulis aſſuetis, ulceribus manantibus, ambuſtionibus, luxationibus, contuſionibus, fracturis non ſatis mature reſtitutis, it. a motibus fortioribus ſanguineo-plethoricorum, unde contuſorium ſenſum habent.

Rheumatiſmus ſpecialis ortum ducit vel ab aſſuetudine congeſtionis eryſipelaceæ vel phlegmonodis vel impr. a firmiore apoſtaſeos inſinuatione febrilis ſegnioris, quod utrumque Rheuma data quacunque occaſione ſequitur impoſterum.

Acrior ſeri conſiſtentia, quanquam per ſe effectum hunc producere non valeat, poteſt tamen eum in certis individuis & ſenſibiliorem reddere & ad peculiarem locum diffundere.

Temeræ & ſubitaneæ mutationes frigoris exquiſiti cum inſigni calore & contra cauſam etiam præbent rheumati.

Notanda eſt *differentia* accidentalis magis quam eſſentialis Rheumatiſmi ſimplicis & generalis vel ſpecialis cum aliis affectibus complicati.

Simplex ille eſt frequentior & mitior, plethoricis familiarior vel evacuationibus aſſuetis vel tamen ad evacuationes tendit.

Exerit ſe hic per totum corporis ambitum poſt defatigationem vel. æſtum corporis temere refrigeratum. Eſtque vel floridior vel ſeroſior pro diverſitate temperamenti & minore vel majore dyſcraſia.

Speciales rheumatiſmi occaſiones paroxyſmorum ſumunt vel a commotionibus ſanguineis hæmorrhagicis vel talibus, qui etiam ſimpliciores Rheum. ſive reſtagnationes a ſanguineis congeſtionibus ortas (a calore, colore & exquiſitiore ſenſu hitzige Flüſſe dictas) concitare ſolent.

Hæ etiam mala ſua pro diverſitate ætatum latius diffundunt & in loco ſimplicioris Rheumatiſmi ætati conveniente conſenſum imo complexum ſemper movent cum majore & anxia perturbatione,

imo

imo ad vagos maxime motus, quin etiam ad febres rheumaticas, [imprimis ſi febrilem apoſtaſin pro fundamento habuerint] proclives ſunt.

Siſtit ſe rheumatiſmus poſt febres, inflammationes eryſipel. vel phlegmonodes dolores, violentiam externam & illorum quidem per repellentia, coagulantia, narcotica, incongruam tractationem.

Affligit vel ſpaſtice renitendo cum rigeſcente & ſub contractorio niſu demum exquiſitius urgente dolore vel etiam vario ardoris, punctionis, vibrationis, palpitationis mordicantis & compungentis ſenſu.

Habet communiter per initia aliquid tumoris, inflationis, ruboris: retinet plerumque jugem & perpetuam ſenſibilitatem in ſana quacunque parte vel ad minimum debilitatem & minorem poteſtatem ſive vim membri.

Committit promte impr. tamen magis per prima ſui initia palindromen ad interiora, febrilibus inflammatoriis difficillimis geneſibus aptam.

Æmulatur magis fixam, rarius vagam vel ad ſummum diffuſam late.

Neque prætereundus eſt periodicus reditus, quem facile levi ex occaſione v. g. mutationum aeris atque temporis ſtatarum formare ſolet.

Uti etiam ſedem ex uno loco in alteram non ita raro transfert.

Præterea obſervatum eſt, Rheumata, quæ nephritico-hæmorrhoidales conatus ſequuntur, per dorſum deorſum per coxendices ſe exerentia (ſine manifeſtiore cauſa externa) ætati hæmorrhoidibus opportunæ familiariter evenire.

Quoad *exitum* illis, qui poſt aliquot dierum incommoda ſpontaneum lenimen & remiſſionem ſentiunt, moderatus obtigit rheumatiſmus cum vel ſine evacuatione materiæ placide ac lente nec ſtato tempore erumpentis.

Pejoris ſunt conſequentiæ non ſolum reſtagnationes minimum copioſæ, verum etiam tandem inflammatoriæ ſtaſes.

Non quidem ſuppuratoriæ apoſtematodes ſed potius phlegmonodes & frequentius adhuc eryſipelatodes facile cum periculo ad interiora retrogredientes.

Coorta tali congeſtione, infarctu & inflatione rheumatici motus non ſolum promtius reſuſcitantur, ſed etiam illuc tanquam in

arcem

arcem & ſedem ſuam ſtatim ſe recipiunt cum majoribus incommodis, ardore, rubore inſigni, fremebundo dolore, febrili languore, inquietudine, inappetentia, agrypnia & anxiis circa præcordia anguſtiis.

Quæ omnia eo periculoſiora ſunt, ſi ad interiora relabantur.

Recurſus autem rheumatiſmorum in teneriori ætate maxime circa caput, in mediocri circa pectus, diaphragma, præcordia, in ulteriore circa V. P. illique annexa viſcera, tragicos ſuos effectus formant inflammatorios, febriles convulſivos, ſuffocatorios.

Benignius & impr. in habitu feroſiore per excretiones aliquas ſucceſſivas tranquilliores.

Imo oedemata rheumatica ortu impetuoſa & pertinacius durantia magis magisque hydropicorum indolem aſſequuntur, maxime & præſentiſſime ſi ab exterioribus ad interiora divagentur.

Conſpirat hic valde *cum arthritide*, eſtque quaſi primus ad illam gradus, incidens in communia cum arthritide loca & tempora ſeu ætates, nec non tempeſtatum mutationes.

Et ſicuti fontes ſunt communes, nempe ſanguinearum maxime ventilationum molimina, ita Rheumatiſmus propiore progreſſu recta in arthritidem obfirmari poteſt.

Differentiam tamen conſtituunt 1] Rheumat. irruptio inundatoria quaſi & ſtagnatoria diffuſſio, hæc major affluxus & exundatio.

2] Ille plane propiores cauſas, arthritis altiores & longius jam gliſcentes habet.

3] Ille magis eſt congeſtio, ſtagnatio indeque tenſio cum calore & ardore vel tumiditate; hæc vero magis eſt contentio ſpaſtica fibrarum & tendinum vellicationes, vibrationes quaſi rupturam minantes.

4] Ille magis in poroſis cum lata diffuſione, hæc vero in tendinoſis partibus eſt, quanquam etiam veri podagrici dolores in ſpongioſioribus ſemper latius quam per ſolos tendines, nempe etiam in muſculos extenduntur.

5] Ille hanc ſemper præcedit, hæc illi ſuccedit vel eum comitem & fomitem agnoſcit.

6] Rheumat. ſpecialis cuivis ætati contingit, hæc vero ad certas magis ætates reſtricta eſt.

7] Ille evidentius febrilibus inflammationibus prægreſſis, hæc vero hæmorrhagicis potius moliminibus originem debet.

8] Ille

8] Ille ab exterioribus facile ad interiora recedit, hæc ſcil. ſincerior arthritis a regreſſu libera eſt, quanquam in hoc vaga arthritis cum rheum. conveniat.

Acrimonia vero humorum præc. venerea, quæ ſtagnationes producit acres, ardentes, rodentes, reiſſende, geſaltzene Flüſſe, nequaquam pro his vel in theoria vel praxi habenda.

Pertinet huc in ſpecie *dolor dorſi.*

Qui evenit familiariter habitioribus ſanguineis plethoricis.

Tenſivus motus eſt non ſine inſigni exacerbatione momentanea, a regione interſcapulari deorſum ad lumbos usque. Senſus eſt veluti contuſorius, ut in rheumaticis doloribus cervicis.

Concurſant fatigationes totius corporis ſeu alterutrius lateris, vel ad minimum brachii alterutrius lateris quaſi pondere onuſti.

Quamvis autem dubium non ſit, quin hic dolor proximo gradu in nephritidem vergat;

(ubi conſideretur vicinia ramorum illorum, qui ad infimas vertebras lumborum a vena cava & aorta reliquis intercoſtalibus & lumbaribus longe magis conſpicui ſunt, & ſui & tranſitus alteratione per ſe ſpaſtica emulgentibus vaſis aliquid omnino negotii transmittere poſſunt.)

Perperam tamen hic vulgus Medicorum ſtatim Nephritidem arguit & quidem ex ſaburra & Cryſtallis in urinæ vitro ſeſe affigentibus, quas ſabulum eſſe pronunciant, quod tamen non eſt ſed potius ſalino-tartareum concrementum, omnibus arthriticis familiare. vid. ſub nephr. calculoſ.

Si vero hic dolor lumbos magis ſecundum latitudinem adeoque utrumque latus ſpinæ dorſi occupat, tanto minus pro nephritico haberi debet, qui alterutrum & communiter quidem ſiniſtrum latus magis ſeorſim obſidet.

Quod etiam valet de extenſione ejus verſus ſcapulas ad ſuperiora, cum nephriticus magis ad inferiora tendat & femoris illam ſtupefactionem prope muſculum Pſoas inducere ſoleat.

Differt porro inſigni ipſius doloris exiguitate, quiete & inſigni remiſſione, ſi corpus quieſcat; ſenſibili vero doloris intenſione ſub motu corporis; cum Nephritis communiter quietum corpus magis exagitet & motu, ad minimum per initia miteſcere appareat.

Conjuncta quidem eſt (raro tamen uno eodemque tempore) ſtranguria,

guria, ſed cum neque hæc directe aliquid ad calculum faciat, neque aliis ſimilis habitus corporibus, licet de dorſo nihil querentibus, inſolita eſt, non probat eſſe nephriticum.

Refertur huc Febris Rheumatica ſeu Catarrhal, quæ comitatur Rheumaticos inſultus fortiores, minime tamen quoslibet, ſcilicet ſenſibilis motuum tonicorum alteratio, frigoris & caloris volatica variatio.

Quanquam autem hæc veris febris circumſtantiis minime quadret, (licet generaliſſimo ſenſu ita nominari poſſet) conjungitur tamen non raro febrilis humorum impulſus, ſed non tam toni, quam pulſus aliter inſtituto modo.

Cauſam huic præbet affluxus materiæ copioſus & motus vehementia partes obruens vel ſenſum exquiſitum inferens, vel ſtagnat onem penitiorem inferendo inflammatorii quiddam non æque apoſ ematodes quam phlegmonodes & eryſipelatodes.

Quamdiu autem hæ rhevmaticæ coacervationes circa exteriora corporis hærent vel exonerationem quamcunque nanciſcuntur (e. g. in acri coryza, brancho, tuſſi humida) febres ſunt leniores levibus tantum percurſationibus horridulis & volaticis caloribus, utrisque potius vagis quam typicis.

Si vero circa interiora reſtagnent, aut ab exterioribus ēo propellantur, ſtaſis, inflammatio, corruptio promtior eſt cum febribus ſenſibilioribus & fortioribus magisque ancipitibus.

In Therapia præſervative prodeſt V. S. in pedibus, non item curative, ſi vero illa in brachio inſtituatur, in ætate 25 annos prætergreſſa, auget congeſtiones ad ſuperiora.

In cura interna nitrum cum abſorb. temperantibus, interpoſitis laxantibus, tum etiam alexipharmacis eſſentia ſuccini

Externe camphorata, pediluvia proſunt.

Caveantur ſudorifera, calida ſulphurea vel acria aromatica, vel ſalia volatilia cum regimine diaphoretico quæ magis exacerbant affectum, item myrrhata non niſi circumſpecte.

Ab opiatis affectus redditur incoercibilis.

Acidulæ brevis & inconſtantis effectus in diuturniore malo nihil ſolidi effecere, contra improvide uſurpatæ dubiæ ſunt, imo funeſtæ.

Cap. III.

Hiſtoria Inflammationis in genere.

SUbjacet præcipue huic *conſtitutio corporis ſanguinea plethorica* vel circa motus minus moderata vel aſſumendis inæqualium motuum compotibus rebus indulgens &c. &c.

Cauſæ & *quidem internæ* ſunt non tam ſpiſſitudo materiæ, quæ ſubſiſtere cogitur [ſiquidem innumera dantur exempla eorum, quæ tali ſpiſſa diſpoſitione laborant, ab omni tamen vel ad minimum proportionata ſtaſi inde ſubſecutura immunium.)

Quam activa congeſtio vel præceps congeſtionis velocitas, cujus præcipuum documentum exhibent ipſæ translationes, impr. ab exterioribus ad interiora corporis.

Et hæc eſt ſpecialiſſima.

Speciales communes habent cauſas cum ſpecialibus hæmorrhagiis ſecundum ætates.

Proxima materialis & phyſica, cauſa eſt ſtaſis ſang. ex congeſtione nata.

Externæ ſunt, quæcunque ſanguinem alicubi præter modum coacervant, progreſſum ejus impediunt, coagulant: uti meatuum ſolitorum plenariæ interceptiones, divulſiones, violentæ relaxationes a contuſionibus inductæ; imo violentæ ſenſationes præcipue cum aliqua texturæ violatione concurrentes.

Locus, cui inſidet, ſunt præcipue partes poroſæ, carnoſæ, deinde parenchymaticæ, nunquam exſangues; niſi qualicunque impetu aut vi ſanguis inſolitum in illas aditum nanciſcatur.

Ut itaque ipſius affectus hiſtoriam ſubnectamus, ſubſequitur plus minus cito ſtaſin ſanguinis non modo circa hanc partem ſed & latioris ambitus tumor proportionatus, ſuccedit tempeſtive rubor, æſtus ſeu ardor, & calor patienti & aliis tangentibus ſenſibilis.

Increbeſcente vero horum omnium, maxime autem tumoris quantitate, percipitur ſatis diu ſenſus valde penetrans lancinationis ſeu puncturæ non quidem vagæ aut peregrini rythmi, ſed quæ planiſſime cum pulſus ſubſultibus conveniat, ita ut quoties pulſus ſalit, toties ipſi ictus punctorius contingat, ea tantum differentia, ut, licet tempore eadem ſit cum pulſu hæc lancinatio gradu ſaltem non perpetuo

petuo, conſtanti pergat, ſed manente etiam eodem gradu pulſus, puncturæ hæ interdum ſegnius, interdum penetrantius ſentiantur: ſemper tamen cum pulſus inſigni augmento ipſæ quoque intendantur.

Poſtquam hic tumor, rubor, æſtus, ardor, ita per aliquot horas apparuerunt, fit interdum, ut ſenſim omnia hæc decreſcant, imo perfecte evaneſcant, adeoque pars infeſtata in integritatem reſtituatur.

Evenit hoc fere ſic ſatis mature, nempe intra 4 ad ſummum dies, ſi paulo copioſior & profundior ſit ſtaſis illa, aut ſeptem ad ſummum diebus, ſi magis in latum, quam in profundum porrecta ſit.

Specialiſſima illa circumſtantia negligi non debet, quod rubor maxime ſpectabilis atque etiam ardor & æſtus deprehendatur ipſum ambitum inflammati tumoris occupare.

Interiora vero & quæ quaſi centrum totius tumoris tangunt, ſæpenumero etiam ad ſenſum tepidiora obſervantur.

Uti autem hæc incommoda ſcilicet calor, dolor, ardor &c. inevitabilia ſunt; ſic non raro ipſos patientes inquietos & interne anxios videas.

Discuſſione non ſuccedente abit inflammatio in corruptionem vel purulentam (materiam albidam nullius fœtoris) vel ſphaceloſam, de quibus infra.

Cæterum affectus hic in media ſui frequentia, ſi tamen ad potentiam cauſarum ſuarum referatur, ſatis rarus eſt.

Differentia diagnoſtica inflammationis a febribus & ardoribus atque æſtuationibus ſtagnatoriis eſt, quod illa non diu poſſit durare ſine discuſſione, ſuppuratione aut ſphacelo; febres vero & ardores tales, quæ a ſtagnationibus congeſtoriis pendent, non ſolum diu durare, ſed etiam varie jam remitti jam intendi poſſint citra effectum vel discuſſorium vel corruptorium.

Item æſtus tales ſequuntur ſtagnationes, etiam inflammationes veræ ſimpliciter actuales ſtaſes.

Ex his Therapiæ hiſtoriam quaſi a priori ſibi generalem formare licet, ſcilicet vel discuſſionem tentare, aut hac irrita juſto maturitatis tempore puris exitum promovere, tum mundificationi, denique conſolidationi intentum eſſe, quod a poſteriori utile.

In diffuſioribus præcipue ab externis violentiis, hæmorrhagiis vulnerum repente ſuppreſſis, venam ſecare ex uſu eſt.

Vitentur tonum enervantia, utpote a quibus in copiosiore affluxu transfluxus tandem fatiscit atque ita sphacelus inducitur.

Et pari quoque studio pure adstringentia, quæ partem facile in scirrhum desiccant, unde saturninorum nimius & intempestivus usus absit, & ranina coagulantia nunquam sine camphora applicentur.

Cap. IV.

Historia Inflammationis

IN SPECIE

1. Erysipelatis.
2. phlegmones.
3. apostematis.
4. gangrænæ.
5. sphaceli.
6. ulceris simplicis, fistulosi, apostematosi.
7. Furunculi.
8. carbunculi.
9. Scirrhi.
10. Cancri.

IN SPECIE

I.) Erysipelas.

Oritur hæc post stases in latum cum profunditate quam minima diffusas.

Aptissimæ sunt ad hoc concipiendum partes membranaceæ texturænempe in latum potius quam in profundum contextæ.

Unde stases ejusmodi etiam ob densiorem harum structuram penitiorem aditum omni sanguini denegantem plus seri & lymphæ quam stricte dicti sanguinis continent.

Plura vid. de Febr. Erysipel. supra de Febr. sympt.

II.) Phlegmone.

A priori distinguitur, quod profunditate insigni gaudeat cum ambitu non minore.

Interim ad suppurationem adeoque abscessionem non idonea.

III.)

III.) Apoſtema & inflammatio apoſtematodes.

Hæc maxime in partibus ſincerioris ſanguinis aditui expoſitis, ubi ille in ſtaſin ruit, ſuboritur.

Hanc inſequitur inflatio partis affectæ, tumor durus cum rubore, præcipue in ambitu magis quam centro, nec non colore eximio, dolore vellicativo punctorio, cum tenſione patienti oppido ſenſibilibus.

Hæ circumſtantiæ, quanto acrius exagitant, excepto nimium repentino enormi impetu horum omnium, tanto certius hinc expectanda venit *actualis abſceſſio*, & hæc tanto certius, ſi tumor in nodum quaſi magis collectus ſit.

Abſolvitur hæc intra ſpatium 4 aut ad ſummum octo dierum.

Niſi quod partis valde exſanguis plane peculiaris conſtitutio & faciat minorem moram & ferat;

Sed tamen cum perpetuo periculo alienioris, a benigna ſuppuratoria indole corruptionis.

Ubi igitur tactu molle planeque maturum evaſit & ſponte vel arte rumpitur, effundit liquamen ſpiſſiuſculum album nullius aut certe parvi odoris ad ulteriorem putridam corruptelam non amplius propenſum, ſed ad ſummum tantum ad ſalſam acrimoniam efformandum.

Quo facto eximius ille dolor quaſi in momento ceſſat, remanente tantum quaſi fremitu quodam.

Emiſſo abſterſoque tandem univerſo pure apparet ſuperficies cavitatis cruda ſeu ſubcruenta; recenter diſſectæ carnis inſtar, ſine tamen ſanguinis actuali effluxu.

Reſarcitur & conſolidatur hæc promte, niſi quod ſpecialiſſima conſtitutio, glanduloſo - tubuloſa ſingularem, imprimis manationis refractariæ contumaciam objiciat.

Aut plane in deterius procedens corruptionis abſceſſoriæ indoles e ſimplici ſuppuratione ulcerationem fecerit.

Quo magis rubor in ſuppuratione deficit, eo minus minusque obſequitur etiam reſtitutio conſolidatoria, ſed manet potius fluxio ulceroſa coalitui refractaria.

Quod ad *prognoſin* attinet in genere, ſicut internorum viſcerum inflammationes apoſtematodes ambigui maxime eventus ſunt; ſic in

illis etiam partibus abſceſſu tali facto, ubi neque ſpontanea evacuatio facile ſuccedit, nec arte commode juvari poteſt, neque mundificatio & nimii effluxus aut affluxus interceptio locum habet, niſi plane naturæ bonitate ſingulari ſpontanea reſtituantur, non raro certe exemplum funeſti aut incurabilis pene mali exhibent.

Differt apoſtema a furunculo, quod in illo ſit ſanguis in poroſæ partis foraminulis extra vaſa corruptus: in hoc vero exilis ſanguinis portio, in extremitate proprii vaſculi corrupti.

Diagnoſin apoſtematis ab ulcere tam ratione loci ſubjecti quam materiæ. vid. infr. ſub Tit. ulceris.

In *Therapia*, niſi diſcuſſio ſpei reſpondeat, maturatio intenditur per mucilaginoſa, pinguia, emplaſtra de mucilaginibus & gummatibus non valde acribus cum camphora, Empl. Diachylan. cum Gummi.

Suppuratio præoccupatur quidem per Camphor. ſi vero hæc tardius adhibeantur, illa jam fiente aut facta, cavendum, ne diſſipatis tenuioribus partibus fiat ſuppuratio & pus nimis ſpiſſum.

Ad mitigandam vero inflammationis vehementiam conducunt refrigerantia ſaturnina &c. cum aliis remixta.

Maturi ruptionem promovent mel, fermentum piſtorium &c. niſi vero vel his remediis vel ſponte rumpatur, aperiendus eſt inſtrumento, emiſſo pure abſterſio per digeſtiva & mundificatio & reſtauratio per balſamica, eſſentiam myrrhæ & ſuccini peragitur.

Ante omnia cavendum, ne abſceſſus alibi mundus, & alicubi pure tenaciore diu obſeſſus maneat, inde enim caro luxurians.

IV.) Gangræna.

Summus hic inflammationis prævaleſcentis gradus ſupervenit ſtaſibus inflammatoriis, vel cum magna copia adfluxus & imprimis quidem præcipitis factis, vel etiam juxta cum adfluxu copioſo, irritationem ſecum trahentibus.

Format tumorem magnum, ſumma duritie inſignem, cum rubore non ſolum ſaturatiſſimo, ſed & livido nigricanti, ardore intolerabili & veræ aduſtionis ſenſum imitante.

Hæc comitantur dolores lancinantes exquiſitiſſimi & ſpaſtici circumjacentium partium, itemque patientis ſingularis anxietas.

Quoad prognoſin, niſi diſcuſſio mature præveniat (quam tam

adeo non valet adſequi impetuoſus appulſus, ut potius revera infarctui augendo ita par fiat abundans hæc & irrumpens in partem obſeſſam congeſtio) deterrimum ſortitur eventum, degeneratque utplurimum in ulcus peſſimi moris ſeu ſphacelum, quem ſtatim ſubjungimus.

V.) Sphacelus.

Cauſarum hiſtoria ſuggerit. 1.) Interceptionem liberi commeatus ſanguinis per partem affectam ſeu potius hujus incarcerationem immobilem, quam inducere ſolent.

2.) Coagulatio ſanguinis per magnum frigus, aduſtionem imo facta jam ſtaſi, refrigerantia huic adhibita.

3.) Irruptio præceps & maxima contentio affluxus, & 4.) ſimplex interceptio, v. g. per fortes ligaturas aut compreſſiones violentas.

5.) Continuitas meatuum laceratione violata, exitu tamen non conceſſo.

6.) Tonus viarum graviſſime læſus & 7.) paralytica aut hemiplectica deſtitutio toni partium vitalis, infarctum repentinum, ab affluxu ſine debito refluxu, introducens.

8.) Partium fibroſarum conquaſſationes, lacerationes, e. g. in vibicibus a gravi percuſſione prognatis.

9.) Aut quando ſenſus acerrimus inflammationi conjunctus copioſum affluxum & hinc incarcerationem, coagulationem ſanguinis provocat.

10.) Aliquando etiam imperita deligatio graviorum contuſionum cum fractura oſſium aut hæmorrhagia feroci, unde ſuffocatio partis; Erſtickte Schäden.

11.) Morſus animalium venenatorum certiſſima ad producendum hoc malum cauſa.

Sphacelo itaque partibus corporis ſuperveniente, diſparet calor vitalis & in frigus ibi mutatur, calor lividus nigreſcens in parte immediate affecta, per ambitum autem ejus pallidus & a florida vivida temperie alienus.

Ceſſant ibi dolores & fit ſenſus expers natura, adeo ut ſcalpello etiam facta inciſio minime a patiente percipiatur.

Membrum autem eſt flaccidum & turgeſcit ordinarie per viciniam ſeu ambitum partis immediate affectæ tumore pallido, frigido, œdematoſo.

Si poſt aliquot horarum ſpatium pars tumida ſcalpello feriatur, non percipitur ibi ſenſus, neque fluit etiam e vulnuſculis ſanguis, ſed merus tantum ichor cruentus.

Apparente in vulnuſculis manifeſto nigro denſato ſanguine a fluxilitate debita alienato.

Interim ruit pars adfecta præcipiti progreſſu in fœtidam putredinem:

Adeo, ut non ſolum plane mollis & quaſi ſemifluxa evadat, ſed etiam olidiſſimum fœtorem cadaveroſum ſpiret.

Notabilis eſt obſervatio, quod deſtitutio ſenſus atque toni vitalis circa partem correptam ſe exerat, antequam actualis corruptio his partibus evenerit, tali tamen conſtitutione, ſenſum atque motum, curatione feliciter ſuccedente, recuperent patientes.

Ipſa vero corruptio repente ſerpit & progreditur in circumambientes.

Unde pars correpta, nullam reſtitutionem admiſſura, omnino auferenda eſt; vel excidit etiam a reliqua viva parte, ſponte ſua, nempe abſcedendo.

Sphacelo interno, internas ſcilicet inflammationes inſecuto, ſuperveniunt repentina omnium dolorum circa locum affectum ceſſatio, ſine ulla ſuccedente purulenta evacuatione.

Cui admodum promte junguntur virium dejectiones graviſſimæ citra aliquam notabilem cauſam; imo lipothymiæ, pulſus debiliſſimi, palpitationes cordis, anxietates, refrigerationes extremorum.

Lentius vero quam in aliorum viſcerum ſphacelo eveniunt hæc in hepatis partis gibbæ ſphacelatione.

Cæterum raritas mirifica ſphaceli notatur.

VI.) Ulcus in genere.

Obtingit partibus potisſimum exſanguibus, ſed tamen ſeroſo-lymphalis humoris commercio libero patentibus aut per accidens ita diſpoſitis, ut ſanguis ſincerior, quatenus & ubi ulceratæ ſunt, illo tempore in eas recipi non posſit.

Unde ſubjectæ ſunt ulcerationi partes cutaneæ & membranaceæ, tendinoſæ atque ligamentoſæ, tandem glanduloſæ.

Per accidens autem tranſeunt in ulceroſam conſtitutionem etiam ſup-

ſuppuratorii abſceſſus perperam, cedentes & vulnera poſt ſuppurationem non conſolidata.

In ſpecie invadit caput, unde in tenera ætate achores, cruſta lactea, excoriationes retro aures.

In variis ætatibus, ſcabies oritur, Intertrigines, variæ ulcerationes a ſcalptione, ab alliſione v. g. tibiarum, ab eroſione aut uſtione fonticulorum exemplo &c.

Seroſo lymphalis ulcerum materia, ſi cum leviſſima & pauciſſima ſanguinis parte intermiſceatur, acres & urentes efficit ſeroſæ corruptionis effectus.

Ipſa materia ſeroſo lymphalis, quo plus ſeroſæ, eo ſalſior, quo plus lymphaticæ materiæ continet, eo acrior deprehenditur; acrius autem fermenteſcens, ſi plus de ſalivali materia, acerrime, vero, quo plus de ſanguinis miſcela participat.

In Specie.

α) Fiſtuloſum.

Hæc materia eſt vel *inſita* ſc. partibus vaſculoſo-tubuloſis, vel *adventitia* in parte glanduloſa, quam poſtquam arroſit, apertis ita multorum meatuum imo tubulorum orificiis, aperit ita exitum copioſius allabenti humori, qui alias per talem partem ita moveri debet.

Notandum eſt, ejusmodi ulcus ſemel invento exitu incoercibile fere manare.

β) Apoſtematoſum vel e purulento abſceſſu ſubnaſcens.

Oritur hoc poſt apoſtema pure jam liberatum ſi affluxui floridi ſanguinis pars ob denſam ſtructuram non pateat, ſed tantum in læſa hac continuitate ſerum cum diluta lympha transmittat primo mucescens deinde mota ſalſedine ſua partem aggrediens.

Vel etiam ex neglecta abſceſſuum mundificatione & convenienti tractatione per unguinoſa.

Unde abſceſſus in ulceris indolem converſi, ſuperficie pallida, livido quaſi nitore decolore, pruriginoſo ardore moleſto, ſaniem decolorem tenuem exhibente, (verwahrloßte, unreine Schäden) inſeneſcentes & in obſirmata ulcera tranſeuntes (alte Schäden.)

Hæc vero non ſolum copioſo confluxi ad talem locum viam

ſter-

ſternunt; ſed etiam quicquid in corpore commotionem ſubit, ſtatim ad locum affectum quaſi peculiariter dirigitur.

Imo talis locus, conſolidato jam ulcere, in poſterum a peccantibus, ſi qui oriantur, humoribus illico occupatur; unde variæ congeſtiones, ſtagnationes, inflationes, Rheumatiſmi ita dicti;

Et non raro ad ipſam ulcerationem denuo deducitur.

Differt ulcus ab *apoſtemate* tam *loco*, qui in hoc magis carnoſus, in illo membranaceus tendinoſus eſt, quam *materia*, cum in hoc ſincerus ſanguis in corruptionem purulentam, in ulcere vero humor ſeroſo-lymphalis cum partis ſolidæ ſubſtantia colliqueſcat & in corruptionem fatiſcat.

VII. Furunculus.

In hoc ſtaſis ſanguinis non tam intra poros muſculoſæ partis, quam ſimplicius in vaſculo vel tubulo aliquo ſanguifero detinetur.

Format tuberculum vix baccæ lauri amplioris vel ceraſi nigri magnitudinem excedens cum ardore inſigni & rubore ad purpuream usque obſcuritatem.

Vehementia vero doloris major quam pro mole ſua, in comparatione ad alias inflammationes, impr. in majore furunculo maxime inſolens eſt non ſolum pungitivo-æſtuoſi, & eximie urentis, ſed etiam ſpaſtico-vibrativi cum ingenti inquietudine, agrypnia & anxietate patientis, imo calores febriles univerſaliores ſecum trahentis.

Signa emollitionis aut maturationis per aliquod tempus non ita cito exhibet, ſed difficulter ſuppurationem ſubire ſolet.

Qua vero facta exiguam puſtulam ſuppuratoriam ſiſtit. Hac ſciſſa vel rupta exiguum foraminulum videtur, exeunte poſt expreſſionem una vel altera gutta puris modo ſpiſſi, modo inæqualis fluidi, diſcoloris, ichoroſi, cui ſub paulo fortiore preſſione cruentus ichor aut modicum ſanguinis ſinceri ſuccedit.

Rupta ſuppuratione manet ambitus non ſolum longe latius, quam in aliis etiam capacioribus ſuppurationibus ſolet, perquam durus; ſed etiam dolens adhuc & ardens præter ſimplicium morem.

Foramen eſt quidem nonnihil profundum, ſed ſumme anguſtum vix craſſioris acus ambitum excedens.

Hoc ſi turunda aliqua leniter dilatetur & ſine incitatione convenienti tractatione conſolidetur, cis eum ambiens tumor durus pedetentim ſubſidet & pars reſtituitur.

Si

Si vero furunculus ſit major, maturatio tardius ſuccedat, & emplaſtris attractivis, unguinoſis, incongruis mellitis perperam tractetur, oritur diffuſior corruptio in albam & tenacem materiam, quæ tantum ſucceſſive plurium dierum ſpatio abſcedit & excidit, relicto poſt ſe crudo ſubcruento magno foramine ſive hiatu.

Si locus furunculi ſit mundificationi minus aptus & diu perſiſtat antequam vel ſuppuretur vel pus ſuum emittat, ſubſequitur nonnunquam fiſtula. e. g. fiſtulæ ani hæmorrhoidibus cœcis tumentibus (quæ nihil aliud ſunt niſi verus talis furunculus) ſuccedentes.

Alias, ſuppuratione minus proſpere cedente in ſphacelum præceps; imo hoc ipſo ad fœtidam qualiscunque ſuppurationis depravationem pronior eſt furunculus.

Diagnoſin hujus ab apoſtemate quære ſub Tit.

In cura, ſi in unum nodum collectus furunculus exiguam illam veluti tubuloſam ſuppurationem aſſequatur, tractetur Emplaſtris vel Diachylon cum Gummi vel de Minio cum Camphora.

Abſtinendum a nudis refrigerantibus præſertim diuturno ipſorum uſu, ſiquidem inde ſcirrhoſitas, ulcerationes malignæ, imo ipſe ſphacelus oriri poſſunt.

Totus igitur ad ſuppurationem perduci opus non habet.

In puſtulæ ſuppuratæ foraminulum evacuato pure prodeſt immiſſio guttulæ Eſſentiæ ex Myrrh. ſuccin. cum aliquod guttis olei Terebinth.

VIII.) Carbunculus ſeu Anthrax.

Naſcitur hic ex eodem fonte, quo præcedens, niſi quod hic ſpecialis putredinoſa plerumque concurrat efficacia.

Unde hic omnia in ſummo gradu & habilitate ad ſphacelum conſtituta videmus.

Auctis enim vehementiſſimis inflammatoriis commotionibus, ſummus doloris exceſſus, color e purpureo nigricans, ardor ita urens, ut veluti rubore excandeſcat, denique nigreſcat & veluti aduſtam relinquat partem, deſinens in ſphacelum.

Diſtinguunt autem hoc malum in benignum (citra peſtem, ubi tamen ſatis malignum eſt) & malignum peſtilens ſcilicet.

Quoad prognoſin autem vel vulgo notum eſt, anthracem etiam ſine peſte mortem minari, ſcilicet ob promtiſſimum tranſitum in ſphacelum.

Si vero ſalutariter exeat, lenioribus præcipue remediis tractatus vel in vel extra peſtilentiæ tempus, vix unquam in laudabile pus tranſit, ſed in meditullio ſui putreſcit, parte circumjecta ſuppurationem ſuſcipiente, meditullio putrido excidente.

Specificam Furunculi ab Anthrace Diagnoſin conſtituit illius ſedes magis ſuperficialis in corpore, hujus vero profundius introrſum hærens, eoque ipſo capaciorem vaſis ramum & ſimul aliquid firmioris Texturæ comprehendens.

Furunculus enim extrorſum protuberat, hic vero magis introrſum indureſcit & corruptione ſuccedente, etiam quantumcunque ſelici, inſigniter dehiſcere & excidendo aliquid amittere ſolet.

IX.) Cancer occultus & ulceratus.

Subjecta huic ſunt loca glanduloſa, tubuloſa, membranacea, tendinoſa, mammæ fæminarum, labia, naſus, genæ, uterus, membrum virile.

Excreſcentiæ quoque fungoſæ glanduloſarum æque ac membranacearum partium item ſtrumæ ulceratæ, diutius toleratæ, illæ fere ſæpe, hæ promtiſſime in talem genium degenerant.

In hiſtoria cauſarum pertexenda primo ſe offert Cancer mammarum a vitiis lactis, contuſionibus, compreſſionibus acutis, compunctionibus ſubtiliſſimis, vitiis menſtruorum oriundus.

In aliis partibus, imprimis glanduloſo-tendinoſis aut cutaneis inſigniter contuſis, unde ſugillationes in ſcirrhum induratæ ſunt; pariter a violentis compreſſoriis vellicationibus, kneipen, zwicken, acutis contuſionibus, ſubtilibus puncturis affluxum ſanguinis poſt ſe trahentibus, qui in ſcirrhoſam duritiem ſicceſcat.

Quin etiam a ſubtili, copioſa tamen varicoſa vaſculorum, ſenſim ſcirrhoſa conſtitutione.

Fit igitur ab his vel aliis etiam cauſis collectio nodi varicoſi duri inæqualis livida, v. g. in mammis.

Hæret ibi per plures ſine, aliquando etiam cum magno ſui incremento.

Interim dolor in illo cooritur pro ſenſibilitate patientis vel major vel minor, plerumque tamen non moderatus, ſed acutiſſimus, urentis ardoris & ſectilis quaſi acuminis ſenſum offerens cum animi angore graviſſimo ad lipothymias usque.

Omni-

Omnibus vero, quibus dura hæc inflatio mammam latius obſedit, una contingit, glandularum ſub ejus lateris axilla ſenſibilis inflatio, induratio, dolor, quod & nonnunquam colli & brachii vicinia experitur.

Quo magis dolor invaleſcit, eo manifeſtius accedit febricula, quæ adeo interdum (continuante diu dolore) exardeſcit, ut hectici caloris gradum longe ſuperet.

Adſunt vigiliæ, inſomnia metus & terroris plena cum actionibus vitalibus languentibus, appetitu utplurimum exiguo, rarius, niſi mentis ſenſibilis titubatio concurrat, inordinate aucto. Sed communiter a paulo copioſiore alimentorum aſſumtione pejus habent.

Manent ita per longum ſæpe tempus ſine actuali ulceratione occulta. (cancrum occultum vocant.)

Hac vero ſuccedente & corruptione prævaleſcente erumpit incoercibili impetu aut intolerabili dolore graſſatur, donec perrumpat.

Labia autem ulceris turgida & quaſi occaleſcentia evadunt vel livido communiſſime, vel roſeo quaſi rutilante colore conſpicua, idque cum tanta ſæpe viciniæ laxitate, ut ſub levi ſcalptione mox cuticula abradi poſſit & ſubſtantia ipſius cutis ſubſtratæ velut miliaris, ſed mollioris tamen texturæ appareat, humiditatem multam & quaſi perpetuam fundat, imo mox viſibilia foraminula exhibeat, quibus ichor talis veluti ex profundo ſcaturit.

Materia ex ulcere manans tetri coloris & odoris exiſtit, præcipue ſi paulo craſſioris ſit conſiſtentiæ.

Eſt vel tenuior flaveſcens vel ſubcruenta communiter admodum corroſiva, ut non ſolum lintea impoſita brevi tempore tanquam aqua fortis corrodat & friabilia reddat; ſed etiam ipſam cutem in parte adhuc ſana (ſi ei aliquandiu immoretur) veluti adurat.

Quid? quod ferramenta rubigine promte afficiat & cum inſperſis abſorbentibus interdum efferveſcat.

Fœtorem ſpargit acetoſum & putredinoſum, carnis in muria ſalina vel aceto computreſcentis æmulum.

Quanto magis depaſcit, tanto major eſt fœtor, ſin minus & tamen acerrime cruciet, prævalet acris corroſivitas.

Quando hæc etiam mitior eſt, tunc ſunt ut in tali ſtatu omnia mitiſſima.

Si vero nulla prorſus acrimonia inſignis oriatur, increbeſcit putrefactio.

Obſervantur animi pathemata, ſi non majori (quod tamen in cancro occulto certum eſt) certe pari gradu cum aſſumtis minus congruis ad ſalſam acrem fermentationem ſubeundam imo putredinem juvandam idonea.

Exſtirpata hujus mali maxima parte ſæpe vel unica venula iſto infecta, cauſa eſt de novo provenientis corruptionis.

Facta jam & irritatione & affluxu majori, tum etiam corruptione aucta, ſi corroſio inhibeatur, putrefactio, fœtor & colliquatio magis inſoleſcit. Si vero corruptioni reſiſtatur, exardeſcit tanto magis arroſio, ardoris atque vellicationis acerrimæ ſenſus.

Abſcedunt nonnunquam integra fruſtula, licet rarius. Adhuc rarius fit, ut aliquid excreſcat quaſi luxurians, niſi ubi per ſarcotica, balſamica pars quædam mundificata ſit.

Contagioſus quidem cancer eſt illis præcipue qui ad illum recipiendum jam ſunt diſpoſiti, in genere tamen non æque.

Quoad curam cancri *occulti* conveniunt univerſalia laxantia, V. S. bis in anno, maxime adſueta, tum abſorbentia cum leni diaphoreſi. Externe ſpiritus vini camphoratus circa partem.

Ab irritantibus, emollientibus, maturantibus jam Hippocrates cavere juſſit; illis enim affluxus, his corruptio putrida invitatur.

Ulceratus poſcit 1mo) mundificationem per oleum laterinum, Empyreumat. 2do) corruptionis inhibitionem per Myrrhæ uſum providum (ab acrioribus, oleis deſtillatis, Balſ. ſulphuris inflammationes præſentius excandeſcunt. IIIo) affluxus repulſionem per ſpiritum vini rectificatum (quæ per adſtringentia non commode, per diſcutientia ſola aut purgantia item diaphoretica &c. fruſtra tentatur. 4to) denique conſolidationem.

Ad dolores mitigandos opium abſit (a copioſo ipſius uſu ſphacelus producitur) & externe etiam ſtupefacientium uſus, niſi providus.

Illius in locum ſubſtituitur nitrum cum tartaro vitriolato, externe Tabacum &c.

X.) Scirrhus ſanguineus & ſeroſo-glutinoſus.

Ortum debet maxime vehementibus contuſionibus, ſenſibilibus vel

vellicationibus (zwicken, kneipen,) aut undecunque natis tumoribus it. externo neglectui aut malæ administrationi debitarum resolutionum atque discussionum.

Specialior vero horum indoles variat secundum partium, in quibus nascuntur, varium habitum ad receptandos humores vel seroso-glutinosos vel spissius cruentos.

Differt Io. ab inflammatoria stasi, quod in hac facilius succedat discussio. IIdo. ab ulcerosa constitutione, quod hic serosa salivalis acris humiditas concurrat.

Scirrhi sanguinea stasi nixi simpliciter pessimi moris & cancrosæ veluti indolis sunt, certe inter acrem ulcerosam & putridam sphacelosam velut ambigentis.

Unde jam Hippocrates consuluit, tales intactos potius relinquere & hodierni etiam chirurgi usum emollientium interdicunt.

Cap. V.

Historia Dolorum in genere.

INter proximas horum causas numerantur motus a congestionibus & propter easdem, inter remotiores, caloris & frigoris repentini insultus, acres salinæ materiæ etiam prioribus accedunt.

Occurrunt variæ species.

1. *urens* & *ardens*.

2. *Rodens*, citra æstum, ad tactum quasi contusorius, (es thue ihnen so weh wie Blutschwären.)

3. *pruriginosus* in ulceribus.

4. *Lancinans compunctorius* vel pulsus micationi respondens adeoque continuus vel citra pulsus ordinem vagus & inæqualis, obvius hic est interdum in capitis agitationibus, concussionibus.

5. *Mordicans* manifesto spastico impetu (qualis in intestino recto circa exitum gravissime licet brevissime etiam nonnunquam sese exerit.)

6. *Tensivus*; tum volatilis torminosus, tum fixus ruptorius; ut in colica.

7. *Gravativus* plethoricorum.

8. Dolor & sensus *gelidus* in vertice imprimis, rarius in lumbis.

9. *verſatilis* acer, jam de ſuppuratoriis, jam de arthriticis rheumaticis dicitur, zerrende, reiſſende ꝛc.

10. *Terebrans* in lue venerea oſſa ipſa & cranium obſidere ſolitus.

Inter innominatos & qualicunque ſimilitudine expreſſos.

1. Ἑλκώδης quaſi ulceris crudi, es ſeye wie rohe, beiſſe, nage, wie ein offener Schaden; tum etiam contuſorius poſt motus corporis minus conſuetos fortiores, ubi convenit cum ſuperiore rodente.

2. Ὀστεόκοπος poſt intimam laſſitudinem & fatigationem, quam ad oſſa & medullam penetrare dicunt.

3. *Fremens* inquietudinis autor in partibus mollibus, (es ſeummet ihnen in den Gliedern) alii *formicantem* quaſi expreſſuri, es krieble darinnen wie Ameiſſen.

4. Palpitatorius, non raro a convulſivis motibus pendens.

Quemadmodum autem motus congeſtorii & inde varii dolores facile citra materiam proportionatam etiam in conſuetudinem abeunt, ſic iidem a patheticis animi concitationibus promtiſſime redeunt.

Comitantur dolores inquietudines & corporis & animi, vigiliæ & impatientia, imo metus periculi cum ſpei abjectione, ſomniis terrificis.

Sequuntur non tamen æque ſæpe vel perpetuo debilitates virium, ſpaſmi, convulſiones, paralytodes membrorum enervationes; atrophiæ eorundem, ariduræ, contracturæ.

Cap. VI.

Hiſtoria motus tonici p. n. affecti.

Contingunt hi vel ob progreſſus impedimentum in genere, vel ob transmiſſionem humorum ab uno loco ad alium largiorem, vel ob peculiarem ſenſum.

Offerunt ſe in febrili inſultu, ubi horridæ & rigidæ denſationes imo concuſſiones horrido-tremulæ.

In Podagra ſæpe tam exquiſite ſtringunt, ut partes, quas arripuerunt, exſuccas & fere rigidas relinquant, quod maxime ſiccis & minus ſpongioſis ſubjectis non infrequens eſt.

In febre acuta non raro & cutis & ſumma cuticula ita denſatur, ut pertinaciter ſudores retineat.

Un-

Unde etiam adſpectus pallidus, extenuatus,quem comitari quoque diarrhæas importuniores, apparatus vomibundos & febriles &c. videmus.

Sicut etiam horripilatio illa curſoria horum exemplum ſubminiſtrat, (wenn ſie eine Gänſe-Haut überlaufft.)

Frigore vero inſigni ita contrahuntur ſubſtratæ cutis partes, ut totus adſpectus emaciatus appareat.

Effectus hic non adeo difficile erit colligere, ſcil. poſt ſtricturam cutis vaſorumque coarctationem ad diſparitionem usque, pallor tum etiam calor accidit.

Ex regreſſu humorum a peripheria ad centrum,anguſtiæ & oppletiones,non æque promte ſtagnationes multo minus ſtaſes, tum ſecretorii actus adjumentum, uti in Tertianis, colatorii diſtenſio & ſtaſeos abſterſio, ut in acutis & inflammatoriis febribus.

Quo magis autem hi motus ingraveſcunt, eo propius tranſeunt in ſpaſticam indolem.

Ubi & jam periculum eſt, ne vel in inquietas tenſiones vel febriles ſuccuſſationes deſinant.

Quanquam non raro quoque ſenſationes criſpatoriæ formicantes, horripilationes volaticæ, quæ ſanis etiam paſſim obtingunt, inſequantur, imo in plethoricis tabida quaſi extenautio, compunctorius ſenſus in præcordiis (als wenn ihnen ein Meſſer durchs Hertz gefahren) præc. a repentino terrore.

Quem ſane ſi gravior fuerit, in fœminis interdum excipit tam vehemens convulſivo-ſpaſtica anxietas circa eadem præcordia, ut ſuffocationes inde incurrant, ſenſum hunc circa ſcrobiculum cordis accuſant: Es wolle ihnen das Hertz abdrücken.

Cap. VII.

Hiſtoria motus humorum ſpaſmodici in genere.

SUbjacent his habitus ſucculenti ſpongioſi, temperamenti ſanguineo-phlegmatici vel ſanguineo cholerici, ſtatus plethorici, omnium maxime hæreditarie prædiſpoſiti.

Præterea etiam graciliores plethora tamen onerati, præc. poſt aſſuetarum ſanguinis evacuationum omiſſionem vel intermiſſionem.

Hos vero ita diſpoſitos tanto citius conjiciunt in ſpaſmos ſangui-

guinem exagitantia ſpirituoſa volatilia, præcipites corporis motus, animi pathemata, veneris intemperantia.

Remotius ſuſcitantur a vermibus, calculo, globis ſclopetariis, morſibus animalium, contuſionum doloribus, (daß ſie offt einen Cadaver am Leibe tragen müſſen.)

Rarior eſt univerſalior aut late admodum per corpus ſe diffundens ſpaſticus actus, uti tetanus, emproſthotonus &c.

Frequentius ſe exerunt in ſingularibus corporis partibus, brachio, manu, cruribus, in aliquo muſculo femoris, pedibus, horumque digitis;

Circa caput infamis eſt ſpaſmus cynicus, circa occiput in muſculis capitis erectioni inſervientibus, fœmininum præc. ſexum cum aliis rheumatico-arthriticis paſſionibus invadit, cum circumflectendi capitis impotentia.

Nec improbabile Thoraci interdum evenire cum reſpirationem intercipiant & dubiam reddant apoplexiæ aut catarrhi ſuffocativi indolem.

In oeſophago & ventriculo noti ſunt tales rigores deglutitionem remorantes aut ita renitentes, ut nihil ventriculus admittat; præſente ſimul anxietate cardialgica.

Uti & in inteſtinis, ubi colicos dolores formant; præc. inteſtinum rectum nonnunquam tanta contentione ſtringitur, ut ne quidem cannulam clyſticam, nedum altiorem ipſum clyſterem admittat.

Veſica non minus expoſita eſt ſpaſmis, in ſtranguria, commotione calculi, pariter atque anus in teneſmo.

Species ſpaſmorum varias memorant, inter quos

1. *Tetanus* obrigeſcentia corporis in ſitu recto, ut immotum maneat.

2. *Emproſthotonus*, incurvationem corporis antrorſum;

3. *Opiſthotonus* eandem retrorſum denotat.

4. *Catalepſis* obrigeſcentia totius corporis in ſitu, quo prehenditur, a profunda cogitatione, terrore, amore.

5. *Incubus* thoracem dormientibus comprimit, reſpirationem & motum corporis impedit, exſolvitur motu unius membri, & relinquit aliquam laſſitudinem.

6. *Aſthma convulſiv.* vigilantibus potius accidit, & occupat tantum thoracem.

7. *Spaſ-*

7. *Spaſmus cynicus* os hominis ad modum rictus canis a curſu anhelantis dehiſcere ſive circa angulos hiare aut pertinaciſſime claudi cogens, convulſioni, in quem facile ruit, propinquior, lethiferi communiter eventus.

8. *Riſus ſardonicus* in utraque maxilla ſemper fere cum delirio junctus idem efficit.

9. *Priapiſmus* Penis violenta, dolorifica tenſio magis quam erectio, quo ipſo differt a ſatyriaſi in procaci hujus erectione ad leves phantaſias conſtante.

Uti etiam in Arthriticis, Apoplexia (in thorace ſuffocativus) aridura, contractura, nodis podagricis varia ſe ſpaſmorum exhibent ſchemata.

Specialiter inter ſe differunt ſpaſmi, dum alius in paucas fibras tantum exercetur, unde fibrillaris arthriticis familiaris incompletus, tarde in agitatione, contumaciter in duratione ad *ἀκμὴν* productus, lente remittens, vibraticus, zerrend, reiſſend, wie gegen einander fahrende Meſſer.

Confirmatus talis ſpaſmus fit completus, exſuccus, pallidus, frigidus, ſtupidus.

Alius eſt *muſcularis*, qui totum muſculum comprimit, fluidum tranſitum excludit, vaſa inflat, unde congeſtio & directio humorum ad certum locum.

Niſi vero optatus finis per expreſſionem humorum obtineatur, metuenda ſunt ab univerſalibus repentinis ſpaſmis inflammationes internæ, a partialibus in capite convulſiones.

Spaſmi, ſi junioribus frequentius eveniant, augeſcente ætate arthritidem; ſi vero ſenibus minus aſſuetis, apoplexiam, aſthmata convulſiva &c. minantur.

Si acutis morbis, vulneribus, cerebri commotionibus ſuperveniant, mali ominis ſunt & ad convulſiones propenſi.

Simplices vero tranquillis & plethoricis, qui accidunt, magis innoxios pronunciare licet.

Spaſmorum a convulſionibus diagnoſin conſtituit illorum lentus, ſtatarius, immanens, & in ſe minus periculoſi augurii ſtatus, harum contra vehementia, inæqualitas, inconſtantia vagabunda periculi plena.

Ad Therapiam ſi progrediamur, *præſervative* materiæ eductio-

nem

nem per V. S. ſcarificationem, hirudinum uſum opportuno tempore ac loco valuiſſe comperimus.

Curative ad motum ſuſpendendum commendantur ſuccinum, liquor cornu cervi ſuccinatus, nitrum, annuli antiſpaſmodici, it. ſalia volatilia urinoſa, ubicunque materia jam educta eſt, tolerabilia ſunt maxime cum tinctura ſalis tartari remixta.

Cap. VIII.

Hiſtoria motus humorum ſpaſmodici in ſpecie

I. Arthritidis vagæ.

Quemadmodum jam ſupra plurima generaliter ſub Rheumatiſmis Arthritidi magis ſubordinatis quam ab eo diverſis plane recenſuimus ; ita repetendum eſt eadem hic quoque ſubjecta occurrere.

Scilicet quam maxime ſani, plethorici, ſucculenti, ſpongioſi, otioſi diætæ plenæ, lautæ, aromaticæ, vinoſæ, rebus venereis indulgentes, iræ dediti & quia talia minus fovet paupertas, divites.

Non parum ſed plurimum hic valent hæreditaria diſpoſitio, evacuationum ſanguinis ſuppreſſiones aut neglectus.

Rarius evenit juniori ætati , niſi graviores præſentaneæ cauſæ adſint, it. poſt potus ſpirituoſos copioſe ingeſtos, refrigerationes corporis repentinas poſt æſtum, fortes artuum alliſiones, concuſſiones ſublaxatorias cum dictis concurrentes &c.

Strictius ſumtæ arthritidi ſubjacent magis juvenes a XX ad XL. annos,

Occupat ſuperiores potius partes, ſcapulas, axillas, humeros, brachia item dimidium caput (in hemicrania) nucham & cervicem, imprimis dimidiam poſteriorem partem thoracis, anterioris thoracis alterutrum latus ; circa thoracem a clavicula ad hypochondria graſſans pleurithidem notam exprimit.

Alias communiter in illam ætatem incidit, qua hæmorrhoides exitum affectare ſolent.

Ubi incipit circa dorſum, lumbos, coxas ſeſe exerere cum paſſionibus nephriticis plerumque complicata, a quibus tum ægre diſcernitur.

Quamdiu arthritici tales affectus mitiores & ad exacerbationem ſui veram collati, adhuc indolentes ſunt, appellantur admodum uſitato

tato nomine Rheumatis : Der Fluß lige ihnen in der Achsel, oder an der einen Seite des Halses am Schulterblat, im Rücken, stecke im dicken Schenckel, in der Hüfften, daß sie sich nicht wohl bewegen, umsehen, bücken, niedersitzen und wieder aufstehen können.

Diagnosis a Rheumatismo ex supra dictis sub hujus titulo patebit.

Quo rarius talia eveniunt & diutius durant, quo magis inferiores partes, os sacrum, coxendicem, acetabulum ossis, femoris, exteriorem femoris musculosam partem vel articulationem pollicis pedum cum metatarso den Ballen am Fuß occupant, eo magis verum suum nomen profiteri incipiunt Ischiadis, Podagræ.

Quando exquisiti tales dolores in uno loco corporis successive, contumacius tamen & constantius subsistunt, chiragræ, gonagræ, M. Ischiadici podagræ nomen assumunt.

Differt Arthritis a podagra, quam subnectemus 1. loco', 2. ætate, in illa juniore, in hac seniori. 3. ordine cum illa podagram præcedere soleat.

Insequitur arthritis vaga hæmorrhagias naturales & artificiales emanentes : imo molitur sub tali spasmodicorum motuum exundantia, maxime in fœminino sexu; scil. mensium & hæmorrhagiarum narium.

Si vero sudores succedant, æque bono omine fiunt, modo diu ac temperate conserventur.

Vaga arthritis cognoscitur e doloribus ab una parte in alteram discurrentibus, sine admodum diuturna plurium dierum nedum constanti in singulis mora.

Exposita est huic solennius junior ætas, sexus fœmininus, seniores a prægressis ætatibus malo hoc tenaciter obsessi permanent, rarissime demum ab ipso liberantur.

Doloris sensus supra de motibus spasmodicis expressus est,

Servat exacerbationes typicas ut febris, ut impetus omni die remittat & revertatur ; cum pulsus alteratione febrili.

Pervagatur unum post alterum membrum, usque dum etiam pectus obruat.

Compages musculorum sub motu spastico dolorifico est compressa, quasi arida, ut flecti non possit præ dolore ; venæ sunt inflatæ, subsequente partis spongiosæ intumescentia remittit dolor & æstus exacerbatio.

Cap. IX.

Hiſtoria 2. podagræ & Mali Iſchiadici & Varicis.

Cauſas & ſubjecta cum Arthritide habet communia, niſi quod huic etiam obnoxii ſunt *graciles* vel ex hæreditate, vel qui antea ſpongioſi fuere, ætas quoque magis *virilis* vel *ſenilis*, junior non item niſi vel ex parentum translatione, vel motibus hæmorrhoidalibus prægreſſis cum vini, iræ, veneris exceſſu.

Tum etiam *ſexus maſculinus*; Fœminæ enim M. ſpaſticis hyſtero-arthriticis ſubjacent vel quæ ad podagram inclinent, cœlibes, plethoricæ, hæmorrhoidariæ ſunt, ubi ab Iſchiade plerumque incipiunt

Inter cauſas reliquis accenſenda venit *Rheumatica diſpoſitio* ex Apoſtaſi febrili, niſi longo Alexipharmacor. temperant. diuret. uſu diſcutiatur.

Senſus doloris eſt apud alios tractorius, vellicatorius, vibratilis acutiſſimus, interlancinans, ut non ſolum quietem excutiat, ſed & clamores patientibus exprimat.

Apud alios tamen & imprimis phlegmaticæ magis conſtitutionis eſt prorſus obtuſus non dolorificus, niſi quod ſtuporem, gravitatem & impotentiam, aut ſi hoc fiat, ſubtilem acutum ſenſum tanquam aciculæ inferat.

Orditur vero aliis a ſuperioribus deorſum, a coxa, capite oſſis femoris imo longitudine femoris ad genua & ipſum pedem.

Aliis ab infimo pede jam ab ipſo pollice majore, jam ab ultimo ejus articulo, quem a denſiore textura, pilæ quaſi ſimili, den Ballen appellant.

Afficit tamen in omnibus artum, qui ſub uno complexu a ſummo femore ad apices digitorum usque pedis nomine ſolet inſigniri.

Quanto acrior autem ſenſus eſt magisque dolorificus, eo minor comparet communiter ulla alteratio externa ſive coloris, ſive magnitudinis ſive ſenſibilis caloris.

Notabilis eſt inprimis podagræ præludiis, præc. apud ampliori-bus vaſis inſtructos, vaſorum per tibiam conſpicua inflatio, cui jungitur gravatio aliqualis, verius tenſio per ipſum femur deorſum.

Cum adſpectu muſculoſarum partium compreſſo, colore pallidiore, calore magis remiſſo.

Subſiſtit per plures dies temporaria tantum remiſſione, perma-

nente

nente tamen ſemper rigore, tenſione, quæ leni motu corporis denuo ferocit.

Somnus ſub remiſſione parvus eſt cum frequentibus pavoribus, ubi ſemper alliſione pedis dolorem revocant; remittentes vero pavores indicant & paroxyſmum remiſſurum eſſe.

Poſt 2, 3, 4, ſeptimanas deſinit dolor in rigorem, ſtuporem.

Quibusdam ſtatim circa principium, aliis circa finem evenit tumor, quo facto facilius refocillantur & diutius perſiſtunt immunes.

Ubi quidem tumor tempeſtivus parum coloratus cum rigido ſtupore membri ad aliquot ſeptimanas jugiter contumaci, phlegmatico-ſanguineis vel phlegmatico-melancholicis eſt.

Sanguineo-cholericis familiarior eſt tumor ſine dolore vel ſupervenit huic interdum tumor plerumque ſubrufus eryſipelaceus.

Muſculi autem manent compreſſi, diuque nec leniſſimam flexuram vel motitationem ſine nova doloris irritatione ferunt.

Et cum ſæviente dolore nullum niſi anxium habeant ſudorem, nunc langueſcente impetu lenis prodit mador vel largus ſudor ex ipſa etiam parte laborante.

Quibus ſub ipſo adhuc dolore corpus ſudat, iis plerumque pars dolens pertinaciſſime ſicca manet.

Appetitus aliis eſt conſtans, aliis omnino jacet, imo nauſeat, vomiturit, vomit.

Concurrit his poſterioribus fere ſyndrome pathematum in abdomine, nempe ſiniſtri hypochondrii colica, alvi ſiccitas; prioribus vero magis paſſiones lumbares, renales, nephriticæ, calculoſæ.

Redit paroxyſmus fere ſtato tempore verno, imprimis & autumnali, tum inſignibus etiam tempeſtatum mutationibus frigido-humidis, ubi tamen facile & exaſperatur & provocatur ab ira, terrore, Venere, Baccho, motibus concuſſoriis, diæta mala hypochondria turbante.

Hoc tempore invadit ſæpe cum pectoris anguſtia tuſſim mentiente & aſthma humidum, concurrente coryza:

Dictam itaque ſcenam iterato ludit, ut poſt tenſivas gravativas inquietudines in artubus ſenſim (niſi quidem ab impetu pathetico incitentur) dolores ſe exerant, quos comitantur febriles circumſtantiæ, vagæ ſenſationes volaticæ, refrigeſcentiæ & incaleſcentiæ per habitum corporis, appetitus imminutio, ſomni perturbatio (aut ſub qua-

licunque ſomno, phantaſiæ, angores, pavores,) tædioſi languores, ſiticuloſitas cum faſtidio fere uſitatorum potuum, impatientia.

Inter accidentales hujus affectus circumſtantias annotamus ſqq.

Spontaneus paroxyſmus invadit ordinarie media nocte. Ira vero vel terrore accitus in momento irruit.

Quælibet una periodus abſolvitur pluribus paroxyſmis, qui quotidie media nocte orti verſus meridiem miteſcunt.

Periodus per ſe 2, 3, 4 ſeptimanis terminatur. Diutius durat, ſi ſopitione, irritatione, in habitum deducatur.

Quo magis dolor urget, eo brevius durat & alacriorem relinquit patientem.

Sudores ſub finem paroxyſmorum, maxime poſteriorum erumpunt.

Furfuracea ſquamoſa ſeceſſio non omnibus ſed magis cholericis obtingit.

Sic & nodi tophacei infrequentes ſunt, niſi in ſtatu inveterato & illis præcipue qui acres dolores perſentiſcunt, neque raro enaſcuntur poſt externa coagulantia, refrigerantia, membrorum applicationem ad niſum fortiorem, iram.

Quo magis vero a paroxyſmis remanet inſigne vitium ſeu tumoris ſeu torporis ſeu rigoris ſeu nodoſæ duritiei ſive contractæ diſtorſionis, eo promtior fit recurſus, aut ad minimum tanto certior & in univerſum communiter pertinacior.

Utraque podagra dolens pariter atque ſtupens ordinarie fatiſcit in hebetem quendam atque torpidum ſenſum, vulgo Einſchlaffen der Glieder, oder als wenn ſie auf Pelz giengen.

Pauciſſimi podagrici ſunt, qui non renum & urinæ calculoſis vitiis & hæmorrhoidibus ſunt obnoxii, imo præludunt nonnunquam pathemata vere nephritica.

Ubi vero nephritica calculoſa ſaburra podagræ complicatur, ibi raro ſimul obſervantur hæmorrhoides.

Urina eſt rubicunda craſſa inſtar cereviſiæ; deponit ſedimentum, crudiore adhuc malo, pauciſſimum & leve, pallidum, albicans; provectiore vero, craſſius, ſubmucidum magis roſeum, dimittit ad fundum & latera vitri granula ſabuli pellucida; colore carneoli, i. e. ſaturato & cum rutilatione inſigni aurantio.

Contracturæ arthritico-podagricæ rariores ſunt, niſi gravibus

ami-

animi pathematibus, diæta intemperantius vinosa, inconditis artificiis, balneorum alienius medicatorum abusu inducantur.

Quo tamen non referre decet familiarem præcipue gracilioribus impotentiam partem flectendi sub doloribus & sub finem eorum tractionem & rigorem.

Juniores podagrici minus diu supervivere aut certe senium non attingere observantur.

Hi tamen ante omnia expositi sunt 1.) evidentiori podagræ conspirationi cum passionibus hypochondriacis admodum vehementibus 2) faciliori ejus retrocessioni sub artubus ad interiora. 3) vel magna vehementia convulsiva magis quam spastica circa corpus externum exagitantur.

Regurgitationem vero ad interiora excipiunt inflammationes viscerum, febres acutæ, obstipationes viscerum.

Exitus vero juniorum, qui hoc malo infestantur, fere est vel a dictis affectibus, vel a paralysi partium imo apoplexia, accidentaliter concursantibus vomitu cruento, colica, singultibus, lienteria, fluxu hepatico &c.

Contra qui maturis annis tarde podagra tentantur, vitam communiter ad feram usque senectutem producunt.

His autem retrograda vel ad interiora repulsa (ambulatione & exercitio solos artus movente, vel adstringentibus) appetitus dejectionem cum vomitu vel vacuo vel assumtorum, graviora splenica mala, febrem lentam & hecticam, viribus insigniter prostratis, agrypniam, imo vomitum cruentum sæpe infert.

Exit his plerumque in Marasmodem, hydropico-hecticum aut paralytico-apoplecticum statum; in vegetioribus adhuc in febrem acutam.

Ad prophylaxin depletio sanguinis, motus corporis consumtorius, illa copiosa ad curationem etiam maxime si hæmorrhoidalibus locis hirudines applicentur tum pulvis antispasmodicus, externe camphora conduxerunt.

Godofredus Kirch in Calendariis suis remedium in se aliisque expertum communicavit scilicet scarificationem pedis & emissionem sanguinis, quantum in aqua calida sine cucurbitularum suctione, sola lignei quasi cultelli pressionem obsequitur, in ipsa hora novilunii.

Certum est, quod scarificatio sub novilunio insignem prophy-

laxin

laxin adferat, uti & V. S., hirudines, tanto magis præſervationis curam formant.

Malum iſchiadicum.

Subjecta habet cum podagra communia plethorica ſcilicet ſanguineo-cholerica.

Inſequitur quoque hæmorrhoidum præcipue externarum molimina aut internorum fluentium ſuppreſſionem, evacuationum ſang. aſſuetarum neglectum, vinorum fortiorum, Hungaricorum &c. immoderatum uſum.

Conſpirat inde maxime cum podagra, arthritide, nephritide ſimplici & calculoſa.

Obſidet coxendices doloris & vehementia & pertinacia ſingulari ſævientibus.

In therapia acria & calida, ſi leniora ſint, nullum præſens ſtabile levamen, ſi efficaciora, certam morbi exacerbationem excipere quotidiana docet experientia.

Exempla curatorum per hæmorrhoidum reditum, hirudinum applicationem, V. S. ex aliorum æque ac ſuis obſervationibus allegat Stahliana Pathologia.

Varix.

Hominibus 40 & ultra annorum (raro infra) eveniunt.

Exiſtit primo dolor tenſivus ardens in femore (Schenckel) cum rubore, cum venarum inflatione, ubi parvæ etiam hinc inde ſe viſui produnt nigræ.

Tandem hinc inde fiunt noduli molles initio parvi oblongi ſine dolore niſi mutata aeris temperie vel aſſumtis cibis calidis, ubi valde dolent, ſed ſine inflammatione.

Nonnunquam quadantenus abeunt, quod ſi fiat lente & non omnino deliteſcant, ægrum non alterat; ſi vero ſimul & ſemel, gravia ſuſcitat ſymptomata.

Circa venarum valvulas contingere videntur.

Ortum & anſam nanciſcuntur a vehementi onerum in altum ſublatione cum magno niſu, ubi quidem maturam per Emplaſtra discuſſionem requirunt.

Vel oriuntur in gravidis, utero vaſa Iliaca gravius premente aut ſi nimium & juſto humilius conſideant, (vocant Kinds-Beine) & futura graviditate redire ſolent, item ſub vehementiore partus labore.

Vel

Vel ab internæ materiæ evacuandæ intentione.

Varices nonnunquam ſub vehementi retentione reſpirationis rumpuntur, vid. A. N. C.

Cap. X.

Hiſtoria 3. Convulſionis.

VAlet diſtinctio inter idiopathicas (ſincerius epilepticas) & ſymptomaticas cum alio quocunque affectu magis minusque evidente conjunctas, quarum hiſtoriam ut carptim, in quantum nota eſt, ſubtexamus, ordinis & inſtituti exigit ratio.

Sunt vero cauſæ antecedentes affectus ejusmodi, quibuscum concurrunt non ſemper ſed aliquando tantum.

1. Inſignis ſanguinis craſſities, cujus exemplum vid. in Stahl. pathol. ſub convulſ.

2. Retroceſſio ulceroſorum ſeroſo-lymphalium humorum circa caput in infantibus.

3. Mucus pectoris tenax in iisdem.

4. Inteſtinorum fœces in Infantibus.

5. Lumbrici, item dentium expulſio minus ſuccedens.

6. Morbi acuti, ubi quæ per ipſa initia invadunt, minoris periculi ſunt, longe majoris vero ſi in ipſo morbi ſtatu, inſuperabiles & funeſti exitus, quæ in declinatione accidunt.

Quas omnes vero animi commotiones, ſi cum qualicunque corporali occaſione concurrant, promte revocant & inſolentiſſime exacerbant.

Partes vero præcipue muſculoſæ velluntur atque raptim trahuntur reciproce, per breviora temporis intervalla tam remittendo quam revertendo.

Invaleſcentes vero non ſolum motu ſed etiam ſitu partes ipſas trahunt.

Accedunt alienatio cogitationis ſeu ſenſuum internorum obnubilatio, ut neque quid fiat, neque quid factum ſit, deſinente impetu, meminerint.

Pollicis in pugnum impreſſio ſub initium paroxyſmi & ſpumæ aut certo muci ſalivalis ex ore effluxus magis ſub finem ejus nonniſi gravioribus convulſionibus junguntur.

Periodus lunæ phasibus respondens non rara est, sed explicatu difficillima. Exempl. vid. in Stahl. pathol.

Supereſt ut de exitu nonnulla adjiciamus in variis morbis.

In Chronicis sane nihil æque periculi post se trahit, nisi impetu excedat.

Interim semper reformidanda est promta harum assuetudo, materia & causa quamvis occasionali sublata.

In acutis, uti jam monuimus pejorem eventum plerumque fortiuntur.

In genere deteriores sunt, quæ adolescenti & adultæ ætati eveniunt fortiores tam extra acutos, quam in talibus; non item, si tenerrimæ adhuc ætati eveniunt.

Minoris etiam sunt periculi, quæ ad epilepticas convulsiones extra acutos proclivibus obveniunt etiam in talibus quam quæ alias ignotæ erumpunt.

Illud item certissimum, quod convulsiones symptomaticæ minime certius & promtius percurentur, quam adfectu ipso tam in genere quam in specie secundum illam circumstantiam, quæ convulsionibus ansam præbuit, in meliorem statum traducto.

Cap. XI.

Historia 4. Epilepsiæ.

IN genere ad convulsiones æque ac ad præsentem proniores sunt, qui iracundiæ præcipiti & acri & pavidis animi angoribus præcipue indulgent.

Præter causas procatarcticas modo allegatas (quibus addenda dentitio difficilius procedens, mensium negotium impeditum, sperma sine exitu commotum, obstructio & inde cardiogmus infantum, das Hertzgespann,) vehementes animi perturbationes, ira, terror gravissimus, hæreditaria transmissio, interdum fascinum, imprecatio.

Externæ violentæ, illationis, incussionis, minimi tamen effectus sunt.

Corripitur itaque patiens repentinis motibus convulsivis vehementibus, ita ut mediocri cohibitione contra opposita nihil agatur.

Contentio est contumacissima corpus rigidum servans, motu omnino forti, nequaquam autem quiete ulla flaccida.

Dum

Dum in terram cadunt, ſtatim ſub initium manibus in pugnum collectis, pollices in hunc fortiter imprimunt, neque fere eripi illinc eosdem ſinunt.

Si magna vi adhibita iis extendantur, univerſus paroxyſmus fere etiam diſtrahitur, (quamvis, ſi per ipſa initia hoc fiat, hic effectus non æque ſubſequatur.)

Afficit convulſivus motus præcipue artus, ſimul etiam pectus & motum ejus reſpiratorium, ut non aliter contendendo fiat, quam alias ſub voluntariis virium laborioſis contentionibus ſolenne eſt.

Illa propemodum diverſitas attenditur, quod admodum junioribus ſæpius caput vehementer exagitet, oculos diſtorqueat, maxillas ad ſtridorem dentium violentum corripiat.

Linguæ exporrectio antrorſum indecens & minori & adultæ evenit ætati, adeo ut maxillarum & linguæ motibus concurrentibus, hæc a dentibus graviter lædatur.

Uti vehementior illa oculorum diſtorſio non adeo infrequenter durabilem poſt hoc ſtrabiſmum poſt ſe relinquat.

Imo Epilepſia caput graviſſime affligens ſæpiusque invadens inauſpicato ſtupefacit paſſim ſenſuum energiam & ipſius rationis promtitudinem.

Pariter ut violenta in teneris annis paralytodes impotentias uni aut alteri membro durabiles deinde aliquando intulit.

Ultimus effectus ſpumæ e glandulis ſalivalibus largior expreſſio & ante os effluxus.

Oculi ſunt aperti, quanquam ſenſus ſint impotes per totum paroxyſmum, quo finito nullius rei recordantur, niſi quod adhuc dolores percipiant.

Ordinarie vero laſſitudinis proportionatus ſenſus remanet non ſecus ac ab alio quocunque laborioſo motuum genere.

Cæterum alii paroxyſmum præſentiunt, alios inopinato ſimul & ſemel ita corripit, ut nonniſi ad ſe reverſi factum eſſe recordentur.

Sicuti alios vehementibus, alios ſegnioribus contentionibus exercet & hos magis in rectum tendentibus, daß ſie wie ein ſtück Holz erſtarren.

Dantur ſimiliter eorum exempla, quibus epilepſia in ſpermatis ejaculationem deſiit.

Tandem infrequentia etiam in hoc malo obvia notetur.

Peculiare eſt, quod Invaſio hujus morbi inſigniores lunæ mutationes imprimis novilunia & plenilunia, tum quadras ejus excipiat.

Vis adſuetudinis vero hic maxime valet, unde & inexpugnabilis fere contumacia pullulat, ut, quos adultos corripuit, illos vix amplius deſerere pro certo habeatur.

Contra quibus junioribus ab infantia aut pueritia obtigit, circa pubertatis tempus, facilius iterum deſueſcit.

Ad prognoſticam conſiderationem quæ faciunt, paulo ante memoravimus.

Cap. XII.

Hiſtoria defectus motuum IN GENERE

& ſpecie
1. virium.
2. paralyſeos.
3. apoplexiæ.
4. ſyncopes.
5. lethargi.
6. deliriorum.
7. memoriæ læſæ.

Defectus motuum *imo virium.*

INter hos *virium proſtratio* ſe nobis offert in variis occaſionibus tam extra ſtatum morboſum, quam in eodem.

Oritur hæc vel e repentinis terroribus, trepida æſtimatione in rebus, ut videntur ambigui eventus & periculi plenis, cujus quidem exemplum ſuggerunt hæmophobi, quorum alii ex prolixiore graviorum vulnerationum mentione ſtatim in largas ſanguinis effuſiones incidunt, plurimi in V. S. inſtruendæ apparatu virium motuumque omnium defectum patiuntur in lipothymia &c.

Vel a conſumtione fatigatoria poſt laberes, dolorum vehementiam, inquietudines, agrypniam, nutritionis debitæ energiam perverſam &c.

Præcipuum vero criterium virium vere fatiſcentium exhibet pulſus parvus ac debilis, concurrente inquieta anxietate & deſperatione de exitu ſalutari cum vero pervigilio *ſine ulla manifeſta cauſa.*

Ubi conſideratione digniſſima eſt diſtinctio inter vires amiſſas & omiſſas;

Nam-

Namque ut illæ non adeo pejoris ſunt ominis & facilius reparantur; ita hæ nonniſi admodum periculoſam corporis conſtitutionem ſequuntur.

Videmus hoc in acutis, contagioſis, peſte, variolis, morbillis &c. ubi ille defectus non toti ſpeciei proprius quaſi eſt & eſſentialis, ſed tantum accidentalis per individua.

Imo non raro per malam tractationem vel etiam gravia animi pathematum accidentia inducitur.

Paralyſis.

Idiopathice ſubjiciuntur huic magis ſeniores & quidem vel poſt evacuationes ſanguinis aſſuefactas ſed temere neglectas & ſpaſticos quosdam affectus, aut congeſtorios, gravativos & tenſivos, poſt aſſuetam ebrioſitatem cum plethora conjunctam, vel a graviſſima ira, terrore, mœrore terroribus interpolato.

Symptomatica ſuccedit Epilepticis diuturnis, magis vero ſcabiei, ulcerum, variolarum malo ſucceſſui, tum etiam dislocationibus, diſtorſionibus per incuriam famulitii in infantili ætate.

In media adoleſcente poſt ſpaſticas dolorificas exagitationes, unde ajunt: der groſſe Schmertz habe das Glied gantz zu ſchanden geriſſen.

In virili quoque poſt Epilepſiam, rheumaticos dolores, exanthemata ulceroſa, ſcorbutica temere cohibita, externas luxationes, contuſiones &c.

Aboletur autem plerumque & ſenſus & motus ſeu in parte exigua, ut ſphinctere ani, veſicæ, muſculo linguæ, laryngis &c, ſeu diffuſiori, pede, brachio.

Habet interim gradus ſui, ut plenaria omnem ſimul tonum auferat adeoque pars inſigniter inflетur ac flacceſcat.

Hanc ordinarie fere repentinus excipit ſphacelus,

Si vero huic ipſo congeſtionis actu potenter occurratur, ſuccedunt pedetentim ariduræ in moderatiore nempe paralyſi.

Obſervavit D. Stahlius, omnes, quotquot linguæ paralyſi correptos ipſi videre contigit, ſucceſſivam memoriæ debilitationem & puerilem quaſi inſipientiam incucurriſſe; porro juniores tales, diu ſuperſtites, annoſiores vero recrudeſcente forte paralyſi aut paraplexia potius fato ſuo defunctos fuiſſe.

Conjuncta hæc eſt cum inſigni aliqua cerebri vel cerebelli labefactatione, unde ortum ducit labes memoriæ & phantaſiæ, ſtupor &c. ex coll.

Idem mirificam veræ paralyſeos annotat infrequentiam.

Quoad prognoſin intractabilis curatu eſt, maxime inveterato malo & in annoſis; neque ſponte unquam ſolvitur;

Niſi quod exquiſitos activæ intentionis motus in ira & in ſummis periculis incendii &c. hic ſaluti fuiſſe exempla, quanquam rariſſima, doceant.

Spuria Paralyſis dicitur, ſi alterutrum tantum vel ſenſum vel motum violet, altero ſuperſtite, quin ſenſu exacerbato.

Hemiplexiam nuncupant, ſi alterum totum latus dimidium corporis ejusmodi infauſta motus ſenſusque deſtitutio occupet.

Quo magis hæc exquiſite cohibuit omnem motum, eo breviori tempore funeſta eſt, imprimis ob reſpirationis graviſſimam læſionem thoracis illo latere immobili reddito, coorientem.

Latus abolito tono, viſitur livore ecchymomatico ſuffundi.

Differt hæc quidem vitæ periculum ad aliquot menſes imo unum vel alterum annum.

Fit tamen, ſi totum latus & ita capitis etiam medietatem affecit, crebrior hujus tranſitus in plenariam Apoplexiam, quam nudam paralyſin.

Loquelam vel totam vel ſolummodo diſtinctam amittunt.

Convulſivos quoque motus ſani lateris, Cynicum ſpaſmum, torturam faciei ſupervenire non infrequens eſt.

Obtingit nonnullis Hemiplecticis alterius lateris correpti ſphacelus, antequam plane emoriantur.

Apoplexia ſanguinea & ſeroſa.

Subjacet ætas ſenilis, non puerilis aut adoleſcens. Sanguineæ quidem viri a 45-50 annos magis quam ulli juniores, ſeroſæ vero provectiores, lautæ diætæ &c. vegetiores adhuc & plethorici.

Cooritur repente ſine evidentibus cauſis vel ſequitur tales antecedentes ſcilicet exonerationum ſanguinis ſpontanearum hæmorrhoidalium aut artificialium ſuppreſſionem, fonticulorum, ulcerum manantium, ſudorum pedis ſpontaneorum, coryzæ, tuſſis humidæ adſuetæ ceſſationes.

Item

Item poſt ſanguinis exagitationem, ſubitas refrigerationes, imprimis capitis congeſtionum catarrhalium ad interiora capitis ex his cauſis coacervationem, vehementes cerebri concuſſiones, ſtrangulatorias jugularium vaſorum cohibitiones, immanem inebriationem, iram, terrorem panicum &c.

Præcurrunt familiariter vertigo, ſonitus & ſuſurri aurium repentini, nec minus oculorum ſplendores tranſitorii & contra ſubitæ obfuſcationes, viſus ſenſationes.

Diverſa eſt gradu, dum alia præcipiti omnium motuum vitalium ſenſuumque amiſſionem adeoque mortem inferat:

Lenior vero ſenſum & motum quidem præcipue hunc tollat, relicto tamen pulſu cordis & arteriarum.

Interdum etiam mediocris movendi potentia remanet, quæ tamen ipſa mature evaneſcit.

Duplex illa circumſtantia in hac uſitatiſſima eſt.

1.) Inflatio vaſorum circa tempora & rubor aliquis genarum.

2.) Stertor e pectore ſeu ſibilus tanquam ab infarctu aliquo in bronchiis liberæ reſpirationi reſiſtente.

Totum corpus non friget ſed tepidum manet.

Oculi communiter aperti ſunt & clari ſub hac tamen differentia in leviore malo. 1. ſehen ſie ganz gläſern. 2. pupilla magis eſt dilatata. 3. der Wiederſchein vom Licht und Fenſtern iſt ganz alterirt, es iſt keine rechte Spieglung mehr objectorum verſus oculum.

Si contra nebula infecti appareant, peſſimum ſignum & lethale eſt.

Pejor eſt ſanguinea quam ſeroſa.

Rarus eſt hic affectus, paralyſi tamen frequentior.

Si levior ſit & vel in paralyſin deſinat, vel remittere appareat, ſerius ocyus majori energia reverti ſolet.

Et qui ſemel hac tacti ſunt, rariſſime alio morbo intereunt, quam hujus repetito vehementiori inſultu.

Multi pro apoplecticis efferuntur, qui thoracis potius ſpaſmo interiere; ubi quidem rubor genarum, apoplecticis ſenioribus cum phthiſicis peſſime habentibus communis, conſiderationem meretur.

Seroſa deſinit in ſenibus pituitoſis, languidis, morientibus in excretionem ſpumæ ante os

De-

Desinit communiter cum motibus convulsivis, imprimis circa caput, imo vix alibi ex coll. St.

Sanguineorum apoplecticorum mortem certius insequitur copiosi eruptio sanguinis e naribus & infundibulo, item protuberantia oculorum, inflatio faciei & maxime vasorum jugularium.

(Notatu non indignum est, quod fæminæ, licet torporem, marcorem, corporis rugositatem, dentium lapsum, incessus labefactionem citius viris incurrant, tamen diutius vividam energiam vitalem conservent, nec adeo sæpe ac viri apoplexia, sed ad summum catarrho suffocativo &c. decedant.)

Differentiam hujus a suffocativis motibus, asthmate convulsivo &c. constituit horum indoles aliis ætatibus etiam communis, non tam facile quam apoplexia paralytodes eventus post se relictura, denique etiam ope medica curatu facilior.

Quoad curam Langius ex multa experientia sal vitrioli laudat, ubi tamen semper magis cardialgico-suffocativum quam simpliciter apoplecticum statum fuisse suspicio est.

Alii adhibuerunt V. S. ex jugularibus item scarificationem narium ægyptiacam.

Syncope & Lipothymia.

Gradu distinguuntur, diversa tamen apud diversos acceptione, magis tamen recepta, ut hæc leniorem, illa fortiorem gradum denotet.

Accidunt magis melancholicis, phlegmatico-melancholicis in morbis chronicis & acutis &c. item aliis a laboribus insolitis a sanguinis repentinis & largioribus profusionibus, doloribus, metu.

Alias etiam & imprimis in viribus ab aliqua hæmorrhagia emissis, solenne est per somnum lipothymias, syncopen, imo mortem obrepere. Quo respectu etiam puerperis magis exhaustis non facile sine sollicita observatione illarum sub somno, ille libere & largiter concedi solet. ex coll. Stahl.

In utraque est repentina virium non animalium solum sed & vitalium disparitio, ut sensus & motus imo pulsus etiam officium suum amisisse videantur;

In priore cum plenaria ἀσφυξία seu pulsus cessatione & respirationis omissione;

In

In posteriore vero cum debilissima pulsatione, imo tremore solum cordis cum respiratione vix sensibili.

Communissime pallent & frigent ad minimum in extremitatibus: oculos habent clausos aut ad minimum torpidos; totum corpus minime riget, sed torpescit & flaccescit; multo minus manuum aut pollicum ulla est impressio.

Os clausum, sed non constrictum est, vix unquam, nisi in adsuetis indecore hiat.

Syncope his omnibus ita eminenter est conspicua, ut ab illa nulla alia re differat, quam sub diuturniore duratione omnis rigor emaneat.

Quod si vero hæc ad mortem vergat, hominem sub paroxysmo flaccidum reddit; morte vero perpessa rigidum, præcipue sub ultimo convulsionis molimine.

Qua circumstantia etiam spasmi syncopen æmulantur a morte diversi, dum hi rigidis tensionibus incipiunt, mors vero a flacciditate in rigorem corpus devolvit.

Lipothymia igitur discernitur ab Apoplexia, quod in illa 1. oculi non sint aperti, 2. facies aut genæ non rubeant. 3. pulsus non omnino cesset, quamvis satis sit debilis. Quorum omnium contrarium fit in apoplexia.

Lethargus.

In hoc patiens non solum summe propendet, sed etiam præcipiti nonnunquam lapsu ruit in profundum somnum.

Pulsu, calore, colore, respiratione non multum a statu secundum naturam diversis;

Cum somni vero tanto successive augmento, ut non solum ægrius & citari possit æger, verum etiam, licet excitetur, sui & quarumcunque rerum immemor sit, & ita magis semper in soporem recidat, & quarto vel sane vix ultra septimum diem mors sequitur: nisi insperata aliqua eruptio purulenta ex infundibulo vel naribus vel auribus succedat & ipsa ætas adhuc sit vegetior.

Prognosis itaque est, nisi hæc fiant & ubi nihil ad se redeunt, vel plane non amplius excitationi parent, lethalis ordinarie eventus.

Conjunctum est lethargo aliquid motus febrilis levioris non tamen in se acuti vel exquisiti.

Differt interim a comatibus, quod 1. illa præcipue febrem comitentur. 2. non conjuncta ſit illis oblivio, ſed levius delirium.

Subjecta Phlegmatica huic ſubjacent; unde ad 40 an. ætatis ſomnolenti pinguiores lethargo & apoplexiæ feroſæ expoſiti ſunt & ſuccumbunt.

Delirium & Mania.

Deliriorum duo genera ſtatuemus:

I. *Pathetica*, quæ directe magis & ſimpliciter mentem afficiunt.

Occaſionem hæc nanciſcuntur 1. vel a nimia memoriæ atque phantaſiæ concitatione & plus quam ferre poſſint, exagitatione.

Imprimis ſi hæc etiam ad neglectum neceſſarii ſomni extendatur, vel ita vivida atque importuna inde fit, ut etiam ſub ſomno, inſomniis vividis omnem quietem peſſundet.

Unde multa ſuppetunt exempla deliriorum ab intenta diſcendi, ſpeculandi imo effingendi aſſiduitate naſcentium.

2. vel ab animi pathematibus cum Phantaſiæ fortibus impreſſionibus.

Unde alibi anxius terror ab impreſſione ſpectri, alibi perſonalis Erotomania cum perpetuis memoriæ præfigurationibus, alibi ambitioſa ſuperbia a mentis ſanitate abalienarunt.

Mirum quantum contribuit quoque iracunda diſpoſitio ad fovenda, maxime autem determinanda deliria, ut, undecunque orta ſint, furioſa, temeraria, violenta fiant.

II. *Sympathetica* ad tres claſſes reducenda:

α) *Libidinoſa* generaliore ſenſu (non æque perſonalis Erotomania) in feminis *furoris uterini* nomine notari ſolet.

Oritur a ſpermatis commotione ſine exitu ſub libidinoſis ſpeculationibus & deſideriis.

Obvia ſunt hujus ſpecimina non rara in Monachorum & monialium clauſtris.

β.) *Melancholica.*

In hac ſe ſpecialiſſime nobis ſiſtit *Melancholia hypochondriaca* cum ingente ſemper ſanguinis ſpiſſitudine ad actualem obſtipationem pronam, conjuncta.

In hac, niſi quidem perpetuo aberrent, ad minimum patientes

non

non liberi ſunt a frequentibus & levibus ſolum perturbationibus anxiis, tædioſis, triſtibus, plorabundis.

Sicut etiam ſuſpirioſi ſunt cum anguſtiis & de breviore vitæ ambitu ſpeculantur.

Quæ omnia circiter ſi intercurrant, implicationes præſentiſſime augent.

γ.) Febriles.

Ubi notandum, quod hæc febribus ſuperveniant jam vere periculoſis.

Obverſatur hic ſæpe animo depulſio moleſtorum, ſcilicet hoſtium, ſpectrorum item actualis evaſio e ſummo æſtu, anguſtiis, injuſtis detentionibus.

Quemadmodum etiam morti propinqui ſuam domum ex hac aliena, uti putant, ad ſua hinc abire ſolenniter contendunt.

In chronicis deliriis.

Obſervavit Valleriola plus ſimplice vice, vix quemquam abſolute rationi contraria agitare & perpetuo mente revolvere, ſed quod in una prima hypotheſi falſum aliquid quaſi ſupponant, cui plures deinde alias conſecutiones magisque adjiciant.

Exacerbantur hæc aut cito a ſanguinis expanſione ſcilicet poſt ingurgitationem ſpirituoſorum potuum, ſolis æſtu in diebus caniculari-bus, unde Germ. die ſchweren Monathe, welche dergleichen Zufälle dergeſtalt rege zu machen pflegen.

Specialiſſimæ indolis eſt *Rabies canina*, & quæ unice huic comes obſervatur, vera *Hydrophobia*.

Hæc nono demum die poſt morſum impetum rabiei exhibet, tranquillo interim quantumcunque & vix penſitabundo vel timido animo.

Ubi prævaluit, vix ulla ſpes evadendi remanet, imprimis in hydrophobia omnem medicamentorum ingeſtionem reſpuente.

Sicca reſpuunt & mordendo avertunt (ſie beiſſen um ſich) ad liquidas formulas facillime ſubeunt convulſiones.

Neque minus abſtruſum & admiratu dignum eſt quod præſentiſſimum remedium ſit aliquid (imprimis cor, hepar, cerebrum) e tali vel ſimili rabioſo cane deſumtum. Ex coll. St.

Mania inter hæc eſt fortiſſimum, ſui & omnium notiorum penitus oblitum, audax, truculentum, cædes & graviſſima quæque minitans.

Tales Maniaci non ſolum omnes aeris injurias ſpernunt, ſed & nudi fere, dilaceratis veſtibus aſperrima hyeme ſine ullo frigoris ſenſu incedunt & tamen corporis eximium calorem conſervant.

Concurrit (uti omnibus communiter deliriis) pervigilium, ſi vero dormiunt & evigilantes antiquum obtineant, tanto pertinacius habendum eſt malum.

Memoriæ Deſipientia.

Quandoque tanta eſt, ut ipſum ſuum nomen obliviſcantur, unde taciturni ſunt & rerum velut omnium incurii; Inter ſermones etiam circa ipſos de ipſis inſtitutos nihil horum attendentes.

(Leviſſima internorum ſenſuum vulgo habetur memoria. Sicut autem certo reſpectu cogitationis materiam ſuppeditare debet, ita ab ipſius læſionibus varia in poſterum phantaſiæ & judicii vitia pendent & ſequuntur. Olivionem etiam invaleſcentem ſtupor animi ſequitur, quem ſomnolentia vel phantaſiæ deliræ comitari ſolent. In vitali negotio neglectus ſuccedunt, cum plena tandem univerſæ œconomiæ labefactatione.)

Ubi contra Melancholici timidi, ſuſpicioſi, & quæ circa ipſos agitentur, curioſe attenti eſſe ſolent; vel uni rei ita cogitatione inhærentes, ut ad loquendum vel reſpondendum ſuſcitati, de illa re vel ad minimum de circumſtantiis ad illam rem collineantibus omnis ſit ipſorum ſermo.

(Debilitatio memoriæ per abuſum ejusdem differt a reliqua obliviositate aut ſimplici debilitate, quæ non tam nudum defectum, quam confuſionem memoriæ conſtituat, adeoque deliriis propior ſit.

Inſignis memoriæ læſio ab externis læſionibus, contuſionibus, concuſſionibus graviſſimis, doloribus, deliriis, apoplecticis rudimentis, tanto difficilioris ſunt prognoſeos.)

Invaleſcit hoc malum eouſque, ut etiam excrementorum reddendorum veluti obliti, illa temere dimittant, non ex impotentia retinendi, ſed ex oblivione ſecedendi.

Si conjunctum ſit paralytodes quiddam circa caput, linguam &c.

irre-

irreparabile communiter eſt malum, tanto magis, ſi ortum traxerit a vita diſſoluta, ebrioſa.

Rarius concurrit tantus ſtupor, ut magis quam brutorum inſtar, exquiſitiſſima memoriæ & phantaſiæ abolitione, non aliter ac ſtipites & caudices trudi & duci oporteat, id quod perfecta eſt *ſtupiditas*.

PARS II. SPECIALIS.

MOTUUM HÆMORRHAGICORUM ET MORBORUM CONSEQUENTIUM HISTORIA.

Cap. I.

Hiſtoria Congeſtionum ad Caput.

ART. I. Cephalalgiæ.
II. Cephalææ.
III. Doloris gravedinoſi.
IV. Ophthalmiæ.
V. Odontalgiæ.
VI. Hydrocephali.

α.) Cephalalgia ſanguinea.

EXperiuntur hanc floridi ſani plethorici animo & corpore vigentes, pueri a narium hæmorrhagia emanente, viri ab evacuationibus ſanguineis aſſuetis ſuppreſſis & neglectis; fæminæ a menſium turbis.

Annoſiores quoque ceſſantibus ſolitis hæmorrhoidalibus eruptionibus non ſolum vertigine, ſtupore & inertia in- & externorum ſenſuum, ſed imprimis etiam ſenſibilibus hujusmodi doloribus exercentur.

Concurrunt ut cauſæ remotæ inſignes animi & corporis motus, aſſumta ſpirituoſa, tempeſtas calida, turbida, ventoſa & pluvia, imo odor penetrantiorum.

Exerit ſe vel circa totum caput vel communiſſime in ſyncipite, in fronte, per tempora, ſurſum ad bregmata, imo familiariſſime ad radicem naſi, ut patientes juxta intimam narium ardorem & in oſſe ethmoideo eximiam preſſionem accuſent;

Simul vero in intimis oculorum bulbis & prementem graviter & compungentem dolorem.

Jungitur ordinarie calor, tactui manifeſtus circa frontem atque tempora & rubor faciei (niſi quod ſpaſticus dolor intercurrat, quo caſu pallor aut magis diſtributus rubor locum habet.)

In ſpongioſioribus adeſt faciei turgeſcentia & inflatio aut certe vaſorum temporum & jugularium.

Quin etiam oculi, ſi non exquiſite rubent, vaſcula tamen inflata gerunt & liberiore lumine offenduntur.

Decedunt iterum hi dolores vel 1. ſucceſſiva remiſſione, ſat mature in junioribus, tardius in ſenioribus & præcipue feminis, tardiſſime in jam aſſuetis ſuccedente.

Vel 2. ſanguinis eruptione ſincera, qua præcipue juniores ſublevantur, dolore ſæpe in momento evaneſcente.

Aliis etiam obtingit eruptio gravedinoſa e naribus vel lippitudo ex oculis: in graviſſimis & vere inflammatoriis cauſis tandem eruptio puris e naribus vel auribus; ſed hæc hujus loci non ſunt.

Quibusdam vero per ejusmodi evacuationes non ſedatur, ſed certum inſolendi & durandi tempus velut periodicum ſervat.

In Therapia conſulendum eſt per peritam mitigationem, diverſionem, ſubtractionem & præcipue revocationem ad propria ſua loca & exitus.

(Externe pediluvia potenter avocant.)

Præſervative diæta circa cibum, potum & motum, tum excretiones decentes bene inſtituenda.

β.) Cephalæa.

Eſt dolor capitis ejusdem cum præcedente indolis continuus vero & pertinacior, in plenam conſuetudinem per cauſarum frequentiam deductus.

Su-

Sumit initia a coacervatione ſanguinis & reſtagnatione circa totum caput cum vel ſine inflatione & rubore faciei inſolitis;

Cum dolore exquiſito, enormi, tenſivo, pungente, vibratili contuſorio cephalalgiam gradu ſuperante, qui a levi motu capitis & corporis evadit pulſatilis, pulſum arteriarum æmulans.

Comitante apud alios quidem ardore inſigni, apud alios vero frigore etiam excellente, & hoc quidem in ipſo magis vertice per ambitum bregmatum;

Quam conſtitutionem appellant Eryſipelaceam, aut ſi rubor deſit, ſi vel maxime frigus abſit, Eryſipelas album, die weiſſe Roſe & tantæ quidem eſt pertinaciæ, ut, niſi illi dexterrime conſulatur, non ſolum diu duret, ſed etiam ne quidem unquam plane ceſſet.

Fæminis hoc magis eſt familiare, in viris eveniens plerumque venerei coaguli quid habet in receſſu.

Quod ſi vero dolor hic capitis citra evidentes ſanguinis concurſus eveniat, Rheumaticæ eſt indolis.

Qui quidem uti & ceteri affectus Rheumatici magnum habent conſenſum cum V. P. & hypochondriorum turbis.

Turbatis enim & regurgitantibus hæmorrhoidibus in- & externis ſimul cum aliis paſſionibus vel complicatur vel illis miteſcentibus ſuccedit magisque invaleſcit.

(Niſi quidem prorſus in unum locum infixus pendeat a conſtitutione ulceroſa vel jam ulcerata, eaque vel ſimpliciore ab initiis ſcabioſo-impetiginoſis aut circa parotides ulceroſis, per externas violentas contuſiones, vulnerationes, ulcerationes male tractatas; vel a venereis ulcerationibus ſubcutaneis aut pſoricis leproſis.)

Si cauſa ſeroſa ſubſit & per ſeroſas excretiones exitum crebrum & facile adipiſcatur, promte repullulat impoſterum.

Calvariæ vero cariei damna ſunt graviſſima, pertinaciſſima.

In demortuorum hoc affectu cadaveribus ſub pericranio magna reperitur lymphæ lentæ acris ſtagnatio, ſæpe & oſſe cranii arroſo exiſtente.

Diſtinguitur Cephalææ dolor a reliquis, quod non ſit adeo calidus, ſed magis falſo ardore rodens, non tam tendens quam pandens, quaſi ſenſu premens, non tam lancinans quam acriter morſicans, terebrans.

Pulſatilis etiam non tam lancinantem, quam craſſæ & latæ per-

cus-

cussionis gravis sensum imprimit, als wenn ihm ein Hammer auf dem Haupt schlüge.

Præcipue vero quod continuus sit, nec unquam vere in solidum desinat, sed circa verticem & occiput quasi defixus ad tempora etiam porrectus, modo cum temporibus synciput & intimius oculorum bulbos acerrime compungat & quidem constanter nocturno tempore eximie exacerbetur, idque eo magis, quo magis corpus per quietem incalescit, præsertim in plumaceo lecto, unde vulgo: dieſe Schmertzen leiden die Federn nicht.

Cephalæa eaque graviſſima in maxime repletis apoplexiam futuram præsagit. Foreſt. ex Arnold. v. Novillanovam.

In Therapia dolorum capitis optimum effectum præstiterunt, si opus sit V. S. in pede circa æquinoctia repetenda, pediluvia, temperantia nitrosa, alvum laxantia.

Externe Camph.

Vitanda calida volatilia.

γ.) Dolor capitis vehemens vere convulsivo-spasticus.

Qui quidem rarus est nec tamen absolute rariſſimus nec occupat totum caput, sed sæpius hemicranicus.

Huic adsunt sæpe nausea, conatus vomendi, motio mentis, summa inquietudo, oculi extra orbitam quasi expelluntur, imo sæpe plenaria est ἀμαύρωσις a dilatione pupillarum eminente; hinc vulgo: es reiſſe ihnen die Augen aus dem Kopff, es reiſſe ihnen den Kopff gantz zu ſchanden.

Comitantur nonnunquam convulsiones epilepticæ.

δ.) Dolores capitis catarrhales seu gravedinosi.

Conjunguntur gravedini, dem Stock-Schnupffen, impeditiorem fluxus successum stipanti;

Quæ cunctatur quasi & progressu destituta urget & incumbit circa infimam frontem, circa os Ethmoides ubi tensio quædam sensibilis imo pressionis sensus percipitur.

Quod simul oculis molestiam faceſſit, ut hi velut pondere pressi torpeant & quasi defatigati conniveant, sæpe etiam madeant, imo ad tempora se diffundit; es drücket die Stirne nicht anderſt als wenn ein Stein

Stein da läge: können kaum die Augen dafür aufthun, es drücket in den Augen wie Sand.

Augescit hic dolor eousque, ut non solum fremebundum sensum, sed etiam compungentem in fronte & per tempora sentiant, imo motum vibrativum a nudis compunctionibus diversum: Es summet, tönet ihnen im Kopffe, reisset darinnen, fähret ihnen durch die Schläfe ꝛc.

Cum inertia peculiari sensuum internorum ad cogitationes, fastidio potius & somnolento quodam stupore.

Occupat sæpe summitatem capitis extendendo se quoque ad occiput & imprimis processus mastoideos, comitante sæpe vertigine.

Si nimis invalescat, gravioribus malis cum tempore ansam præbet, præcipue concurrentibus vertiginosis pathematibus; & non raro alterationes per universum corporis habitum cooriri solent, nempe modo horripilationes, modo æstus vagi & quidem tanto magis frigidiori humida anni tempestate.

Si diutius perstet, infert etiam familiariter auditus quædam incommoda scilicet modo dolorem obtusum, modo auditus hebetudinem, sæpe molestum tinnitum, si non perpetuum, vagum tamen & sæpe recurrentem, hæcque tanto certius, ingruente simul & semel gravedine.

Quid! quod, licet rarissime, veram otalgiam parturiat, cum aut sine dura parotidum inflatione.

Obtundit simul etiam gustum & olfactum, uti ipsa fluens coryza solet, & patitur interdum satis notabiliter ipsa concoctio, ut partim nauseam partim flatulentiam post sese trahat, qualia symptomata, nisi recte dignoscantur, sæpe ægrum & medicum anxium reddunt.

In leviori malo solvitur dolor, erumpente fluxu narium catarrhali.

Sic etiam in congestione non simpliciter seroſa dolores non solum acutiores, ardentiores cum singulari tensionis atque gravitatis prementis sensu imo frementis & semistupida somnolentia sentiuntur, sed etiam cum valde familiari, pro qualitate acrimoniæ illius rhevmaticæ, febris acrioris concursu.

In junioribus non tantum habent periculi, nec inepte inde apoplexiæ, uti a quibusdam factum, præsagiendæ sunt.

3.) Ophthalmia.

Interdum ex congeſtionibus & infarctu ſanguineo cooritur inflammatorius ardor, ubi oculi apparent rubore perfuſi & vaſcula ſanguifera, quæ per illos excurrunt ſanguine turgida.

Multis, non tamen omnibus, evenit una dolor lancinatorius, velut in intimiori oculi bulbo.

Aliis adeſt graviſſima paſſio in oculis præcipue alteratio etiam ſine inſigni rubore fere tamen cum aliquo tumore & protuberantia oculi: cum dolore vero quaſi in meditullio immani, cui fere totius capitis in illo latere dolor jungitur.

Concurrit communiter cum hoc dolore ploratus ſeu fluxus copioſus ex illo oculo, imo ſubinde etiam ex ejusdem lateris nare.

Febrilis item per univerſum corpus motitatio aliqua complicatur plerumque, ut vagis modo horripilationibus, imo extremorum artuum quaſi perpetuo frigore afficiantur, intercurſantibus exæſtuationibus volaticis.

Quo magis aſſuefit, ſæpiusque recrudeſcit, eo pertinacior obſervatur.

4.) Otalgia.

Præceſſerunt communiter cephalalgiæ cum nonnullis circumſtantiis ſupra dictis.

Innititur communiſſime inflammatoriæ ſtaſi (quæ tamen nonnunquam tempeſtivam diſcuſſionem admittit) evenitque ſubjectis ad catarrhos & Rhevmata peculiariter aptis.

Dolor intus in aure lancinationes fere intolerabiles efficit.

Qui tamen externe percipitur, ſi tumor parotidum concurrat.

Quoad prognoſin, ſi plus ſemel ſemitam hanc inſtituit, ea non raro repetit & habitum aſſumit.

5.) Odontalgia.

Diſtinctio inter Idiopathicam & ſymptomaticam bene attendenda eſt.

Illa frequenter oritur a moliminibus dentitionis, præſertim dentium geminorum vel aliorum dentium majorum molarium, occaſionem tanto majorem nacta ex concurrente in tali ſubjecto plethora & congeſtione ſanguinis.

Den-

Dentem immediate & ſolum occupat, ſymptomatica contra complicatur cum hemicranico totius illius lateris capitis ſeu ſtatario ſeu vago dolore.

Cap. II.

Hiſtoria Congeſtionum ad Pectus.

ART. I. Tuſſis ſicca & humida.
II. Aſthma h.&ſic.& convulſ.
III. Scirrhi pulm.
IV. Vomica pulm.
V. Phthiſis.
VI. Peripnevmonia.
VII. Angina.
VIII. Catarrhi ſuffocativi.
IX. Hydrops pectoralis.

α.) Tuſſis pectoralis.

Sicca exercet magis juvenes floridæ & plethoricæ conſtitutionis ſiccioris plerumque & ſtrictæ texturæ, poſt hos virilem & ſenilem e prægreſſa aſſuefacta diſpoſitione.

Hanc interna cauſa ſcilicet infarctus ſanguinis in veſiculis pulmonum ad excretionem tendentis proprie magis producit ſine concurrentibus externis.

Sequitur etiam ſcirrhoſos nodos in pulmonibus, ſecundum obſervationes Stahlii maxime in ejusmodi tuſſiculoſis poſt mortem inventos.

Diuturna eſt & quaſi perpetua, aut revertitur ad minimum ob exiguas quaslibet occaſiones, diætæ acris, tempeſtatum &c.

Facit aut fovet φθίσεως ſuſpicionem, neque humida eſt unquam, niſi inſignis incaleſcentia febrilis concurrat, aut purulentæ & ſanioſæ materiæ proventus vel per accidens ex tempeſtatis conſtitutione catarrhalis ad pectus confluxus oriatur.

Si hæc patientem adeo vehementer divexet, ut ſæpe vix ad ſe redire vel ſpiritum recipere valeat, *ferina* vocatur.

Signa diagnoſtica a tuſſi hypochondriaca ſunt, quod hæc ſicca magis & effera exiſtat, vocem ſat illibatam relinquat, aut ſolum cum ſicca quadam raucedine, poſt paſtum, motum adſcenſorium increbeſcat, aerem profunde in pectus adduci ſine ſenſu permittat & denique concuſſiones hypochondriorum ſenſibiliter magis excitet.

In cura ſiccæ tuſſis V. S. profuit maxime & ſtagnationis discuſſio.

β.) Tuſſis catarrhalis.

Huic ſicuti magis ſubjecti ſunt humidiores phlegmatici, ætas puerilis & ſenilis præ mediocri; ita hic plus juris habent cauſæ externæ, aer frigido-humidus, colli & pectoris refrigeratio præcipue poſt motum calidum, halitus coagulantes, interne enormis ſeroſorum humorum ſpiſſitudo & tenacitas.

Exerunt patientes lentam & nauſeoſam mucoſitatem ſub tuſſi, quam circa infundibulum vel faucium anguſtias hærere ſentiunt.

Si vero cum copioſo lento ſputo poſt paſtum ſeſe exerat, & ita vomituritionem provocet, certius ex œſophago & ventriculo aſſurgere & non niſi per conſenſum tuſim excitare diluceſcit.

Raucedinem non perpetuo conjunctam habet hæc tuſſis, præſertim humidior, ſed aliquam tamen notabilem ſoni vocis flacciditatem quaſi & extenuandæ præſertim vocis impotentiam; ſiccior vero hujusmodi tuſis, ut communiter violentior & magis irritativa eſt, ita habet etiam aſperitatem & raucedinem vocis certiorem comitem.

Solet etiam hæc non æque diu durare, ſed 2da in tertiam ſeptimanam miteſcere pro ſubjectorum tamen diverſitate varians.

Diſcernenda hæc venit a præcedente ſuſpecta & magis periculoſa; phthiſicos enim catarrhis gravedinoſis ſimul obnoxios eſſe, raro accidit.

Tuſis etiam quædam conſuetudo obſervatur, ut ſtatis temporum mutationibus repullulet certius, vel ſi hoc non fiat, nec alia evacuatio tali tempore vel ſponte eveniat, vel arte ſubſtituatur, pejus inde habeant præcipue annoſiores etiam catarrhi ſuffocativi, παραλυτόδεων affectuum vel appetitus & digeſtionis læſionum ſucceſſui inde expoſiti.

Cæterum *tuſſis habitualis* quando evadit, inſigniter humida eſt, neque

neque materia decolor purulenta aut sanioſa, multo minus sanguinea aut sincerus sanguis ejicitur, per pluſculos vero dies prodiens interdum pulpoſa fit & quaſi virideſcens, innoxia tamen.

Concurrit nihil tabidi aut hectici, & ab opiatorum uſu, ſi non melius, certe non pejus, habet æger: cum phthiſicis illud nunquam non ſummopere noceat.

Datis mediocriter purgantibus, nulla valde ſenſibilis virium fatigatio, nec caloris præternaturalis emicatio, ſed potius levamen notabile percipitur.

γ.) Aſthma humidum & ſiccum.

Utrumque minus familiare eſt admodum juniori ætati, niſi a læſione magis violenta, ſcabie vel ſimili circa caput impetiginoſo inquinamento retropulſo aut variolis, quanquam hoc plerumque in Phthiſin exeat.

Siccum tamen magis obtingit juniori aut primæ virili ætati ſtrictioris potius quam poroſi habitus, humidum magis ſenili.

Illud frequenter fomenta habet hæmoptyica phthiſica aut ad minimum congeſtiones ſanguinis, non raro a ſcirrhoſa pulmonum conſtitutione; in feminis ſæpe a menſium vitiis.

Adeſt huic reſpiratio difficilis cum acuto ſibilo & ſono; non autem brevis eſt reſpiratio; ſiquidem hauſtum aerem communiter diutius retinent.

Non adeo jugiter Tuſſis conjuncta eſt; ſed fere magis ſtatum eſt matutinum & veſpertinum & alterationibus frigidi aeris accedens vel acrium vaporum hauſtui hoc aſthma longe citius irritantium quam humidum.

Durat ad multos ſæpe annos imprimis ſi humiditas, quantum poſſibile, arceatur, neque phthiſica corruptio undecunque prævaleſcat.

Cum facile exacerbetur, in Therapia cavendum, ne per expectorantia humores copioſius adducantur, unde ſcirrhorum ulceroſa corruptio, adeoque phthiſis & hectica expectanda.

Humidi ſubjecta ſenilia ſcilicet aut phlegmatica ſucculentiora juniora, cum jam memoravimus, reliquas hiſtoriæ circumſtantias percurremus.

Adeſt videlicet vehementior ſibilus, fremitus & quaſi ſpumidæ ebulli-

bullitionis ſonus ſub reſpiratione, laborioſiore, breviore & coarctationis & quaſi reniſus cujusdam ſenſu in pulmonibus.

Jungitur ordinarie notabilis raucedo ſeu ad minimum aſperitas vocis cum jugiter moleſta tuſſi ſubinde aliquid tenacis materiæ ſeu muci excutientis;

Quanquam hoc communiter ſine notabili levatione anguſtiæ, niſi aſthma plane temporarium ſit & ipſius tuſſis ſymptoma.

Diuturnum plerumque eſt ſine inſigni remiſſione, ægrumque per multos ſæpe annos contumaciter comitatur; & hoc tanto magis in annoſioribus, ubi irreparabilem aliquando pertinaciam induit.

δ.) Aſthma convulſivum ſeu ſpaſticum.

Eſt vel magis ſiccum vel humidius & vel idiopathicum vel antedictorum aſthmatum, præprimis tamen ſicci ſymptoma.

Familiarius eſt quidem junioribus, evenit tamen & annoſioribus præcipue illis, qui aſſuetas ſanguinis emiſſiones neglexere.

Infert poſitivam potius compreſſoriam cohibitionem ac veluti reniſum quendam, quam ſolam impotentiam & virium ad reſpirandum defectum, qualis in catarrho ſuffocativo accidit.

Ingruit quaſi derepente idque vel uno impetu vel brevi inſigni incremento, ſiccæ magis quam humidæ indolis.

Raro perſiſtit diu & jugiter & vix ultra tertium diem, frequentius paroxyſmos quaſi format, quieto prorſus, quod vacuum relinquit, corpore.

Eſt affectus ſumme ſuſpectus neque fere vivaces relinquit ægros, præcipue ſi frequentius aut importunius recurſet aut prorſus pluribus diebus juſtos quaſi paroxyſmos formet, ubi quidem multo pejus eſt præſagium, quia communiter febris complicatur, cui quocunque modo aliquid convulſivi jungi peſſimum eſt.

ε.) Scirrhoſi pulmonum nodi.

His vexantur ſubjecta ſicciora calidis potibus, vino, Spiritus Vini addicta vel medicamentis calidis abutentia, ſplethorica, motus corporis nimios molientia, quæ interdum ſicca tuſſi & reſpirandi difficultate per annos increbeſcente & ſicco quodam aſthmate per multos annos laborant.

Quæ tandem commota vel ſponte vel arte copioſa congeſtione ſputi ad pulmones, purulenta rejiciunt, imo ſi cohibita inutili illa expecto-

pectoratione ficcitati restituantur, egerunt nonnunquam cum tussi tophacea frustula.

Inventi sunt in cadaveribus eorum præcipue qui alio affectu decesserunt, sine ullo horum indicio aut suspicione.

Stahlius fatetur, sibi non occurrisse nisi in juvenum pulmonibus usque ad 25 annos sortitorum.

Sunt plus minus duri, albi atque pallidi, dissecti pallido-lividam faciem interiorem & in sui medio mucum tenacem offerentes, imo sæpe ex hoc & pulverulentis per respirationem haustis corpusculis a seminis milii ad cannabini magnitudinem.

Quoad prognosin resolutioni vix obsequuntur, diuturna vero mora magis aucti majus reddunt periculum, unde maxime probabile, phthisin a talibus initium sumere, imprimis quæ simpliciter magis ulcerosa indicari potest a febre concomitante minus importuna & non insigniter inflammatoria.

§.) Vomica pulmonum suppuratoria.

Præcedenti malo longe infrequentior est & verosimillime ab ejusmodi scirrhis magis repentina & impetuosa stasi ortum trahit.

Si actu suppurescat individuam habet comitem febrem lentam hecticam vago motu subinde exæstuantem, quæ tamen non tam proprium vomicæ sed etiam reliquæ ulcerationis phthisicæ symptoma est.

Jungitur febri huic sat calidæ tussis, dolor præsertim sub tussi interlancinans (extra hanc & sub ordinaria & fere breviore respiratione obtusus) qui in dies augescit, respirationem magis magisque impedit & denique exquisitus evadit.

Post hæc omnia repente suffocationis accidit periculum & moles puris subcruenti e faucibus erumpit.

Tussis autem licet in vomica a longo tempore tardius cœpta quandoque adeo exigua obveniat, ut pro firmo pectoris affecti indicio vix valeat, ordinarie tamen hic plus tussis observatur quam in scirrhosis nodis.

Talibus enim, si quis obsessus est, nullum unquam vitii pulmonum aut sanitatis totius læsæ indicium præbet & tussiculam ita raram, brevem & absolute siccam experitur, ut magis adsuetudinis frivolæ, quam habitus causalis in pectore suspicio sit; ne quid de hectica, perpetua

petua vomicæ ſuppuratoria, hic dicamus: Id quod Diagnoſi inſervire poteſt.

4.) Phthiſis.

Expoſiti huic ſunt homines juvenes virilis magis quam fæminini ſexus ab XIIX ad XXXV. annos, magis ſanguinei floridi habitus, quam exſanguis; mucidi, phlegmatici, ſcorbutici, non ſeniores, niſi a manifeſtioribus cauſis externis, neque pueri, niſi ab hæmorrhagiis narium nimiis ſuppreſſis.

Inter cauſas numeramus congeſtionem ſanguinis, ſtaſin, ulcerationem, hæmorrhag. nar. emanent. Hæmorrhoidum, menſium regurgitationes, hæmoptyſin, rarius tuſſim catarrhalem, præ omnibus hæreditariam diſpoſitionem &c.

Externe concurrunt, diæta plena, otioſa, ſpirituoſa, motus corporis turgefacientes, vapores corroſivi, læſiones violentæ.

Præceſſerunt communiter hæmoptyica excretio, peripnevmonia, aſthmata ſpaſtica vel oppletiva, ſine excretione humida, variolæ, ſcabies retropulſa, ulcera diu aperta, cito tandem occluſa.

Differt autem Phthiſis vehementia, dum alii brevi debilitantur, alii vires quodammodo retinent, & nonniſi per intervalla, vere, autumno, a tempeſtatibus, cauſis externis exacerbationes ſubeunt.

Initia ſumit a tuſſi parva ſicca, plerumque apud alios tamen cum excretione, facile exacerbanda tam aeris intemperie, quam reſpiratione profunda, in qua ultima certam quandam ſedem impedimenti renitentis ſentiunt.

Increbeſcit hæc & continuitatem affectat cum inſigni pectoris anguſtia.

Concurrit magis magisque languida & defectiva virium remiſſio cum appetitu rejecto & faſtidio eduliorum, e quibus tamen magis frigida quam calidiora appetunt.

Potus major adeſt cupido, ſed averſantur ordinarium & quid bibere velint, ambigunt.

Calor moleſtus eſt etiam extra exacerbationem, neque tamen facile actuales refrigerationes patiuntur, unde horridulæ aut ad minimum volaticæ alterationes.

Complicatur item ſomnolentia, ſed ſomnus eſt inquietus nec profundus nec valde utilis, potius cum majore languore & virium fatiſcentia.

Faci-

Facies omnium ultimo extenuatur, ſed ab exaſperato calore hectico fit illa turgidior & rubicundior.

Vaſa circa caput turgent.

Non raro ægri decubitum in unum latus minus tolerant, quin reſpirationis & tuſis graviſſima ſemper incommoda incurrant. Ex quibus etiam plerumque oritur ſputum vel parcius vel copioſius vel alius, quam ordinarie erat, conſiſtentiæ.

Sine copioſa exſpuitione melius habent, qua expectorantibus acuta, exulceratio acceleratur in præſentius mortis periculum.

Sputum non ſemper eſt purulentum niſi in conſummato ulcere, interdum ſtriis ſanguineis infectum.

Hoc vero diſcernendum eſt a materia illa in ſimpliciori etiam tuſſi exire ſolita, craſſa quaſi et pultacea ex flavo vireſcente, innoxia.

Quo fortius & frequentius exacerbationes hecticæ recrudeſcunt & invaleſcunt, eo celerius opprimitur æger.

Urina Phthiſicorum ſanæ ſimilis eſt, niſi quod ſpumam diutius ſervet, quod tamen etiam in alia tuſſi fit.

Moriuntur & quidem ſeniores tacite languentibus indies viribus; juniores ſub febrili motu inflammatorio.

Diagnoſis ab hectica hypochondriaca eſt, dum in hac pulmonali a ſucceſſiva & profunda reſpiratione, anguſtia, reniſus tuſſis augeatur, quod in illa non fit. It. Extr. Tabaci hic lenit, ibi non item.

Prognoſis incipientis phthiſeos anceps, ſuppuraſcens profundior lethalis eſt & ægro commoritur.

In *Therapia* præſervative in tuſſi ſicca & anguſtia cum orgaſmo phthiſin minitantibus confert V. S. in pede circa æquinoctia repetenda, pediluvia in feminis maxime.

Ipſa medicatio lenis ſit & diuturna per plures menſes.

Equitationem commendat Sydenham.

De ſpecificis vid. Stahl. Diſp.

In thermis lenibus, præmiſſa ventilatione, quoddam ſed inane eſt ſubſidium.

Lactis cura idem eſt ac modicum paſcere, cœtera naturæ mandare.

Expectorantia periculum creant adducendo humores & ulcerationes accelerando.

Balſamica Myrrh. Balſama exotica, Terebinth. olea deſtillata, Balſ. ſulphuris inflammationem, extenuationem, ſitim &c. augent.

Vulneraria ſupprimunt excretionem, coarctant reſpirationem, omnia pejora reddunt.

Antimonium diaph. & ſimilia terrea coctionem, digeſtionem, excretionem debilitant. Antihect. Poterii & Tinctura antiphthiſ. anxietatem, cardialgiam, diarrhæas, maturam mortem producunt.

Abſint opiata; ut & nitri abuſus. Hoc vero alternis diebus aut tertia quavis ad ſcrupulum unum datum egregie mitigat.

θ.) Peripneumonia & Pleuritis vera.

Illa hac longe frequentior juvenilem potius ætatem virilis ſæpius ſexus occupat, tacite interdum & ſat ferociter tempore æquinoctiali tam autumnali, quam præcipue verno & interna magis conſtitutione, quam cum modo ſub præcedente malo fuſius explicaverimus, hic repetere ſuperſedemus.

Externe aliquid conferunt repentinæ ſanguinis expanſiones ab immoderatiore motu, potu, æſtuoſis caloris & frigoris viciſſitudinibus.

Horum autem, nec non *Pleuritidis nothæ* ſeu *ſpuriæ* hiſtoria innoteſcit ex mutua collatione & ſequenti diverſorum ſymptomatum enarratione.

Quamvis enim conveniant in dolore, quem ſuſcitant, compunctorio, unde germanice das Seiten Stechen ſcilicet in alterutro latere, ingens tamen diſcrimen intercedit.

1. Ratione ſedis, dum *peripneumonia* & *pleuritis* crebrius circa vel paulo infra mammillam; *notha* vero circa ipſam claviculam incipit.

2. Illæ locum ſuum conſtanter ſervant, hæc de die in diem magis deorſum inclinat, ut tandem (niſi maturius diſſipetur) etiam thoraceem deſerens infra coſtas ſpurias adhuc ſentiatur.

3. Illæ edunt puncturas æquales & pulſui σύγχρονας; hæc contra.

4. Illæ perennes ſunt, nihil eximie remittentes nedum intermittentes, hæc utrumque.

5. Illæ habent tuſſim inſeparabilem comitem, hæc tam cum quam ſine tuſſi eſt, nunquam tamen cum magna de interiorum partium ſpiritaliu m ſtimulatione teſtante.

6. Il-

6. Illæ individuum comitem habent febrem acutam continuam cum horrore invadentem & acri calore progredientem; hæc nonnisi levem & (sine causis accidentalibus) vix sensibilem inæqualem ἄτοπον febriculam magis volatici & transitorii quid exhibentem.

7. Illæ si vel maxime quarto die dolores remittant, tamen reliquæ febris cursum ante septimum diem non absolvunt; hæc vero transit paucioribus diebus nec stata mensura circumscribitur.

8. Illæ habent excretionem sputi colorati, plus minus cruenti, adeo ut hujus emansio deteriorem successum præsagiat; hæc vero nisi directe tussis adsit, nullam habet excretionem.

9. Illæ, uti dictum est, juniori, hæc juvenili & virili, potius tamen (nisi externæ causæ concurrant) inclinanti ætati obtingunt.

Vid. supra de Febr. inflammat.

4.) Angina & Cynanche.

Anginodes hujusmodi affectus (non item aphthodes, qui quibusvis ætatibus accidunt) uti in se quasi ambigunt internarium & pectoris hæmorrhagiam, ita ætatem juvenilem ad virilem tendentem invadunt, imprimis fortiores & magis simplices & velut idiopathici; symptomatici vero acutis morbis supervenientes variis ætatibus infesti sunt, magis tamen etiam juniori.

ANGINA

Ab infarctu copiosius appulsi sanguinis sæpe adeo cito accidit, ut inde illico & fauces & lingua & vasa sanguifera venæ raninæ dicta admodum intumescant;

In faucibus vero tensivus, & si ad deglutiendum moneantur, graviter lancinatorius dolor sequatur.

Tota plerumque facies simul inflata conspicitur, ut rubeat, imo liveat, præcipue in sanguineis & sanguineo-cholericis, huic malo præ aliis succumbentibus.

Accedit incommodissima, frequens tamen irritatio ad deglutiendum, deglutitione tamen nunquam sine penetrantissimo, uti modo notavimus, dolore succedente.

Concurrit anxietas magis quam angustia suffocationis & strangulationis, nisi quod redundantia illa vasa jugularia una premens, diffusionem & stasin circa ipsa cerebri interiora una cum sensus interioris & ipsius mentis turbatione inducat.

Supervenit aliquando febribus acutis, ubi præceps intra primos 4 dies periculosus utique est: sed periculosior & vix non funestus circa criticos contingens, idque tanto certius, quo majore infarctu & linguæ tumore se exerit.

Præceps si cooritur hæc inflammatio, dummodo tempestive occurratur, mature spem discussionis admittit; quo vero lentius collectus est hic tumor & ultra 24 vel 36 hor. eodem tempore persistit vel penitus augescere sentitur, communiter tendit ad suppurationem.

In Therapia raro sectio raninarum bene cedit vel satisfacit, quanquam, quod admodum sæpe faciunt in tali statu, magnam sanguinis quantitatem effundunt.

CYNANCHE.

Infert quidem eundem, quem angina acutissimum inter deglutiendum dolorem, imo etiam extra motum faucium pulsatilem & compunctorium;

Sed sine visibili aliquo vel sensibili manifesto tumore, nisi quod ægri querantur, videri sibi paulo profundius in faucibus molem quandam quasi nucleum hærere.

Successu lentior est & duratione pertinacior ad 3, 4, dies magis magisque augescens cum anxietate strangulatoria non minore quam in præcedente.

Imo quo diutius progreditur, eo magis apparent etiam circa faciem & tempora signa detenti sanguinis & impediti, colore livescente & vasis etiam angustioribus ultra solitum conspicuis.

Periculosissimus hic affectus est, si discussionem respuat, adeoque suppurescat; nisi bona fortuna introrsum rupto abscessu, per excreationem ac vomitum pus suum effundat.

Chirurgicam apertionem externam nonnisi cæcam & fortuitam admittit, scalpellum profunde imprimendo, ubi tamen arteriæ carotides ad latera vel ad minimum in vicinia loci affecti, summam sinistri eventus formidinem incutiunt.

z.) Catarrhus suffocativus verus.

Succumbit ætas senilis, habitu corporis plus phlegmatico quam sanguineo illaque constitutione, quæ jam catarrhis a capite & faucibus ad pectus delabentibus vexata fuit & in posterum quoque paralyseos, item apoplexiæ periculo videtur exposita.

Oc-

Occupat plerumque repentino insultu, unde respiratio difficilis & plenitudo pectoris e spumido sono quasi inter respirandum colligenda.

Adest præsentissime virium remissio & debilitas cum ipsius animi impote oblivioſa & de vita diffidente desperatione.

Sæpe sine omni, ordinarie tamen cum aliquali sed improportionata & impotente quasi (ex virium defectu) tussi.

Subest non raro non tam pectoris quam ventriculi labes, potissimum vero urget in pectore, pulmonibus & exteriore costarum ipso motu. Et hoc intuitu est magis paralytodes.

Non confundendus est cum asthmate spastico vel ipsa tussi humida expectorantibus & narcoticis in anomalias conjecta; vel etiam repentinis oppressionibus a retropulsione ad interiora, tam acutorum quam chronicorum rheumaticorum exanthematicorum affectuum aut stataríorum tumorum aut fluxuum ulcerosorum diuturnorum repente suppressorum, quæ omnia ab hoc longissime distant.

Prognosis funesta est; vel enim intra 24 horas patientem suffocat, vel in febriculam sed mali moris propter magnam debilitatem transit, qua ipsa quoque sæpe moriuntur.

Vel abit in diuturnam asthmaticam tussiculosam cum multa materiæ mucosæ eruptione pectoris laxitatem, intercurrentibus, præsertim si externæ causæ accedant, quasi paroxysmis asthmaticis, spasticis, vel trahit post se cachecticam corporis flaccíditatem.

Certe nisi statim analepticis tonicis abstergentibus, undique ægro consulatur, vel dicta pericula vel tantam debilitatem relinquit, ut ille abhinc admodum vacillantem valetudinem experiatur.

Annosiores, qui morbo hoc fortiori correpti fuere, si evadant, interposito tempore aliquo tam subito expirare solent, ut apoplexia an catarrho suffocativo interiisse dicendi sint, merito dubitetur.

D. Stahl pro certo habet, qui apoplectici & in cerebro mali sui sedem habere judicantur, suffocatione potius tali catarrhali & spastica interiore vel paralytica sinceriore costarum motus abolitione interiisse.

Cap. III.

Hiſtoria Congeſtionum & motuum ſanguinis in & ad abdomen.

MEMBRUM I.

Hæmorrhoidum & vomitus cruentus conſectaria.

ART. I. Morbi venæ portæ in genere.
II. in ſpecie:
α. Cardialg. β. Colica ſpas.
γ. M. hypoch. δ. Indur. viſcer.

Ex Textura hujus venæ ampla molli ſine valvulis perpendiculariter fere in abdomine ſita oritur progreſſus ſanguinis lentior præcipue per hepar, tum ſpiſſitudo ejusdem, infelix variorum circa hæc loca ſcaturigo & fomentum.

Concurrentibus præſertim externe diæta, plena, ſicca, parco potu, aſſumtis acidis, mucido-craſſis, habitatione & veſtitu frigidiore, habitu corporis magis melancholico, motu corporis maxime reſpiratorio ſegniore in ſedentariis, ſpeculabundis, mœſtis.

IV præcipue læſiones V.P. memorabimus.

Ima quidem eſt, quando propagines ejus 1) vel arctiores reddunter ab inteſtinorum tenſione, flatibus, ſcybalis impactis, colica. 2.) vel magis diſtenduntur in hypochondriacis ſtagnationibus, unde Venæ hæmorrh. vaſa brevia turgida deprehenduntur.

II. Conſiſtentia ſanguinis ſpiſſa ex motu perpendiculari &c. dictis cauſis.

Ex hac pullulant.

III. *Læſiones motus paſſivi*, quæ indicantur per inflationes, dolores, duritiem lienis.

Item per dejectiones nigricantes fluidas, tandem accedentes aut ſupervenientes vomitus ſimiles aut manifeſtius cruentos cum aperto dolore preſſivo, & punctorio in regione lienari.

De-

Denique per hæmorrhoidales poſt diutina ejusmodi mala perruptiones cum præſentanea illorum ſublevatione.

IV. *Læſiones motus activi* ſive alterationes toni.

α) *Relaxatoriæ* in *flatulentia* maxime hypochondr. & hyſteric. a potu frigido, frigore, cibo mucido exacerbanda, *ſplenis* etiam *inflatione*, quæ permanet, licet alvus flatus dimittat, a ſanguinis infarctu orta, feminis ſub menſium motu familiari in quartanam, hæmorrhoides, vel vomitum cruentum deſinente.

β) *Conſtrictoriæ*, in Colica & diarrhæa ſpaſtica, cardialgia hypochondriaca tenſiva, doloribus preſſoriis reniſoriis in abdomine, hyſtericarum anguſtia ſtrangulatoria, torſionibus ventriculi, vomitionibus vacuis imo cruentis; conſtrictione in meditullio umbilicali ſub convolutionis ſenſu in hyſtericis & hypochondriacis.

Hujus poſterioris generis in ſpecie ſunt.

I. *Cardialgia ſplenica ſanguineor.*

In qua morſus & tenſiones circa ventriculum perſentiſcunt cum anxietate & duritie flatulenta, ſuccedente calore hectico & affectibus aſciticis, lubricitate alvi.

In Therapia congeſtio ſanguinis temperantibus tractetur

Non ferunt aromatica flatulenta ſpirituoſa pinguia carminativa acida.

Ab abſorbentibus augetur preſſorius ſenſus, mucoſitas e faucibus regurgitat.

Ab adſtringentibus palpitationes cordis ſuffocationes anxiæ, tabes, invadunt.

II. *Colica ſpaſmodica hæmorrhoid.*

In viris circa inteſtina craſſa torminoſos ſpaſmos ad exitum hæmorrhoidum generat.

In feminis magis circa tenuiora ſuperiora imo ventriculum graſſatur ad cardialgiam, vomitum, anguſtiam, ſuffocationes, ſpaſmos meſeraicos tendens.

In utrisque regurgitationes ad hepar, ſplenem, ictericas, aſceticas, obduratorias, relinquit.

In *cura generali* morborum V. P. docet experientia, quod a) ſtagnatio ſolvenda plethoræ imminutione, diætæ correctione, motu corporis, ſitu erecto abdominis. b) ſpiſſitudo ſanguinis attenuanda per abſtergentia laxantia, dilutionem potulentam, ambulationem, equitationem, vecturam, haud tamen motibus repentinis, per anti-

ſcor-

ſcorbutica, abſtinendo a tenuiſſimis ſpiritibus cochlear. & naſturtii M S. concitantibus.

Tonus per martialia, ſalia volatilia, nervina roborandus.

Motus activi placantur anodynis per aromatica correctis, cinnabari larga, laudano liquido Sydenham. Pil. Wildeganſ., MP. de cynogl., nitro, ut peculiari temperante & millefolio temperativo turbarum V. P. ſpecifico.

III. *Malum hypochondriacum.*

Quamvis hic affectus cum hyſterico idem ſit, eique ut jam Williſius & Highmorus annotarunt, conſonantiſſime reſpondeat; nos tamen hic præcipue loquemur de illo, cui virilis ſexus ſuccumbit, hyſterici hiſtoriam & ſpecialiores circumſtantias in alium locum, qui commodior viſus eſt, ordinis gratia reſervaturi.

Subjecti igitur ſunt huic malo plethorici, præc. melanch. magis, otioſi, diætæ ſiccioris, vitæ ſedentariæ, ante omnia juvenilis ætas, non puerilis aut tenerior adoleſcens.

Seniores autem vel continuationem priſtini vel palindromen maxime e ſuppreſſionibus hæmorrhoidum ſentiunt.

Ut *cauſas* allegare poſſumus plethoram, ſpiſſitudinem ſanguinis, ejusque reſtagnationem circa V. P.

Remotius huc pertinent edacitas, potus parcus, vita ſpeculativa ſedentaria, abdominis compreſſio, avocatio ab excretionibus, trepidus animus, diſpoſitio hæreditaria, evacuationum ſanguinis aſſuetarum neglectus, hæmorrhoidum internarum ſuppreſſio vel molimen.

Sedem mali ſub coſtis & præcordiis ſiniſtri maxime lateris patientes manu oſtendunt: anguſtias ſcil. ſenſibiles ante & poſt paſtum, ut etiam ſub appetitu vago facile ſatietatem capiant.

Et contingit ſæpe *inflatio* ſiniſtri hypochondrii cum dolore lancinante & per 2, 3, dies, expedita licet alvo, durat; ſi diutius perſiſtat, cum ægri colore nigricante, indureſcit, ut cotis duritiem & figuram tactui offerat & ægrum ad cachexiam hecticam vel hydropicam perducat, qui lien fuiſſe in ſectis mortuis deprehenditur.

In *dextro* hypochondrio tenſiones, lancinationes rarius occurrunt, nec diu perſiſtunt, volatico tamen ardore capitis, faciei ſtipantur.

Capitis dolor tenſivus premens circa proceſſus maſtoideos urget

get ad motus corporis increbeſcens & ad frigus præcordiorum, in quiete vero vel capitis compreſſione miteſcens.

Amant cibum magis ſiccum, potum paucum.

Jungitur *ventriculi* nauſeabundus gravativus ſenſus ad vomituritionem usque & vomitionibus vacuis ſemper anguntur : ubi actuales vomitus utrumque ſexum magis allevant, quam vomituritio.

Interim *appetitus* non deficit, ſed acutus & ad certa edulia directus manet.

Ante vel poſt paſtum vexat multa ſputatio ad vomitum usque. Nares autem magis ſiccæ ſunt quam humidæ.

Ructibus item ſub & poſt paſtum anguntur reſpirationem retrahentibus & ad vertiginem usque prementibus.

Palpitatio vero cordis nunc gravius quam cætera incommoda affligit, nunc cum aliis acutis pathematibus acutis concurrit.

In abdomine etiam ſæpe palpitatoriæ pulſationes ſentiuntur ſecundum dorſi longitudinem, imprimis ſi flatulentiæ & ſpaſticæ compreſſiones magis urgent.

Colica paſſio frequens eſt, licet mitior.

Alvus varia eſt, ſub *exacerbatione* appetitus in nauſeam vertitur & alvus mox in lubricitatem, mox ſiccitatem abit. Imo tanta ſæpe eſt ſiccitas, ut (niſi clyſteres emollientes applicentur) purgantia nil niſi anxias creent flatulentias.

Somnus non adeo turbatur aut deficit, ſed evigilantes ad palpitationes cordis, anguſtias flatulentas facile ruunt : a brevi ſomno pejus habent.

Exaſperatur a quiete ſedentaria, frigore, tempeſtate humido-frigida, item repentinis corporis motibus & animi paſſionibus, ea quidem differentia, ut ab illis communiter in ſiniſtrum latus, ab his vero in dextrum vergat exacerbatio.

Qui *levius* hoc malo tentantur, motibus a ſcrobiculo cordis ſiniſtrorſum expoſiti ſunt, ut nulli certæ parti infixum hæreat : Qui vero *gravius*, illi vehementioribus inſultibus meſenterii torminoſis, ſingultuoſis, ſuffocativis, vomibundis vel contumacioribus inflativis, urentibus ſiniſtri hypochondrii divexantur.

Ex dictis facile collectu eſt, *quænam viſcera* præc. hic *laborent*.

In ventriculo enim aſſumta non modo in vappam olidam aciſæpe, verum etiam diu indigeſta jacent, ut poſt 6, 7, plures horas o-

lidi

lidi ructus ciborum nidorem referentes aſſurgant, & ad vomitus, ſingultus facile invitent.

Meſenterium affici, docet tam ſingultuoſa concuſſio, quam præſertim compreſſio illa, ac ſi meditullium ejus in abdomine duabus manibus comprimeretur, & diſtenſio ramorum meſeraicorum, teſte, qui has ita ſæpenumero reperit; Guarinonio.

Colica, tormina, flatus, ſumma alvi adſtrictio, vix clyſticam cannulam admittentis *Inteſtina* obſident.

Lienem pati non obſcure loquuntur dolor ſiniſtri hypochondrii ſub coſtis notis retrorſum, inflatio in fœminis cum menſium motu recurſans, ſub alvi ſucceſſu & poſt eundem permanens in duritiem tactui obviam vel ſæpe etiam in vomitum cruentum abiens, inflatos & induratos lienes poſt mortem relinquens.

Hepatis directe ex hoc morbo rariora occurrunt pathemata. Inflammatio enim, Icterus, oppilatio ejus &c. magis aliis cauſis, (ſi ſuperveniat) v. g. abuſui adſtringentium, ſuppreſſis ſang. evacuationibus, quam ſimplici huic malo adſcribenda videtur.

Non omnia vero pathemata in quovis hypochondriaco conjunguntur, ſed certa quadam inter ſe conſpiratione.

Ita, ubi in *liene* malum inſedit, modo dicta ſymptomata, vomitus cruentus, item niger, hæmorrhoides, teneſmus, dejectiones mucoſæ, tubercula ani. Maſtkörner.

Nulla vero Colica affligit.

Hepar quando occupavit, ſentitur dolor tenſivus lancinans dextri hypochondr. æſtus volaticus, febres inflammatoriæ lentæ hecticæ, icterus, aſpectus luridus.

Si in media præcordia deſcenderit, urget flatulentia, pectoris affectio tuſſiculoſa, aſthmatica, phthiſica, hæmoptyſis.

Quoad *prognoſin* ſuccedunt facile huic malo diutius perſiſtenti febres intermittentes maxime quartanæ lentæ pertinaces, icterus flavus, ſcirrhoſæ indurationes præc. in ſiniſtro hypoch. Tumores œdematoſi, varices crurum, melancholia timida, taciturna, ſpeculabunda, ſuſpicax genius, ſolitudinis amor.

In *ſenioribus* tum hæc citius tum etiam colica, nephritis, malum Iſchiadicum, Podagra, mictus cruentus, hæmorrhoides, imo translationes vertiginoſæ ſuffocativæ, paralyticæ, apoplecticæ.

Cæterum ſolerti obſervatione deprehenditur, quod multi hoc malo exerciti ab ejus impetu imo interdum univerſa poteſtate liberentur,

rentur, ſi ipſis *hæmorrhoides* fluere adſueſcant, viciſſim contra vid. ſupra.

Identitatem cum malo hyſterico & levem differentiam ſubſecutura ultimi hiſtoria explanabit.

Subjungimus, quæ reſtat, curationis hiſtoriam.

Abundantia ſanguinis æquinoctiali evacuatione deplenda.

Eadem cum craſſitie ſang. corrigitur potu & motu ſufficiente; præcipites motus infarciunt magis ad anguſtias, febres inflammatorias, id quod etiam diaphoretica ſulphurea oleoſa faciunt.

Acidularum uſus prodeſt & largior quidem magis quam parcior, juncto motu corporis.

Excretiones promovent ſalia abſterſiva, tartarus tartariſatus, tartarus vitriolatus.

Tonus roboretur per Martialia temperata, ſed ſubjungatur ſufficiens dilutio & abſterſio, ſiquidem imprimis ſi iis abutantur Medici, anguſtias ſuffocativas tenſivas augent. Poſt hæc ſequuntur, ſalia volatilia, quorum præmaturus uſus caveatur.

Motus ſpaſtici & exacerbationes leniuntur per clyſteres emollientes alvum ſolvendo. Item Eſſ. Millef. cum ſale volatili in fœm.

Hæmorrhoidum apertio vel revocatio per hirudines contumaci malo ſæpe opitulatur; uti ſuppreſſio per ſpecifica, ut

Lap. Manati in annoſioribus maxime aſſuetis, immedicabile malum inducit.

Opium motus paululum inebriat, qui vero facile repullulant & ita ſenſim ſtupidi redduntur, ut nulli amplius methodo obtemperent; ſed iterato uſu ad ſcirrhos, maraſmos, hydropes, obliviones, paralyſes, apoplexias &c. diſponant.

Induratione viſcerum.

A. *Scirrhus Lienis.*

Hujus, ſub præcedente malo, jam variam injecimus mentionem.

Sentitur ſcil. hic in ſiniſtro *hypochondrio* & quidem preſſius ſenſibilis verſus latus & lumbos retrorſum *durities* velut oblonga ex acutiore in latius & quaſi arcuatum, ventrem turgefaciens.

Patiens eſt torpidus, *tædioſus*, moroſus, taciturnus, penſitabundus imo mœſtus & anxius absque manifeſta cauſa.

Color etiam faciei, imo reliquus corporis, luridus, ſublividus qua-

ſi virideſcens, ad fuſcum nigricantem tendens conſpicitur, cum oculis quaſi altius retrocedentibus & circa orbitam livente cutis ambitu.

Alvus ſimul eſt valde ſegnis vel vaga, velut anomala lubricitate titubet.

Appetitus eſculentorum familiarius quidem avidus, interdum tamen & ſine manifeſta cauſa faſtidioſus, juſto major nauſeabundus, modo hujus, modo illius potus faſtidio moleſtus.

Siniſtri *femoris* etiam & pedis notabilis labes, *intumeſcentia* dura tenſa, inſolito livido fuſco nigricante colore vel latioribus hujus generis maculis ſquallens, dolore interdum urente vibratili, contuſorio plus minus vehemente intercurſante. Imo cachectica vel oedematoſa conſtitutio in diſpoſitis ſuccedit.

Urina ſublivida virideſcens, imo dilute nigricans, paucior inſuper & tenuior.

B. *Scirrhus Glandularum meſenterii.*

In *adultis* & annoſioribus rarius agnoſci poteſt, antequam jam aſciticos vel hecticos affectus attraxerit; in ætate vero *puerili* ad 10. fere annos, & magis recurrit & manifeſtius ſe prodit.

Præceſſit hic communiter vel inſignis *addephagia* vel nocturna frigida, e ſomno, calente corpore, potatio; interdum adſtringentium abuſus contra diarrhæas ſpontaneas.

Conjuncta eſt *atrophia* corporis cum dolore depravato & languore, appetitu mediocri, ſed anguſtia & majore moleſtia poſt cibos.

Alvi inconſtans eſt ſucceſſus nunc lubricitas, ſub qua non raro ciborum minus digeſtorum rejectio, nunc ſiccitas juſto major.

Sub his omnibus præc. turget & *durum* eſt *abdomen* & ſentiuntur aliquando, ſi tenſio ejus nonnihil flacceſcat, tactu inæqualitates & velut nodi quidam in eodem.

Confer. obſerv. Ludov. de atroph. puerorum ſpecie, A. N. C. Dec. 1. A. 2. p. 453.

Omnibus his ſcirrhis major vel minor febricula lenta hectica accedere ſolet.

C. *Scirrhus hepatis.*

Inſignis hic ſeſe offert *durities*, tenſio & gravitas dextri hypochondrii conſtans & ſenſu jugiter durabilis.

Coaleſcit non ita raro *ictero* præſ. nigro; interdum hydropicis & aſciticis tumoribus, ut illos vel antecedat vel ſequatur.

Acci-

Accidit quoque *cachexiæ* præſertim Icteroidi, lentis febribus ex Iracundia natis; item poſt intermittentes præcipue quartanam male curatam & hecticam ex eodem fonte prognatam.

Imo vix obſervatur hoc malum ſine ſenſibili hectico calore, undecunque ſit ortum.

Leviori adhuc & incipiente ſcirrho accidit communiter Φλόγωσις ſeu repentina incaleſcentia cum rubore faciei poſt paſtum, præcipue potum quamvis leniſſimum & nude cereviſiarium.

Cum tempore vero tranſit undique in *pallorem*, niſi quod poſt paſtum maculæ quaſi ſolum floridæ a reliquo pallore inconcinne abruptæ in genis efflureſcant.

Urinæ color communiter Aurantiorum ſimilis, conſiſtentia craſſa, quantitas pauca, ſedimentum non paucum ſubmucidum, interdum grave & ſpiſſum rubei coloris.

D. *Icterus* 1. flavus.

Occupat quaslibet *ætates*, magis tamen juvenilem & ſenilem, ſexum utrumque.

Interdum etiam infantes neonati Icterode tali colore ſuffunduntur a ſanguinis umbilicalis reſtrictione, ſed facile diſcutientibus diapnoicis & lax. rhab. in integrum reſtituuntur.

Succedit ſatis frequenter vel cibis inſolitis craſſioribus vel iracundiæ, vel evacuationibus aſſuefactis emanentibus, inſuper violenter uno impetu ſine exitu commotis vel aliquibus horum concurrentibus: Interdum etiam febri quartanæ præſertim male tractatæ vel ſuppreſſæ; rarius aliis intermittentibus;

Jungitur quoque nonnunquam *cachexiæ* & *hydropi*.

Primo *oritur* admodum ſubita violenta compreſſio quaſi circa medium infra ſcrobiculum cordis introrſum.

Inſequitur ſat cito plerumque *coloris* tum totius corporis tum ipſorum oculorum mutatio in *flavum* ſæpe ſaturatum.

Interdum vero ſuboritur hæc coloris defœdatio quaſi tacitis ſucceſſibus, vix tamen unquam, imprimis ſi ſaturatior ſit, citra concurrentem notabilem ſenſum alicujus tenſionis, preſſionis & quaſi *ponderis in meditullio* dictæ regionis.

Appetitus familiariter proſtratus eſt, ad minimum poſt aſſumtos cibos preſſionis hujus incrementum.

Alvus eſt adſtricta vel ad minimum ſolito ſegnior & ſicciora ſcybala emittens eaque interdum valde pallida vel prorſus albida; vel nimis quam fluxa & lubrica, crudos cibos, vel vix leniter digeſtos & diſſolutos cito iterum rejiciens.

Totum corpus *languet*, animus faſtidit & dormiturit.

Somnus tamen non raro inquietus eſt interdum vel multus & profundus. Sentiunt ægri in quiete calorem ſolito majorem morſicantem & veluti pruriginoſum; ſub aliquo vero corporis motu vel in libero aere frigeſcunt imprimis circa externa.

Urina ſaturate flavet, adeo ut etiam paucæ ejus guttæ, chartæ vel linteo aſperſæ, colore hoc illud tingant. Interdum plane Granati inſtar, ſed paulo magis fuſco colore rutilat, agitata vero mox in parietibus vitri ſaturatam flavedinem monſtrat, imo flavam ſpumam format.

2. *Icterus* niger.

Hic *color* ſumme ſaturatus nigricans, qualis in urina ictericorum videtur, totam corporis ſuperficiem & ipſos etiam oculos occupat.

Imo *ſputum* ipſum ſæpe colore hoc imbutum excernitur vel ad minimum inſigniter flaveſcens.

Quo annoſiores hic affectus invadit, eo difficilior eſt *ſpes* reſtitutionis, quæ quidem nulla ætate in proclivi poſita eſt.

Marceſcunt ſucceſſive, tabeſcunt, imo exareſcunt cum appetitus interitu, languore & inquietudine perpetua, ſiticuloſitate quoque & tamen potuum ſolitorum faſtidio.

Intereunt *hectici*: rariuſcule inferiorum partium œdemate affecti, præſertim niſi mox ab initio hujus generis intumeſcentia cum Ictero complicata fuerit.

Tuſſis Hypochondriaca.

Exiſtit ſicca vehemens effera, & vocem ſat illibatam relinquit, vel ad ſummum ſicca quadam & aſpera raucedine afficit.

Si e ſtomacho magis oriatur, vergit & tendit ad vomendi conatum.

Increbeſcit poſt paſtum, motum corporis præcipue adſcenſoriun velocius eundo, bibendo largius vel frigidius; non æque ab aere frigido attracto aut lenius irritativo, uti etiam æger profunde reſpirare poteſt, ſine ſenſu alicujus in pectus reniſus vel brevis vel quaſi ſupern ſtimuli cujusdam ad repentinam excuſſionem.

Im

Imo facile ſentit, vehementiori hac tuſſi, profunde una hypochondria concuti.

Inflammationem ventriculi, lienis &c. jam ſub febribus inflammatoriis hiſtoriam pertractatam reperies.

MEMBRUM II.

Conſectaria Renum hæmorrh.

ART. I. Nephritis.
II. Calculus.
III. Ulceratio Renum.

α.) Nephritis a. ſimplex.

SUccumbunt huic ſubjecta ſpongioſa maxime ſanguinei vel ſinceri vel prædominantis habitus, ætatis juvenilis accreſcentis & virilis tum ſenilis, hæmorrhoidariis moliminibus obnoxia, rariſſime ſexus femininus.

(Hæreditaria vero diſpoſitio juniores quin infantilem ætatem huic malo exponit.)

Internæ cauſæ conveniunt cum illis, quas in malo Iſchiadico & Podagra innuimus.

Procatarcticæ ſunt rerum non naturalium abuſus, lumborum concuſſio, equitatio, vectura fortis, inſolita, ira &c.

Conqueruntur autem patientes de doloribus per initia magis ſolum tendentibus, prementibus ad liberiorem motum, moleſtum, veluti contuſionis, ſenſum exhibentibus circa lumborum præcipue regionem.

Et quidem ſæpius in alterutro latere quam in utroque communiſſime in ſiniſtro præ dextro.

Fiunt hi dolores ſenſim acutiores, lancinantes cum anxia inquietudine.

Nonnunquam præſente dolore peculiaris gravativo, tenſivo, rigido, totum ſimul illud femur imo crus ſtupeſcit & obrigeſcit, imo vel doloribus etiam eo excurrentibus afficitur.

Concurrunt febriles motus, horrores aut horridulæ, invaden-

te

te ægrum paroxyſmo, percurſationes, quas calor moleſtiſſimus acri ardore excipit.

Interim hi motus ordinarie nec adeo vehementes ſunt nec typum aliquem ſervant, ſed vagi potius inter horripilatorium & æſtuoſum, ut aliis quoque inflammatoriis commotionibus familiare eſt.

Iunguntur his agrypnia aut ſomnus ob dolores breviſſimus, nihil reficiens; ſummus virium lapſus, dolor capitis obtuſus aut ad minimum perturbatio vertiginoſa, debilitas, appetitus dejectio.

Simplicem Nephitidem non facile comitatur actualis, niſi jam ſæpius recurrentem, quo ipſo tamen ſimplex vix amplius manet, ſed manifeſtius cum hypochondriacis pathematibus communicat.

Alvus frequentius clauſa eſt, ad minimum ſicca.

Singularis eſt Nephritidis conſenſus cum ventriculo & primis viis.

Sicut enim harum turbatio illam præcedere ſolet, ſic hæc nempe Nephritis ab illarum oneratione præcipue exacerbatur, id quod aſſumta legumina flatulenta & concoctu difficilia, caſeus macrior, carnes fumo induratæ, piſces duriores pridem condocuerunt.

Durant dolores per aliquot dies & fere ad minimum ad quartum uſque & ſæpe numero, ægro cautius vivente, poſt longum temporis ſpatium demum revertuntur.

Ipſa autem adſuetudo hic etiam majorem paroxyſmorum inducit frequentiam.

Patiens a decubitu pejus habet, melius a mediocri ambulatione, nec alteri lateri aut lumbo ipſe incumbere poteſt, ſed fovere debet illud calore, ſiquidem longe ſenſibilius dolet, ſi frigeſcat.

Reſtat, ut notemus veram interdum συζυγίαν hujus morbi cum Iſchiadico, podagra & hæmorrhoidibus.

Adeo, ut hæmorrhoidarii & podagrici ſat ſæpe occurrant, doloribus etiam lumbaribus obnoxii, (ut dubium ſit, utrum magis rheumatico-Iſchiadici, an verius nephritici ſint) imo etiam veræ Nephritidi vel ſimplici vel calculoſæ ſubjacentes.

Urina in quantitate & qualitate alterata eſt.

Communiter quidem prodit parcior, urget autem ægrum ſæpe conatus mingendi. Quo paucior eſt, eo fere ſimul & tenuior, ſicut etiam eo exquiſitiores ſunt dolores: obtuſioribus autem his exiſtentibus frequentius eſt admodum craſſa, & veluti filamentis quibusdam mucidis imbuta.

In

In Prognoſi.

Diagnoſis aut differentia a calculoſa partim conſiſtit in medicatione, in ſimplice multum, hic parum aut minus auxilii allatura, partim ex dicendis p. ſeqq. patebit.

In Curationis hiſtoria.

Obſervandum eſt non exiguum levamen ac emolumentum, quod Nephritici ex ventilatione ſang. tum generali tum ſpecialiori, e locis hæmorrh. externis, per hirudines perceperunt.

Uti jam Hippocrates tradit: hæmorrhoides nephritidi ſupervenire bonum.

Caveantur diuretica acriora, mature calculi proventum infeliciter procuratura, v. g. olea deſtillata, Terebinth. piceæ Juniperi, ſuccini, ſpiritus acris empyr. tartari, ſpiritus Nitri ſimplex clyſſiformis, item dulcis acrior largiore uſu, aqua Petroſelini fragorum, amygdalæ rancidæ & amaræ, raphanus ruſticanus, arilli cynosbati, baccæ Alkekengi &c.

β. Calculoſa.

Infert dolorem non ſolum in ipſo lumbari præſertim ſiniſtro latere ad ſpinam dorſi, ſed etiam antrorſum juxta ductum oſſis Ilei ſeu potius intus in hac regione ſecundum ductum uteris.

Subjecta habet cum ſimplice communia, quæ ſimplex familiariter præcedere obſervatur.

Cauſas damus hæreditariam diſpoſitionem hic omnium maxime valituram, violentiam externam, malam ſimplicis tractationem per incondita medicamenta.

Rariſſime invadit vera talis calculoſa nephritis, quin prius ſabuloſi quiddam in urina comparuerit.

Diſtinguendum tamen optime eſt ſabulum verum a tartaro urinæ, fundum petat, tartarus contra coaleſcit demum ſub refrigeratione urinæ, quæ in emiſſione tota liquida & clara ſine ullo veſtigio rei ſolidæ effluxerat.

2. Sabulum eſt lateritii dilutioris coloris, tartarus rubicundioris.

3. Subſidet univerſum, tartarus accreſcit numeroſis parvis Cryſtallis evidenter anguloſis circa latera vitri. Concretio hæc tartarea ſæpe eſt adeo tenera, ut nonniſi urina effuſa in parietibus vitri appareat,

4. Cryſtalli hæ vel ſunt tenerrimæ vel magnitudine milii majoris, etiam non excorticati, rhomboideæ, longiuſculæ, rubicundæ.

5. Tartarus hic non tam nephritidi directe, minime vero eidem primario, nedum ſoli jungitur, ſed omnibus motibus & moliminibus arthriticis, iſchiadicis, podagricis; ſabulum contra ſoli huic vel jungitur vel veſtigia legit vel intercurſat.

Tranſimus hinc ad

γ. Calculum Renum.

Subjecta & cauſas cum præcedentibus easdem fovet.

Exacerbatur maxime a vini potu, cibis dyſpeptis ventriculum & inteſtina gravantibus, potu feculento, præcipue ira, terrore, &c.

Dolor eſt magis tenſivus preſſorius quaſi pali infixi, & miteſcit in quieto corpore, quo nephritis ſimplex potius exaſperatur.

In urina conſpiciuntur nunc & tunc ſabulum vel etiam parvuli calculi maxime poſt lithontriptica.

Aliquando etiam, quod quidem certius, non tamen perpetuum ſignum eſt, cum omnibus his circumſtantiis prodit cum urina tenax & viſcidus mucus vel ad minimum mora diuturniore in eadem ſubſidendo concreſcit, quod proprie indicium eſt calculi cum inſigni impetu tendentis & vehementi præcipue ureteris preſſione agitati.

(Ubi tamen diſpiciendum, an talis non e veſica potius, quam rene prodeat, quod utique fieri cognoſcitur, ſi valde frequenter urina urgeat & inſignis mingendi conatus in ipſo pectine moleſtet & parvo tempore repetitis conatibus valde multum hujus muci prodeat.)

Comitatur hic calculus plerumque hæmorrhoides externas, podagram, Malum iſchiadicum, Arthritidem, ut raro podagra graviter conflictatus calculo non una vexetur.

Nephritidem præcedere hinc communiter ſupra jam monuimus.

Præcurrit quoque aut ſupervenit ſæpe mictus cruentus, rariſſime vero in iis, qui magnorum vel multorum teneriorum calculorum proventu laborant, & uti graviſſimos plerumque ſæpe dolores nihil ſanguinis excipit, ſic, quo copioſior ſanguis effluit, eo major dolor eſt aut calculi proventus.

Familiariſſime vero inſequitur dolores inflammatorios nephriticos ſuppuraſcentes, ad minimum ab ulcerationis ſuſpicione non alienos.

Un-

Unde & nota eſt ulceroſa ſanioſa conſtitutio rerum in demortuis reperta ita ſæpenumero, ut præcipua pars de rene abſumta, reſiduum autem cuniculis pervium & undiquaque flaccidum apparuerit.

Stahlius quoque trigam obſervationum Pathologiæ ſuæ inſeruit, ubi calculoſi, manante copioſius ulceroſo-ſanioſa materia, ab iſtis temporibus, quibus hæc manatio cæpit, ab ulteriori calculi proventu immunes vixerunt.

Calculus ipſe *quoad materiam* mucido-terreus eſſe videtur, unde ſolutioni in menſtruis ſalinis non ſolum non totus obſequitur, ſed etiam languide.

Et aeri expoſitus exſiccatur & decreſcit primo friabilis, jam vero denſatus, imo uſtus tam humiditatis quam pinguedinis empyr. & ſalis volatilis notabile quid fundit.

Quoad formam magnitudinem æquat renalis piſum, ſæpius adhuc minor ad feminis cannabis, Milii, imo ſabuli proportione. Majores rari ſunt, occurrunt tamen qui adſcendunt ad nuceli pruni alborei, Herbſt-Schlehen, prunomali Perſici, Morellen und Apricoſen ꝛc. magnitudinem adſcendunt. Majores inuſitati ſunt.

Color fulvus eſt aut ex obſoleta flavedine palleſcente quaſi leniter ruffeſcens.

Conſiſtentia frialibis eſt, antequam exſiccetur rariſſime durus ſiliceus, inſignis aſperitate ſua, qua velute gravis ſubtilibus ſibi mutuo cohærentibus conſtare videtur.

Aliquando circa ipſam ſuperficiem mediocrium calculorum faſtigiata quædam granula veluti Cryſtallorum ſalinam indolem produnt; ſi vero granula ſigillatim cum urina prodeant, ſabuli nomen imponitur.

Reſtat, ut aliqua de paroxyzante hujus morbi indole adjiciamus.

Nonnulli ſc. *calculo* obſeſſi a levi occaſione motibus corporis ſuccuſſatoriis, imo ſimpliciter turgefactoriis, maxime animi motibus, aere frigido-humido, cibo craſſiore &c. intra annum aliquoties ſolitos dolores incurrunt.

Ea tamen differentia, ut pure magis ſanguinei ſenſibiliſſimos & inflammatorios cruciatus; phlegmatici vero aut gracilioris texturæ plus ſtuporis & languoris flatulentæ inde perpetiantur.

Utrisque, maxime tamen ſanguineis, accidit, ut ſub emicante tali exacerbatione multa & iterata horripilatione & refrigeſcentia percellantur, quam denique calculi excretio ſubſequitur.

Quibusdam talium poſt ſæpius uſurpata diuretica fortiora, impr. ſpiritum nitri acidum aut leviter ſolum dulcificatum evenit copioſus muci tenacis cum urina exitus, atque ita ſabuli & calculi moderatio, renis vero valentior ulceratio cum lentis tabidis conſectariis.

Prognoſis itaque in vero calculo omnia funeſta prædicit, niſi vegeta admodum ætas & virium energia ſumme præſto ſit.

Fruſtra enim interdum palliatur ad breve tempus vel ad minimum repullulat calculus vel in hæmorrhoides aut podagram fit tranſitus (licet talibus proventus calculi aut impetus vix unquam tollatur) vel ſæpius hectici intereunt, prævaleſcente renum ulceratione, quam non inepte quidam phthiſin renalem appellant.

Loquimur autem hic de vero conſummato calculo, non de tartareo illo lateribus vitri adhærente ſabulo.

Præſervative convenit V. S. & ſcarificatio repetenda circa æquinoctia, Laxatio Rhabarbarina, Traumatic. ex Gummi Junip. ſuccin. & Gummi reſinis cum herbis vulnerariis temperatis chæref., hedera terreſtri, pyrola, ſanicula, virga aurea, auricula muris, conſolidis &c.

Melle modico maritatis vel hydromellitis.

Febriles impetus occupant & diſcutiunt Alexip. temperata & rad. Helen. Pimp. vincetox. imperat. ſcord.

Diluunt acrimoniam ſeri decocta lubricantia, diluentia aperitiva, emollientia ex cichor.

Renes abſtergunt pinguia olea & Emulſ. amygd. dilutæ bene ſaccharatæ, Althea, Glycirrhiza, & ſimilia pectoralia.

Paroxyſmum tollit pulvis antiſpaſmod. alvi expeditio per clyſter. ex Veronica.

Pellentia Renum ſpaſmos & inflammationem; Traumatica, ſi quantumcunque adſtringentia fuerint, exacerbationem augent. vid. ſeqq.

Calculus veſicæ.

Differentia hujus a præcedenti ex ſeqq. hiſtoriæ circumſtantiis ſatis patebit.

Datur vel indigena vel alienigena ex renibus ſcil. per ureteres in veſicam prolapſus & in anguſtiis urethræ circa ſphincterem veſicæ obhæreſcens.

In ultimo hoc ſemper inventus eſt alius renalis figura & colore, cui veſiculis per totum ambitum ſuperaccrevit, ut per foliatos quos-

dam

dam cortices distinctæ crassitudinis successive super inductos cepa-rum similitudinem efformaverit.

Et hoc quidem ut plurimum in adultioribus aut senioribus, qui vesicæ calculum gestasse leguntur.

Verus autem in vesica natus & educatus calculus evenit magis junioribus imo infantili & puerili ætati, ubi tamen semper conjuncta observatur hæreditaria transmissio a parentibus vel etiam majoribus nephriticis vel etiam arthriticis, podagricis.

In teneris etiam infantibus προκαθάρτως vitium nutricum cibis enormiter salsis abutentium ulceroso-sabulosam in renibus materiam causari potest, basin veluti post hac vesicali calculo præbentem.

Communissime hic est unicus aut pauci ad minimum, cum renum plures fere deinde pullulent.

Et sicuti renales breviore tempore sensim & granulorum sabulosorum parvitate recedunt, & exitum affectant; ita hic contra non solum diutius imo per totam sæpe vitam obhæret, sed magis etiam ad quietem compositus est, donec specialissima commotio denique obtingat.

Augescit quoque ordinarie in majorem & ingentem passim molem ovi columbini, & Gallinacei dimidii & interdum integri, imo anatini.

Adde quod communiter vel multo durior vel ponderosior renali; tenerior tamen & æqualior, glabrior quasi levigatus interdum, ambitu ad qualemcunque rotunditatem ovalem accedente existat.

Diximus jam de quiete hujus calculi; Et sane citra summam æque molestiam diutissime passim a patientibus toleratur.

(Si tamen exacerbetur, dolor est vehementissimus, sensus valde tendens atque premens in regione pubis, concurrente urinæ suppressione frequentiori aut plenaria, cum nulla cruentatione nunc comparente.)

Inauditum fere hic est elidendi conamen pervicacissimum, quale sæpissime in renali adhibetur.

Si tantum unus hujusmodi calculus excernatur vel sectione extrahatur, solet subinde alter succrescere.

Consummatus calculus respuit curam, (eumque frustra usitatis artificiis resolvere sperant) tenetque quos semel invasit, ad ipsam usque mortem obsessos, pertinacissime.

Quoad Therapiam refer huc, quæ modo renali calculo ſubnexuimus.

In utroque calculo:

Lenitio inſultus per opiata niſi cum alexipharmacis & diapnoë conjuncta periculoſa eſt & ægros feliciter jugulat.

Pulvis gemmatus Volkameri ſpaſmum lenit tutius, ſed calculum non frangit.

Abſtinendum a ſalis communis præparatis ſale digeſtivo Sylvii, it. a calidis oleis deſtilatis Terebinth. Juniper. ſuccin.

Aquæ Petroſelini, fragorum, urticæ & ſimilium minus commendantur.

Succus vero urticæ & reliqua tota ſubſtantia cum herbis traumaticis non damnatur.

Aloëtica, Myrrhata & balſamica acriora balſ. Peruvianus aut Copaivæ promovent turgeſcentiam, ardores, ſiccitates oris, ſitim.

Ulceratio Rerum & Apoſtema.

In illa frequentiſſimus tenacis fundum petentis neque tamen adeo multi muci in urina proventus adeſt, impr. autem quod indubium ſignum præbet, ſi ſtriæ ſanguineæ vel cruentus color mucum hunc vel urinam ſimul inſecerint.

Æger non ad decubitum usque graviter afficitur licet dolorem quendam, non tamen exquiſitum in lumbis ſentiat; & incaleſcentia interna hecticode quaſi perpetuo obſidetur.

In apoſtemate vel pus cum urina prodit.

Dolor Inflammatorius præcedens inſignis prodit communiter hanc ſuppurationem cum febre quoque ſatis acuta & æſtuoſa.

Rarius contingit, ut vomica minus ſenſibili doloris impetu erumpat, & craſſam pus in notabili quantitate ſimul & ſemel erumpat.

Quando vero in *ulcus* tranſiit apoſtema vel abrupti grandioris calculi cruenta ſedes, prodit ſe ulceratio talis per tenacem viſcidum mucum, interdum magis vel minus cruentum, interdum vel absque cruoris indiciis.

Veteres *Pituitam vitream* dicebant.

Concurrit perpetuo dolor frequens in alterutro, communiter ſiniſtro lumbo, tanto magis, ſi motum aliquem ſuſceperit æger, præc. lumborum contuſorium.

Con-

Conjuncta ordinarie eſt Hectica febricula, quæ per leves occaſiones externas diæteticas, imo patheticas exacerbatur cum concurrente ordinarie majore impetu doloris & proventu muci cruenti.

Si vero talis quidem mucus tenax excernatur, dolor autem in lumbis abſit, in veſicæ regione plus minus vehemens percipiatur dolor, tunc veſicæ vitium eſt & quidem vel calculum vel ulcerationem aut inflammationem veſicæ ſubeſſe indicio eſt.

Relegantur, quæ ſub calculi hiſtoria præmonuimus, ut hæc rite dignoſcantur.

Et cavendum ne fluxus hic muciditatis cum Gonorrhæa confundatur.

MEMBRUM III.

Uteri hæmorrhagiæ Conſectaria.

Art. 1. Paſſio hyſterica.
2. Fluor albus.
3. Affectus gravidar. & puerar. mola &c.

1.

Paſſio Hyſterica.

SUbjacet huic ſexus fœmininus, rarius virgines, frequentius mulieres a 30 ad 40, 50 annos.

Et notandum, hunc ſexum ab hoc malo longe crebrius infeſtari, quam virilem ab hypochondriaco.

Præter menſium ataxias portam huic morbo aperiunt defectus lochialium purgaminum, ceſſatio menſium poſt 7. ſeptenarium, concurrentibus præc. gravioribus animi pathematibus; in cœlibatu & viduitate nonnunquam conſuetudo, hæreditaria diſpoſitio præc. incontinens libidinoſa animi cupiditas.

Remote diæta lauta, ſicca ſine potu & motu.

Diſcrimen inter hoc & hypochondriacum malum conſtituit.

1. Gradus, dum fœminæ non modo multo ſæpius & numero pluribus inſultibus, multo promtius & ex leviori occaſione; ſed etiam multo citius ſecundum ætatis proportionem, multo diutius ſecundum ætatis progreſſum, denique longe ferocius ab eo percellantur.

2. Lo-

2. Locus & modus ſpecialis, dum in his ad menſtruas evacuationes, in viris ad hæmorrhoidales inclinet.

Ut jam prætereamus cauſæ abſolutæ ſpecificæ in fœm. [a menſium defectu] diverſitatem.

Convenientia vero ut a priori ex communicatione uteri cum ramo hæmorrhoidali & cauſa generaliori commotione ſanguine V. P., ita a poſteriori ex locis affectis ſcil. inteſtinis, ventriculo, meſenterio, hypochondriis diluceſcit.

Conſpirant quoque in utroque ſexu ſymptomata eadem, niſi quod hic etiam nonnulla occurrant virili plane incognita.

Scilicet multo vehementius hic, quam apud viros, ſæviunt circa præcordia anguſtiæ, oppreſſiones, ſuffocationes, inflationes præferoces conatus vomendi.

Qui non raro etiam denique ipſum ſanguinem extundunt ſæpius autem vacui.

Concurrente inappetentia perpetua, imo nauſea aut appetitu vago & frequenter abſurdo rerum inconvenientium alienarum.

In medio ventre jam repentinæ violentæ correptiones preſſoriæ (quaſi duabus manibus raptim comprimeretur hæc portio,) ut propterea tanquam duplicato corporis ſitu ſedere aut jacere cogantur.

Jam correptiones ſuccuſſatoriæ & ſingultuoſæ, (vulgo dicunt Hertz-Stöſſe:) flatulentiæ vagæ, tum ſtatariæ & in loculo aliquo velut volutando oberrantes cum torminibus violentis, (es wältzet ihnen wie eine Kugel im Leibe.)

Ubi alvus non ſicca tantum eſt, ſed penitus ſtricta & conſtipata.

Junguntur reſpirationis difficultates, imo veræ pectoris oppletionis, palpitationis cordis vehementes.

In faucibus ſtrangulationes & deglutiendi vitia etiam citra ullam tonſillarum alterationem ſimpliciter per ipſas fauces & ſincere per oeſophagum.

Caput invadit clavus hyſtericus ſic dictus Sydenhamio, quem D. Stahlius Cephalalgiam Iliaco-hæmatiticam appellat; vulgus autem den Uberfolck, potius Ober-Colic.

Nempe veri inſultus & paroxyſmi dolorum immanium diſtenſivorum (als wenn der Kopf zerſpringen müßte) graviter vellicativorum (groſſes Reiſſen) cum inflatione capitis exterioris quaſi Eryſipelatode & ardore vel algore ſæpiſſime pertinaci circa verticem, comi-

tante

tante vertigine imo mentis interdum & obnubilatione & vacillatione. vid. ſeqq.

Cæterum paſſio hæc ad facilem reditum & conſuetudinem omnia impetuoſiora minantem promta obſervatur.

Cura repetatur ex ſupra dictis ſub M. hypochondr.

Pro retundendo effero impetu Millefolii moderatus uſus cum prudenti ſalium volatilium miſcela plus profuit in hac paſſione, quam vulgus crediderit.

Huc pertinet in ſpecie ſuffocatio & ſtrangulatio uterina & Epilepſ. Hyſt.

In genere de his, jam ſub præc. plurimum interſeruimus, hic addendum *ſuffoc.* & *ſtrangulationem* ſyncopes indolem æmulari, niſi quod ſenſum notabilem compreſſorium modo in præcordiis, modo in faucibus forment.

Habent communiter ſpaſtici ſive tetanodes quid in exterioribus, ut totum corpus ad rigorem magis quam flacciditatem diſpoſitum deprehendatur : vel circa os & maxillas ſpaſtica renitens conſtrictio ſeſe exerat.

Quo magis ſpaſtica hæc pathemata in abdomine inſoleſcunt, eo magis convulſivum genium induunt ; unde cum manifeſtiſſimis ſuccuſſionibus, volutationibus, tranſcurſionibus quaſi reptilibus (als wann ſich ein Wurm oder Schlange fortſchlünge) vibrationibus, micationibus ſeſe ſiſtunt.

Quibus, ſi mentis obnubilatio, patentibus oculis, conſtrictis maxillis ſive ſub ſtrictura agitatis, collectio manuum in pugnos ſuperveniat *Epilepſiæ hyſtericæ* nomen tuetur.

Fluor albus.

Expoſitæ ſunt huic cujuslibet fere ultra pubertatem ætatis fæminæ, magis tamen provectiores.

Exerit ſe manifeſto exitu & madore in vagina uteri ejusque orificio inconſueto mucidæ materiæ;

Quæ ſi ſimpliciter albuginea quaſi limpidior eſt & per ſe niſi ſub labore corporis adeoque genitalium attritu ſimpliciter nequaquam lædat, *ſimplex* benignior eſt.

Hæc vel continue afficit ægram vel ſtatis magis temporibus, idque præc. menſium tempore maxime poſt ceſſantem illorum fluxum.

Patiuntur aut inſtantis fere menſtrui fluxus tempore dolores inſignes, modo circa lumbos & os ſacrum, modo circa ſinum urentes, tendentes, imo quaſi rumpentes.

Durat etiam communiter ſanguinis fluxus per pauciores dies, cui ſuccedit immediate tale profluvium, primis præſ. diebus copioſius, ſenſim iterum ceſſans.

Alius autem eſt *venereus malignior virulentus*, ubi materia fluoris diſcolor eſt, flaveſcens, vireſcens, ſanioſa.

Imo excorians, urens, inflammans & exulcerans tum orificium & labia pudendorum, tum interdum ipſas vicinas & contiguas regiones femoris utrinque adjacentes.

Apparet in hoc præſ. jam diu durante utplurimum decolor & ſquallidus faciei adſpectus; livida oculorum circumferentia.

Concurrente perpetua quaſi laſſitudine & fatigatione totius corporis præc. regionis lumbaris.

Quoad prognoſin ſciendum, primum raro ita invaleſcere, ut inſigne corpori detrimentum inferat, quod tamen magis facit in phlegmaticis, ut pallidæ tumidæ conſpiciantur.

Venereus autem facilius totam M. S. inquinamento inficit, &, ſi ex contagio viri ſit, niſi hic prius curetur, inſanabilis eſt.

Affectus Gravidarum & Puerperarum.

In graviditatis hiſtoria varia ſe nobis offerunt phœnomena.

Mulier ſc. recte ſana ingravidata menſium fluxu deſtitui ſolet, quod quidem, ſi nulla alia dyſphoria comitetur, non contemnendum conceptus ſignum præbet; non tamen ſimpliciter & abſolute, cum & alia morbida ratione ſupprimi poſſint menſes.

Imo quibusdam plethoricis etiam ſub geſtatione vel poſt conceptum diu menſes fluunt, unde calculus illarum ab emanſione menſium ſemper fallit &c.

Proximum locum habet *nauſea* carnium earumque nidoris.

Succedit ventris *intumeſcentia* maxime globoſa circa umbilicum non complanata, ſed ſummitatem totius hæmiſperii efformans, durities æqualis verſus ilia remiſſior, impr. flatibus abſentibus.

Tumor hic conſtans & placide creſcens, pedibus oedemate liberis cum reliqua euphoria dignum edit graviditatis teſtimonium.

Septimana 20. præterita ſenſum *motus fœtus* in utero percipiunt, qui, quanquam obſcuri, non tamen ſubterfugiunt feminas, impr. ſi illos

illos a borborygmis & flatibus discernere doceantur, sicut etiam locus motus fœtus altius sub hypogastrio a flatibus differt.

Dolor a calcitratione fœtus postremis duobus mensibus evenit semper adeo ferox, ut matribus etiam lipothymia impendeat & anxiam querelam imo lachrymas excutiat.

Urina Gravidarum recte sanarum, colore & limpida claritate sanitati respondens, claro loco versus angulum spectatus exhibet atomos subtilissimi pulveris internantis (wie Sonnen-Stäublein) quod tamen etiam in obstructione mensium observatur, quanquam tunc crassiores sint atomi.

Hæc de successu horum legitimo.

Aliis vero & sensibilioribus evenit primis 4 vel 6 septimanis non solum ventriculi perversio & fastidium carnium sed etiam *vomitus*, quod tamen rarissime toto gestationis tempore durat.

Aliis constat *appetitus* ordinarius.

Aliis augescit eximie.

Nonnullis accidit Malacia, aliis pica.

Quibusdam ultimis gestationis mensibus, quando grandior fœtus ventriculi distensionem impedit, a ciborum assumtione oppletio molesta contingit: imprimis a cibis crudioribus, flatulentis, fermentescentibus concoctu difficilibus.

Alvi successus deficit raro quidem ab incumbente uteri sarcina in intestinum rectum, ubi simul etiam tenesmodem & inflationes vesiculares hæmorrhoidum (Mastkörner oder Tack) ardoribus etiam & semper ulcerosa erosione molestissimas experiuntur.

Longe vero familiarius siccior alvus obtingit a parciore potu, desidia, assueta hujus excretionis tarditate, cujus molestiam auget flatulentiæ conjunctio a refrigerationibus &c.

Aliis post aliquot conceptionis menses *fluxus menstruus* prorumpit, imo post medium tempus, licet rarius.

Aliis loco mensium fluor albus præc. illis, quæ antea hoc malo affecti fuerunt, vel jam cum affectis eodem feminis familiarius vivunt.

Nec obliviscenda est *anhelitus difficultas* post cibos vel motus solito majores transitoria, impr. in edacibus.

Item extrema *corporis habitus* extenuatio sub gestatione, quæ quidem cæterum sanæ auctiores edunt infantes.

Aliæ pinguescunt & hæ edunt graciliores.

Nonnullis obveniunt lichenes (Leber-Flecken) in facie & collo impr. circa frontem.

Aliis pallores.

Aliis insoliti rubores cum incommodis internis.

Tumor pedum qui ultra genua vel ad ipsum abdomen non procedit, semper sponte recedit.

Qui vero abdomen invadit, (quod quidem posterioribus maxime mensibus evenit) omnis medicationis est expers, & potius abortum provocat.

Ascitici tumores solvuntur nonnunquam per puerperii purgamenta, nisi phthisis vel hectica jam ante imprægnationem adfuerint.

Si a primis mensibus oriantur, caute tractandi, ne abortus moveatur.

Aliis venarum in alterutro crure inflationes varicosæ sive nodosæ & crispæ, imo totius cruris inflatio subtumida, dura:

Aliis magis phlegmaticis tumor *oedematosus* citra visibiles vasorum inflationes:

Aliis cum tali vasorum infarctu Ecchynomata, sugillationum instar braune und blaue Flecken um solches geäder (fem. vocant ein Kinds Bein), quæ depositio uteri onere evanescunt; quavis vero imprægnatione redeunt & semper extra graviditatem molestæ sunt.

Eveniunt vero a medio ad ultimum gestationis tempus sive partum.

Quibusdam *dolor coxarum*, lumborum & aliis ipsius ventris dolor tensorius, ac si abdomen fissuram minaretur.

In Plethoricis capitis dolores, artuum lassitudo gravativa;

In rheumatico-arthriticis vero occurrunt intensiones tonico-spasticæ rigidæ, ut inde semper paralytodea mala metuantur.

Urinæ semper mittendæ *stimulus* adest vel circa medium tempus vel maxime ultimis septimanis.

Aliæ præter suam indolem, impr. posterioribus gestationis mensibus impatientiores, aliæ ad terrorem, metum, mœrorem promtiores sunt cum speculabundis pensitationibus qualiumcunque molestiarum.

Item feminæ, quæ aliquot proles ejusdem sexus jam gestarunt, si deinde diversi *sexus* prolem concipiant, multo habent incommodius quam a prioribus.

Caterum floridiorem colorem sub gestatione masculi, pallidiorem

rem ſub fœmellæ, illic alacriorem, hic torpidiorem gravidæ animum adeſſe admodum incertum eſt.

Et referunt feminæ, quod ſi prægnanti macula conſtans valde rubicunda ſit, ſemper inſigni incremento ad inflammatoriam & abſceſſoriam alterationem, ſed ſegnius tamen prodiens, illa pro indicio maſculi foetus haberi mereatur.

Item *Gemellos* geſtari, ſi per longitudinem lineæ albæ fuſca linea appareat, vel venter in medio planior, ad latera magis protuberet;

Quod quanquam utrumque aliquando contingere certum eſt, tamen nec ſemper fit, ſed etiam a concrementis aliis juxta foetum fieri poteſt.

De diverſo foetus ſecundum ſexum ſitu in alterutro latere in animantibus quidem multiparis, bicornem uterum habentibus, non omnia de nihilo ſunt; ſiquidem ſemper in dextro cornu mares, in ſiniſtro foemellæ locati reperiuntur.

Altiore tamen opus eſſet indagine.

Terminus *partus* legitimi felicioris incidit poſt ambitum 40 ſeptiman: ſecundum univerſalem experientiam, certius computandum ſi ab eo tempore, quo primi motus foetus ſentiebantur, 20 ſeptim. præterito tempori addamus.

Foetus 7mo menſe excluſus differt & teneritudine & aliquarum partium v. g. unguium manifeſta imperfectione.

Sanarum mulierum partus 8vo menſe adeo eſt rariſſimus, ut niſi prorſus indubia proferantur exempla, nemo adſtringi poſſit ut credat, in præſente aliquo ſubjecto talem eveniſſe.

Ubi vero ſanitas matris aut foetus debilitatur, tunc præternaturalis partus utique evenire poteſt.

De Habitu ad abortum notandum.

Quod ſanæ fœminæ v. g. ruſtico-mercenariæ, militares & temperatæ aliæ atque æquioris animi multa tolerare poſſunt ſine abortu.

Senſibiliores vero plethoricæ eidem e leviſſimis cauſis primis maxime menſibus expoſitæ ſunt.

Primum inter has locum tenent terror vehemens ſubitus, Iracundia, debilitas foetus aut etiam mors; tum vomitiones earumque conatus enormes, conatus dejiciendi torminoſi, ſpaſtici, teneſmodes, clyſteres ſtimulantes, fluxus alvini long. lienteriodes, item diæta ſpirituoſa, aromatic. veneris incontinentia.

Et ſane, ſi hic foetus parum fuerit maturus & illæ proxime iterum concipiant, plerumque circa idem tempus ſive eandem geſtationis hebdomad. denuo ab eodem tentari ſolent.

Nullo vero tempore facilius fit abortus, quam illis diebus aut ſeptimanis, quibus alias præſens gravida menſtrua ſua paſſa eſt, impr. ſi hæc ſtata fuerint.

Sub ipſa hujus excluſione partim dolores & ſpaſmi uteri ſunt leviores, obſcuriores, imo ſegniores, partim fluxus ſang. præ vero partu intemperantior eſt, & utrumque eo magis, quo minor eſt fœtus.

Obſervantur etiam corpore & animo torpidiores abortientes quam parientes, ita ut vel ad ipſas lipothymias magis propendeant.

Foetuum jam adultiorum abortus præſagit ſucceſſuram ſterilitatem.

Ad præcavendum vero abortum jam aliquoties factum repetita V. S. profuit.

Molæ Hiſtoria eſt, quod

Concrementum tale irregulare membranaceum fibroſum, rarius carnoſum, non cum foetu ſed ſolum geſtari ſoleat; ſi vero ſimul geſtetur, partum difficiliorem reddit & exitum ſemper intempeſtive maturat.

Junioribus plerumque decedunt facilius & ultra annum non multum durant.

Annoſioribus vero multo diutius inhærent, ut cum illis ſæpe commoriantur, poſtquam 2, 3, annos & ultra illas obſederant.

Qualia exempla vide apud Maronum, qui & exempla vivarum monſtroſarum, maleficarum quaſi molarum habet; quæ fœtum etiam enecare cenſeantur, roſtro ac unguibus conſpicuæ, *Fratres Lumbardorum* dictæ.

Sæpe oriuntur a prægreſſo abortu impr. valde immaturo, & ſecundinis inde non exquiſite expurgatis.

Circa dimidium geſtationis tempus non verus fœtus motus percipitur, ſed potius palpitationes lenes, interdum autem ſenſationes obſcuræ diu usque ad partum continuantes ſub decubitus mutatione ex uno latere in alterum veluti pondus vel moles in hypogaſtrio eodem volutari ſentiatur.

Pathemata gravidis conſueta hic quoque familiarius occurrunt poſt dimidium geſtationis tempus præc. increbeſcentia.

Con-

Concurrunt irregularis fluxus uterinus tota geſtatione intercurrens cum inflatione a primis inde ſeptimanis ſpaſtica; inſolitæ ex utero emanationes, fæminæ taciturnitas, anxiæ penſitationes.

Abdominis turgeſcentia hic eſt planior & verſus hypochondria latior eſt & alio tempore plenum atque diſtentum, alio iterum flaccidum & quaſi dimidia parte vacuum: ſentitur etiam minus ordinarie pondus verſus infimam abdominis regionem.

Tanto certius mola adeſt, ſi vel ultra juſtum tempus remoretur partus, vel hoc tempore dolores vel plane nulli vel vagi inconſtantes, quin plane evaneſcentes contingant, abdomine in antiquo ſtatu relicto.

Superfœtatio a cohabitatione ſub tempore graviditatis oriunda, rarius accidit; quin etiam utrique fœtui, tam grandiori jam, quam ſuperinducto recentiori abortus periculum impendeat; ſed prior ille, valde tranquillis ſucceſſibus ad juſtum partus tempus pertingat.

Certo autem imminet recentiori conceptui cum maturo alterius partu abortus.

Rariſſima eſt omnium, recentioris poſt editum grandiorem recentio & ad juſtum usque tempus geſtatio adeoque vitalis partus.

Nævi materni.

Hos nuda matris fictio aut imaginatio æſtimatoria falſa ſæpe producit, diſſolutione ſtructuræ prioris legitimæ & novæ transmutatione.

Fiunt autem hi maxime a medio geſtationis tempore usque ad partum, ut etiam paucis ante partum diebus talis aliquando contigerit deformatio.

Nævi magis ſuperficiales quamvis prolixi v. g. ab igne aut ſanguinis repentino terrore (Blut- und Feuer-Mahl) quin etiam aliquando protuberantes, fructibus horreis, muri, cancro, ranæ ſimiles; diſſolvi poſſunt recenti ſanguine lochiali vel ſtatim poſt partum matris vel aliarum puerperarum.

Præc. ſi ſubjectum nævo affectum ſit tenerioris ætatis & longius adhuc a pubertate diſtet, quanquam neque hæc periodus adhuc in ſenſibilioribus maxime omnem diſſolutionis ſpem excludit.

Febres gravidarum.

In genere non ſunt adeo periculoſæ, ſi modo leniori methodo tractentur,

Inter-

Intermittentes ſunt in his contumaciores, ſed modeſte tractatæ parum periculi habent; turbulentæ vero cauſa non ſublata ſuppreſſæ non ſolum ad acuta ſchemata inclinant, ſed ad recidivas poſt partum etiam.

Acutæ ſemper periculoſæ ſunt, ubi excretio diapnoica, temperatio conſervanda.

Ingruit per has febres periculum abortus & per evacuationes ſanguinum una contingentes periodi morbi totius everſio.

Hic fœtus roboratio neceſſaria, ſed apage balſ. Embryon. & adſtringentia, quæ abortum magis provocant.

V. S. præſervat a febribus hiſce, in ipſis febribus exulet.

Quemadmodum autem *vigor fœtus* cognoſcitur ex motu ejusdem non ita raro ac vegeto, matris ſanitati juncto. Et contra *Debilitas* ex rariore obſcuro motu & flaccida fœtus vacillatione quaſi ſub decubitus mutatione ponderis inſtar in alterutrum latus volvendi tum etiam mammis prægnanti auctis & lac præbentibus, ita hic loci quoque delibanda videtur,

Hiſtoria fœtus mortui.

Scilicet poſt vigeſimam ſeptimanam, ubi jam vitæ indicia dedit.

Occaſionem hic ſuppeditare ſolent animi pathemata graviora, Ira, terror, mœror, item phantaſtica matris imaginatio ſeu impreſſio vel morbida imbecillitas vel male ſuccedentes dolores in partu.

Si itaque fœtus tenerior languide defungatur,

Accedunt matris extraordinarius languor & virium dejectio, horridula etiam *ἀταξία* cum valde volaticis ardoribus.

Junguntur item capitis dolores ad vertiginoſas usque perturbationes;

Animi & præcordiorum anguſtiæ, appetitus vitia.

Mammarum quoque flacciditas & lactis in illis tenuioris viſibilis præſentia.

Nullus amplius fœtus motus & ventris ad inguina velut delabentis & cum flacciditate quadam ita quaſi pendentis, inſolitum onus;

Ante omnia ſenſibile illius regionis frigus.

Quæ omnia in tenerioribus graviora ſunt, breviusque increbeſcunt, ſemper ad lipothymiam usque cum vario & vago caloris colorisque ſtatu,

Ubi vero fœtus grandior & partui jam vicinior repente interit imprimis ſub ipſo partu, inhorreſcit fæmina, ut etiam febrili frigore & horrore correpta videatur.

Vires animi & corporis fatiſcunt velut in momento, ſuccedunt anxietates, vertigines, lipothymiæ.

Dolores ad partum rari, debiles, breves revertuntur, imo vel plane evaneſcunt.

Imprimis autem refrigeſcit communiter magnopere regio infima abdominis ſupra pubem & nullus amplius ſenſus cujuscunque motus fœtus percipitur.

Imo magis magisque corpore & animo langueſcens fæmina ſuæ quoque mortis metum & eventum ſubit.

Partus ipſe hujus mortui fœtus difficillime ſuccedit ob matris debilitationem, dolorum ſeu ſpaſmorum raritatem, ceſſationem.

Ex his facile prognoſis formatur.

Scilicet niſi quantocyus ejiciatur, energiam ad excluſionem defecturam cum reliquis viribus, lipothymiæ & vitæ periculo.

Et ſi fæmina robuſtior ſit, fœtus autem cum ſecundinis non excludatur aut decenter educatur, computreſcendo graviſſima pericula, febres anomalæ mali moris cum ſumma debilitate, deliriis, convulſionibus, inflammationibus, accedunt.

Et ſi hæc quoque ſuperet ægra, hectica, cachectica, Chronica mala ſuccedunt.

Quoad therapiam promovenda mature excluſio, cum expellentibus magis fidis, hepate anguillæ, borace, jungendo analeptica.

Et ſi ob virium & dolorum partus plenarium defectum ſpes excluſionis nulla ſit, manuali extractioni chirurgicæ inſiſtendum; & ſi nec huic locus ſit, putredine incipiente omni) ſunt difficillima, uti diximus.

Partus.

De termino hujus jam ſupra quædam memoravimus.

Hic addendum.

Quæ ſtatum habent menſtruum tempus, ſi medio geſtationis tempore motum fœtus notarint & inde 20. ſeptimanas numerarint & harum finis non in conſuetum menſtruum tempus incidat, ſed proxime ante harum ſeptimanarum finem tempus illud cadat; ſciant (præcipue ſi in novi aut pleni-lunium menſes incidere ſueverunt) partum ipſis maturiorem expectandum.

Si vero tempus hoc menſtruum ultra dictum terminum ſe extendat, tunc adhuc tantiſper expectandus eſt.

Et quo magis pariendi tempus menſtruo tempori conſueto ſeſe accommodat, eo facilior promittitur partus.

Quæ vero ſtatum menſtruum tempus non habent, imo vel ſolum a phaſibus lunæ potioribus alienum, nihil exquiſite poſſunt expectare, nec tamen inde debent trepidare; ſed ſi ſanæ ſint, vel etiam motum fœtus percipiant, de partus ultra terminum tarditate ne metuant.

Partus plenilunio proximi familiarius difficilius ſuccedunt, ſed & minus frequentes ſunt, imprimis junioribus, ſiquidem has magis & melius luna decreſcente ſeu a novilunio purgari non vana eſt obſervatio juxta verſum:

Luna vetus vetulas, purgat nova luna puellas.

Languens vero fœtus maturius excluditur.

Appropinquantis diſpoſitionis ad partum a pluribus diebus ſignum eſt molis abdominis, prægnanti plane ſenſibilis inclinatio ad hypogaſtrium ſeorſim, dicunt: Der Leib habe ſich geſencket.

Exiſtit præterea, imminente partu, innominata fæminæ animi magis quam corporis anguſtia: partim dolor quidam, ſed neque ipſe determinatus in principio, circa præcordia, lumbos, hypogaſtrium.

Dolores vero *directi* ad *partum* (Kindes-Wehen, rechte Wehen,) differunt omni modo ab omnibus torminibus inteſtinalibus, dum veluti a lumbis incipientes ad ſinum progrediuntur.

Tormina vero interdum concurrentia epigaſtricam magis regionem infeſtant a veris doloribus ſenſibiliter diſtincta. (wilde Wehen.)

Veri dolores deficiunt, interdum in Energia ſua vel nimis rari ſunt vel breves & volatici;

Vel mox ab initio crebri & breves, ſucceſſive vero magis magisque fatiſcunt, maxime, ſi tempore neceſſariorum ultimorum niſuum ceſſant & emanent.

Vel ſi ſolum fuerint nothi & ſpurii, puerperam irrito fatigantes, aut ſi niſus parturientis & abdominis compreſſiones perverſe & inordinate adhibeantur & ita directos ad partum dolores magis turbent.

Si immoderato ejulatu & quiritatione vel etiam inauſpicata tuſſi ſpaſmi ad interiora directe diſtrahantur & verſus ſuperiora revocentur, ut vehementer cephalalgias inducant, daß ſich die Wehen in die Höhe ziehen, nicht aufs Kind arbeiten und gehen.

Fru-

Fruſtra vero eſt omnis dolorum apparatus, niſi *apertio orificii uteri* ſoli obſtetrici perceptibilis (daß ſich der Leib gebührend eröffnet) vel præceſſerit vel ab his doloribus promoveatur, quod niſi fiat, partus vix promtus ac facilis expectandus eſt.

Si reſeratio illa ad thaleri magnitudinem & latitudinem facta ſit & convexitas capitis fœtus aperturæ uteri non tantum immineat, ſed etiam quadantenus promineat; vocant: das Kind ſeye recht eingetretten.

Ubi quidem altero vel tertio vividiore ſpaſmo ſemper totus fœtus ſuccedit, ad minimum ejus progreſſus contingit, das Kind rückt herbey.

(Ubi quidem cavendum, ne imprudentes obſtetrices judicii ſecundum tactum inſtituendi minus compotes verum ſitum pro falſo incuſent.)

Nunquam autem procedit partus.

Niſi *ruptura ſecundinarum* facta ſit, ſicut etiam imperita eſſet obſtetrix extra hanc exquiſitum de ſitu fœtus judicium formatura.

Legitime vero ſecundinarum ſpontanea expectatur ruptio, nec decet illas acicula vel unguibus aperire: quia ſpontanea ruptura late dehiſcit & juſtum fœtui exitum præbet.

Exitus fœtus præter ſpaſmorum & niſuum providam adminiſtrationem adjuvatur imprimis in ultimo molimine, ſi ſub regione incipientis oſſis ſacri ſuſtentetur quocunque fulcro vel forti manu ſuppoſita, ut leviter antrorſum tollatur puerpera.

Exitus ſecundinarum.

Nempe omnibus ſuccedentibus, ruptis ſecundinis & effuſo in illis contento liquore erumpit fœtus funiculo umbilicali cum ſecundinis adhuc connexus;

Quarum etiam excluſio paulo poſt, ſi cætera ſint legitima, ſatis tempeſtive & commode ſuccedit, repetitis levioribus doloribus, quos etiam puerpera leni tuſſi adjuvare poteſt.

Ita quidem omnibus his rite procedentibus, ſolet obſtetrix ipſum infantem tantiſper in gremio ſuo linteis vel culcitris bene calentibus involutum ſervare & *a ſecundinis ſeparare*;

Ita ut funiculum umbilicalem ad largæ ſpitamæ longitudinem a corpore fœtus reſecet;

Poſtquam antea ſanguinem e funiculo leviter verſus & intra corpus infantis repreſſit & funiculum proxime ante ſectionis locum verſus infantulum filo conſtrinxit;

Tandem autem etiam propius circa abdomen fœtus ad largi pollicis vel duorum transverſorum digitorum largiuſculam menſuram novam inſtituat ligaturam & denique ſuppoſito mundo ſicco linteolo funiculum hunc ſpiraliter compoſitum peculiari faſcia obliget.

Quantocyus poſt partum puerpera in lectum bene calefactum collocatur (niſi enim hoc fiat, & illa nimis diu extra lectum tota ſuperne ſudore, inferne ſanguine & ſecundinarum liquamine madens refrigeſcat, facile in febrilia, ſpaſtica, torminoſa, flatulenta mala incidit, unde conclave etiam bene calefactum ſit.)

Abdomen etiam mantili latiori bene ligatur, ne flatibus vel inordinato ſanguinis fluxui occaſio ſit.

Si jam quieta ſit puerpera, teneriores etiam ſermoni parcant, fluit temperate atque modice ſanguis, quem *Lochiorum* nomine ſalutant.

Hic fluxus largior procedens imprimis cum majoribus ſpaſmis poſt partum durantibus, Nachwehen, ſolet ſemper grumos formare integros, ſpaſmis hiſce ejiciendos.

Interim ſecundum proportionem habitus puerperæ præſtat & tolerabilior eſt mediocris exceſſus, quam notabilis defectus.

Legitime vix intra 14. dies ceſſant penitus, quamvis non totò hoc tempore ſanguis fluat, qui rarius ſeptimum diem tranſit, ſed poſt ſincerum ſanguinem ſeroſitas ſeu ichor magis magisque palleſcens tandem quantitate quoque indies decreſcens plane deſinit.

Si vero perperam procedant vel intempeſtive ſupprimantur, non ſolum omnibus hæmorrhagiis communia incurrunt damna, anguſtias ſcilicet circa præcordia & ſpaſticos varios circa abdomen effectus, ſed & certius quam in alia hæmorrhagia febriles exæſtuationes & uteri inflammationes.

Plura de his ſuppeditat ſupra Tit. Lochiorum ſub hæmorrhagiis.

De reliquo omnes fere puerperæ, præc. autem ſub partu durius habitæ primis diebus ſolent eſſe ſiticuloſæ; idque quo magis evenit, eo parcius etiam & levius dormire; nempe febrile quiddam ſubeſſe omnes circumſtantiæ monſtrant.

Lactis emerſuri conamina ſentiuntur mox poſt editum partum attentis fœminis plane ſenſibilia.

Indicio eſt humoris tenuioris in mammas penetrantis & non

ita

ita parce emulgendi præsentia scil. sero lactis turbidiori similis, *colostrum* dicti.

Tertio vero demum aut 4to die inclinante subsequitur veri & sinceri magis lactis proventus.

Corripiuntur moliminibus constrictoriis circa scapulas & humeros, imo ad cubitus, manus, digitos exporrectæ visibilis strictura.

Et sub his multiplicibus & repetitis horroribus, quos inde Milch-Schauder appellant, sie sehen blaß aus, ihnen ist kühl, kalt, es komt ihnen über die Achseln gezogen wie Stricke.

Concurrunt compunctiones acutæ sed transitoriæ per mammarum meditullium.

Mammæ turgescunt, indurescunt, impr. tamen circa ipsum meditullium ; & nisi tempestiva modesta pressione atque frictione juvetur distributio ab intimioribus æqualiter versus exteriora, facile inde evenit induratio nodosa maxime in primiparis, optime habitis & nutritis.

In sensibilioribus accidit interdum, ut ex auræ lenis illapsu vel solo pudore extremæ mammarum partes cito stringantur atque obstipentur, ut nihil lactis illo tempore vel sugendo vel emulgendo dimittant, quod tamen cito remittit, lactisque progressus restituitur molli excutia, mit einer Sammet-Bürsten, mammas fricando.

Nota est repentini terroris energia, qua tam alii humores quam ipsum lac cito repellitur ; unde disjectis tenuioribus partibus, crassiorum condensatio & coagulatio & hinc nisi discussione mature præcaveatur, corruptio contingit.

Ipsæ fæminæ ab hac retropressione lactisque impedito progressu sentiunt sensum lancinantem peracutum, quod exprimunt : es seye ihnen, (nempe in terrore) wie ein Messer durch die Brust gefahren.

Quo diutius *nodi* tales *mammarum* duri doloribus ardentibus, frementibus, interlancinantibus nunc & tunc affligentes, citra actualem exulcerationem hærent ; eo pejorem denique formant corruptionem & quidem certissime cancrosam, si per aliquot mensium spatium, antequam corrumpuntur, moram trahant.

Cancri occulti tunc nomine veniunt, qui tamen etiam absque prægressa lactis coagulatione atque stasi interdum oritur a compressione, contusione, punctura mammarum, uti latius hæc explicavimus supra sub Tit. Cancri.

Hic obiter notandum eſt, rarius occurrere initium hujus affectus abſolute tacitum, niſi forte ex taciturnitate patientis, cui neque indicare veras circumſtantias neque confiteri expediat.

Fit enim ut clam gravidæ abortum, impr. per violenta artificia pharmacentica, expertæ neque de ſtatu mammarum atque lactis hoc tempore ſive monitæ ſive memores initia hujusmodi malo præbeant.

Quale quid certe non raro evenire juſta eſt ſuſpicio, ubicunque perſonæ extra matrimonium ſcirrhis talibus profundius hærentibus & grandioribus affectæ occurrunt.

In ſubjectis tamen phlegmatico-ſanguineis, plethoricis & quæ horum eſt indoles, ad terrorem admodum propenſis, poteſt etiam hoc contingere extra ejusmodi ſuſpicionem, quod tanto magis ita omnino interpretari convenit, quoties minoris & ſuperficiei propiores ſcirrhi tales obſervantur.

Qui conſpici plane poſſunt ſunt moris eo pejoris, quo magis varicodem vaſculorum circumjacentium faciem exhibent, quo ſæpius, fortius & diutius dolent; quo altius ſenſus doloris ad meditullium mammæ penetrat.

Parturit hic *cancrum ulceratum*, ſed refer huc, quæ diximus, in ſuperioribus de hujus atroci indole.

Papillarum etiam ut ſemper potius humidulæ ſint quam ſiccæ, ratio habenda, dum alias facile fiſſuris afficiuntnr cum ingenti dolore & moleſtia.

De cætero *lactanti puerperæ fluxus menſtruus emanet*, niſi quidem admodum ſit plethorica, imo ne tunc quidem vix obtingit;

Sicubi tamen eveniat, infantes inde ſenſibile incommodum experiuntur, imo ipſa mater in genere horridas quasdam ſenſationes, laſſitudinis & tenſionis quandam ſpeciem.

Quæ vero non lactare vel volunt vel poſſunt, omnino reditum hujus evacuationis experiuntur.

Notandum interim, quod illæ fæminæ, quæ & plethoricæ & ſatis ſanæ proximo quolibet a puerperio tempore, antequam ipſis menſes ſemel vel iterum reciderint, mox denuo imprægnantur, illo tempore incommodius geſtent, niſi ventilatione ſibi ſubveniant, quo ſubſidio hæ magis quam ullæ aliæ indigent præſentiſſimum inde commodum ac utilitatem capturæ.

HI

HISTORIÆ MEDICÆ

Sectio Tertia

Hiſtoria Morborum Lymphalium.

Cap. I.

Hiſtoria oedematis.

SUccumbit huic habitus communiter eminenter phlegmaticus utriusque ſexus a ſuppreſſis menſibus, hæmorrhoidibus aſſuetis &c. ut cauſa interna.

Præcipuæ externæ ad hoc inducendum cauſæ exiſtunt 1.) penitior & diuturnior perfrigeratio artuum maxime pedum, & quidem impr. cum humiditate conjuncta.

Hinc fœminæ in lavandis linteamentis aut in profluente elutriandis, nimis diu cruribus aquæ immerſis, id ſæpe incurrunt.

2.) Diſcuſſiones e tumoribus etiam calidis diffuſis (phlegmone veteribus dicta, imo eriſypelate non nimium fervido) ſanguineæ ſubtilis portionis, remanente ſeroſo-lymphali neque deſerente infarctum.

Ubi exempla oedematum proſtant a ſpiritu vini camphorato velociter diſcutiente his applicito remanentium.

3.) Nec vanus eſt Paracelſus, quod vulneribus oedema ſupervenire aſſerit, ſi nimia refrigeratione [artificiali potentiali] inconvenientius tractentur.

[Ubi tamen abſtrahendum eſt ab illis tumoribus inflammatoriosuppuraſcentibus, qui ex intercepto ſanguinis libero commeatu, aliquando in vicinia vulneris contingunt.

Niſi quod hi ipſi non ſuppuraſcentes in oedema abeant.]

In genere vero non æque evenit, ut circum ipſum vulnus oedematoſus tumor cooriatur; longe magis autem e qualibuscunque Phlegmonódesi collectionibus.

4.) Peculiaris autem plane eſt in hoc genere congeſtio illa phlegmonodes & œdematodes, quæ febrili apoſtaſi nunc ad utrumque nunc ad alterutrum pedem diffunditur.

Ali-

Aliquando brevi quodam impetu circa ipſos dies criticos: aliquando tardius & languidis ſucceſſibus.

Quæ tamen phlegmonodea oedemata, ſicuti contumaciſſima communiter fiunt, ita habent fomitem plerumque profundiorem & hydropicæ indoli propiorem.

Quamvis autem quæ febribus hiſce acutis accidunt, oedemata a cæteris differant rubore perpetuo & calore paroxyzante; non ſolum tamen mollia ſunt, ſed etiam facile per nudam ſubtilem diſcuſſionem ſang. partium, ſinceram oedematis faciem induunt.

In ſpecie Stahlius obſervavit, a Spiritu Cornu Cervi, quo promiſcue & unice utebatur Medicus quidam in febribus acutis oedemata pedum.

Ex aliquot exemplis Stahlius comperit a ſcabie improvide cohibita per ſulphurata pinguia unguenta oedematoſam totius corporis contigiſſe inflationem &c. it. ſudatione ſcabioſorum oedemata unafariam oriri notum eſt experientia.

Dantur & exempla, ubi ſ) a nimis diuturna tenſoria preſſione femorum, crurum intercepto libero humorum refluxu.

Et 6.) a diuturna equitatione ſuper equum lati admodum dorſi.

Cæterum oedemata ab internis cauſis ſubnata deteriora ſunt illis, quæ manifeſtius ab externis oriuntur.

Fit autem inflatio communiter ſatis larga partis alicujus familiariſſime pedum atque crurum ſine dolore, colore imo ſine quocunque præternaturali ſenſu;

Niſi quod in malo valde prævaleſcente tenſio interdum ſentiatur notabilis; gravitas non a nudo ſenſu ſed a pondere potius pendet.

Eſt etiam ſine rubore, potius cum pallore hic tumor.

Laxus quoque atque ita mollis, ut digito preſſus ſubſideat & ſcrobiculum in loco preſſo relinquat, quæ ſenſim demum explanatur.

Adeſt & partis ſenſibile frigus ad tactum, licet æger nullum ibi frigus moleſtum ſentiat.

Cæterum artus oedematoſos nec extra lectum perpetuo & inſigniter frigere, nec in lecto conſtanter & notabiliter calere bonum præbet indicium.

Alvi vagi motus ſunt, ſedentibus vel jacentibus communiter ſegnior, erumpentibus nunc & tunc diarrhæis impr. ex victu difficilioris coctionis.

Quo

Quo diffusius est oedema, eo evidentiores mutationes sese exerunt in urina, certissime, quando ascites concurrit.

Est vero urina hic vel constanter admodum pallida, vel obsoleto inter aurantium & floridum cervisiarium dilut orem quasi medio rubore imbuta & crassa.

Utrinque magis pauca & rarioris atque parcissimæ emissionis, assumtorum liquidorum quantitati sæpe vix sub sextupla proportione respondens.

Si ad summum pervenerit, nitet præ nimio infarctu cutis & tunc quidem ad minimum hinc inde ruffescit, ita ut vascula sanguifera multa tenerrima etiam in conspectum veniant;

Sequitur tunc facile sensus vehementis ardoris non tam superficialis sed intimior, qui sane, si acuta febris vel hectica exacerbata concurrerit, Gangrænodem corruptelam, sphacelum, mortem minatur.

Quamdiu hujusmodi tumor solum pedes, crura, femora, coxas, occupat, retinet simplex nomen oedematis; quando vero abdomen simul notabiliter intumescit, hydropicus tumor indicatur.

Quamdiu valde quidem est conspicua sed mollis tamen & satis laxa adhuc inflatio *Leucophlegmatiam* appellant.

Per universum vero corpus excurrens & tanto infarctu habitum omnem tumefaciens, ut hic niteat & veluti rupturam minetur, *Anasarca* dicitur.

Oedematosi hi tumores & omnino quidem valde capaces atque insignes a discussione sui membrum obsessum sæpe ita relinquunt, ut hoc totum subsideat, redundant autem ad interiora viscera, unde inflatio abdominis aut ad minimum hypochondriorum & præcordiorum, imo non ita raro verus hydrops.

Maxime omnium sensibilissimi sunt habituales & quidem, si per apostasin post febres efformati firmam in membro aliquo sedem fixere.

Hos impr. per externa remedia dissipare posthac tam alienum est & malæ fidei, ut etiam sponte sua & tacite quasi disparendo certum gravioris morbi periculum creent serius ocyus subsecuturi.

Hydrops.

Caput. II.

Hiſtoria Hydropis.

Eſt vel Univerſalior vel Particularis.

Ille, quem hic loci conſiderabimus, vel in totum corporis ambitum ſe diffundit, *Anaſarca* vulgo dictus.

Vel inferiorem corporis regionem exteriorem, ſimul tamen etiam interiora abdominis occupat, *Aſcitis* nomine.

(*Tympanites* autem tam a priori, cauſarum & materialis conſtitutionis veræ, quam a poſteriori medicæ tractationis intuitu diverſa huc non pertinet.)

Rara autem cum ſit Aſcites, frequentior tamen obſervatur quam Anaſarca.

Differunt quoque cauſis, cum hæc non pariter ac aſcites a ſuppreſſionibus hæmorrhagiarum ac febrium inducatur.

Subjectorum hujus morbi hiſtoria ſuggerit complexionem magis phlegmatico-ſanguineam, ætatem non infantilem atque pueri-lem (hæ enim penitus ab Aſcite exemtæ ſunt, propiores ſed raro, anaſarcodi tumori ab ulceribus ſcabioſis retropulſis, vel etiam hydrocephalo.)

Neque adoleſcentem; ſed juvenilem & conſiſtentem fæminini præc. ſexus; tum etiam virilis conſiſtentem atque ſeneſcentem ætatem.

Cauſas damus 1.] abundantiam ſanguinis craſſi ejusque congeſtoriam reſtagnationem circa V. P. 2.] Potuum, thermarum, acidularum ingurgitationem intempeſtivam. 3) Venena. 4.] In gravidis nonnunquam ex divaricatione venæ cavæ vel rami iliaci in hac parte factum decubitum.

5.] Podagram item ſcabiem ad interiora inauſpicato retropulſam; In aliquot ſubjectis præc. teneris Stahlio obſervare contigit ex ung. ſulphuratis & valde pinguibus cum regimine calido imo moderatis talibus, eveniſſe inflationem corporis revera anaſarcodem cum appetitus, virium, reſpirationis vitiis. Idem in tali caſu ab horum uſu in ſe expertus eſt.

6.] Hæmorrhagias enormes, invadente frigore & ſubſidentia vaſorum, viſcerum, præc. ſi per adſtringentia augeatur.

7.] Men-

7.] Menſium & hæmorrhoidalis fluxus periculoſam ſuppreſſionem præc. in plethoricis & largæ eruptioni ſanguinei adſuetis, uſitatiſſime.

Sicuti etiam ex motus hæmorrhoidalis temeraria cohibitione ſæpe evenit.

8.] Metaſtaſes febriles ab externis læſionibus, frigore, Eriſypelate, luxatione.

9.] Febrium inconvenientes adſtrictiones per Chin-chinam, varia Martialia, imo quercus cortices, quinquefolium, &c.

Siquidem frequentiſſimos hydropis caſus per aliquot hinc annos in Anglia obſervatos; vid. M. Liſterus in Exerc. Pract., non tam ex ſpirituum ardentium, (quanquam & hi aliquid conferant, licet rariſſime omnium, ut in Polonis, Ruſſis, apparet) quam corticis Jeſuitici in febribus abuſu illic locorum familiari veroſimillime licet derivare.

Unde quidem primo pertinax alvi adſtrictio, quæ hoc remedium etiam in longum ſubinde tempus proſequitur, tum mitiores ſtipationis hujusmodi in viſceribus & hypochondriaco-hepaticæ turbæ, ut tum alias anguſtias per hypochondria, tum imprimis a cibis aſſumtis in dextro hypochondrio ardores, dolores, preſſiones, anxietates, phlogoſes & rubores faciei, vertigines &c.

In aliis plethoricis, quibus febre nihil imminuta inſtante paroxyſmo exhibitus eſt, & hæc mala & hydropici tumores.

Aſcites incipit ſæpe a tumore pedum magis magisque per femora ad abdomen aſcendente, imo & genitalium.

Oedemata talia ſubſiſtunt cum inſigni pertinacia, & licet calore ſæpe diſcutiantur, nihilominus tamen facile redeant.

Diſparent ſæpe ſed cum inflatione dura abdominis inſequente cum anxia auguſtia, alvi obſtructione, doloribus colicis, ſymptomatibus febrilibus, appetitus proſtratione & virium, vomituritione, ſiti &c. quæ omnia oedematibus revertentibus miteſcunt.

Quo magis hic affectus cum abdominis diſtenſione invaleſcit, eo magis cadunt vires, appetitus, corpus ſuperius contabeſcit, augetur ſitis, febris, tuſſis ſicca &c.

Alvus hydropicis eſt liquida & mucida, mollis & lubrica: deficit rarius, cum omnium ſymptomatum exacerbatione; ſæpe etiam eſt aquoſa, conſtante robore viribusque utilis eſt.

Urina præter proportionem ad potum parciſſime procedit, per

initia

initia valde tenuis & aquoſa ; ſucceſſu temporis demum ruborem & craſſitiem induens, ſine tamen notabili in defunctis renum vitio.

Diſſecti poſt mortem exhibent inſignem humoris quantitatem in abdomine, rarius ſacculis quaſi incluſam.

Viſcera abdominis conſiſtentia, colore, magnitudine, ſunt læſa impr. hepar & lien, glandulæ meſeraicæ.

Et quidem hepar aliorum conſpicitur condenſatum & velut exſiccatum aridum & durum (aridum & nigrum etiam in tympaniticis) præc. illorum, qui a ſpirituum ardentium abuſu it. ab immodicis adſtrictionibus (niſi quidem adſcito mox per febrem concurſantem hecticam potu copioſo, diverſum evenerit) ſimpliciter hoc malum incurrerant.

Hi plerumque in affectum hunc devoluti ſunt a copioſo potu qualitercunque generoſo.

Aliorum hepar eſt enormiter expanſum nimis magnum non inflatione aliqua aquea, ſed mutata reapſe textura, ut glandulæ ipſius lentium æquent magnitudinem & fibroſa ſtamina inter ſe ſatis laxe connectantur.

Glandulæ meſeraicæ communiter eximiæ ſunt duritiei, magnæ quoque licet non ubilibet, interdum coloris vehementer nigricantis & ſanguini grumoſo ſicceſcenti geminæ.

In prognoſi univerſaliores tumores cachexiæ, Leucophlegmatiæ & anaſarcæ melioris ſpei ſunt, quam aſcites, viſcerum enim obturatio immediate malum eſt, cum externi ſcirrhi difficillime emolliantur,

In *Therapia* docet hiſtoria hæc:

Correctioni humorum & viſcerum reſerationi opitulantur nec ſalia alcalia fixa volatilia, nec ſpirituoſa, nec lignoſa.

Aromatica febriles exacerbationes augent, & ad hecticas indurationes magis diſponunt.

Zingiber eſt corrigens materiæ ſpecificum,

Ex antiſcorb. præc. raphan, armorac.

Ex amaris abſinth. Centaur, &c. rad. ari, vincetox. Helen. Petaſ.

In junioribus, malo minus inveterato magis anaſarcode quam aſcitico proſunt ſpiritus lumbricor. nitrum cum arcan. duplic. in phlegmaticis amara, aromatica, in ſanguineis temperata ſalina.

In hepatis ſiccitate difficilior adhuc eſt ſtatus, conveniunt humectantia, Bellis, ſapo philoſophicus, vectura, equitatio.

Eva-

Evacuantia ſunt ſem. Carthami, Herba ſoldonella &c. Hydragogum Sylvii. Extr. Panchymagogum Crollii &c.

Diureſis promovetur per nitrum, tincturas tartariſatas. Cantharidum & magis adhuc cryſtallorum lunæ uſus ſit cautus.

Paracentheſis raro neceſſaria, raro boni effectus eſt.

Anima curationis eſt bona methodus & prudens medicamentorum ſecundum diverſos hos ſcopos ſubordinatio.

In fæminis menſium revocatio optimum eſt remedium.

Pellentia vero ſæpe magis opplent.

Hydrocephalus.

Manifeſte in ſenſus incurrit, maxime in infantibus, quibus præ aliis familiaris eſt, quum non ſolum ſuperioris capitis ſupra oculi orbitas ſurſum & impr. occipitis maxime conſpicua imo ſæpe ſtupenda inflatio viſui ſeſe offerat; ſed ſublucida quoque, adhibita præſ. candela, appareat.

Intumeſcit caput in enormem ſæpe molem, in dicta tamen maxime regione, nec occupat ſimul partes alias, ſicut v. g. naſus, labia, impr. oculi ſervant ordinariam ſuam magnitudinem.

Hydrops pectoris.

Uti hic affectus eſt oppido rarus, ita parum aut nihil eſt, quod de illo in medium proferre liceat; cum certis & evidentibus ſignis pathognomonicis deſtituatur.

Quod enim de fluctuatorio motu in thoracis alterutro latere dicitur, cum hoc a ſolius ægri ſenſu pendeat, quo minus ille judicio ſenſuali pollet, eo incertius eſt.

Sicut & ſenſus ille, ſub mutato decubitu in alterum latus, ægrum magis afficiens atque premens non ſolum huic proprius eſt, ſed & alii corruptioni ſcirrhoſæ nodoſæ, apoſtematodi lateris, pulmonum familiaris.

Cap. III.

Hiſtoria Cachexiæ.

SUbjecta cum præced. habet communia habitum ſpongioſum ſexus præc. fæminini, rarius virilis ætatis, magis juvenilis.

Cauſas procatarcticas exhauriunt menſium defectus vel rarius

exceſſus. 2. Diætæ vitia in cibo & potu & frigore ac humiditate ambientis aeris, habitatione.

Id quod unice veluti valet in viris quibuscunque junioribus; nam ſeniores 3. vel a diſpoſitione proxima atque tacitis hæmorrhoidalibus moliminibus vel ab actualis adſuetudinis omiſſione aut ataxiis cachectici fiunt.

4. Sanguinis profuſiones nimiæ & diuturnæ.

5. Arthritici & podagrici motus maxime repreſſi.

6. abuſus vini ac ſpirituoſorum ſub deſide vita motus hæmorrhagicos generans.

Quemadmodum etiam ſalis volatilis abuſus in febribus rhevmatiſmos cachecticos poſt ſe trahit.

Cachexia non ſemper hydropem antecedit, cum hic ſæpe graviſſimus præcipue in ſexu maſculino ſine cachexia eveniat, quanquam aliquando non tamen ita ſæpe actualis progreſſus ab hac in illum fiat.

Difficultas in cognoſcendo hoc affectu nulla prorſus ſubeſt, cum ſigna ejus, ut in externo habitu oculorum conſpectui pateant.

Totius ſcilicet fit corporis depravatio, ut e florida conſtitutione ordinaria in pallidam, flaveſcentem imo liveſcentem, e firma & ſubrigida in fluxam, flaccidam & pendulam tum indecenter turgidam deformationem tranſeat, veſtig a digito um impreſſa retinentem:

Sie ſehen ungeſund, verdunſtet aus, es iſt ein blåſtiges auffgeſchwämmtes Weſen.

Interne junguntur anguſtiæ imprimis in hypochondriis imo præcordiis, & inde naſcens difficultas aliqua ſpirandi anhela increbeſcens graviter a motu corporis imprimis autem inferioris regionis, pedum, coxarum, abdominis in adſcenſu altiorum locorum.

Item ſenſus duritiei, gravitatis, preſſionis conſtrictoriæ, detentionis ſub hypochondrio dextro aut ſiniſtro aliquando, aut ſub umbilico introrſum.

Abdomen neque pariter ſemper neque conſtanter inflatum & durum eſt, aliquando tamen inæqualitatibus tactu ſentiendis intus obſeſſum.

Appetitus iners aut vagus & poſt cibos incommoda tenſiva gravativa flatulenta: concoctio infida.

Alvus modo ſegnis, modo lubrica.

Totum corpus friget & langueſcit cum torpore, inertia, faſtidio, ſomnolentia animi ſenſuumque omnium.

Actua-

Actualis tumor œdematodes non quidem inſeparabilis comes eſt, interim tamen non valde alienus ab hoc morbo, minime tamen alibi, quam in artubus.

Pulſus eſt tardus, nil alacris ſed languidus minor ac debilior quam in ſanis.

Urina parca tenuis inconſtans, jam cruda & ſubturbida, jam limpida, ſemper tamen pallida & ſublivida.

In prognoſi diſtinguendum eſt inter diſpoſitionem cachecticam & plenariam cachexiam. Ille magis juniori ætati a menſium retardatione evenit, nec ita facile in aſcitem tendit, ut ſenioribus; illic eſt ſtatus ſanabilis, hic rarius, ſed in hecticam vel hydropem tranſit.

Ante 20 annum non difficulter cedit; quo vero adultior ætas, eo difficilior.

Sæpe autem per multos annos contumaciter perſiſtit & licet œdemata etiam paſſim ſe in tibias & pedes extendant, non tamen verus inde hydrops producitur.

Differt *ab aſcite hydrope*, quod hæc inferiores ſolum partes, cachexia autem totum corpus æqualiter occupet & ex fluxibus ſanguinis nimiis & diuturnis paſſim originem ducat ſimpliciter, cum hydrops hinc, niſi aliæ cauſæ præcipue adſtrictiones concurrant, vix unquam oriatur, ut difficultatem hydropis præ illa curandi taceamus.

Dignoſcitur *ab Anaſarca*, ubi durior inflatio corporis eſt, in hac vero mollior flaccida: *ab Ictero*, qui non ita intime habitum corporis penetrat, ſed ſuperficietenus tantum hæret.

In Therapia prodeſt diæta calido-humida aromatica, vini moderatus uſus, cavendo a ſpiritibus ardent. exceſſu caloris repentini, animi pathematibus; motus corporis frequens & moderatus.

Squilla, acriuſcula, rad. imperat. Helen. angel. mediocr. Petaſit. Bardan.

Corrigentia certiora ſunt radix ari, tarax. cichor. arv. &c. Temperata ſed penetrans eſt rad. Pimp. alb. vincetox. &c. Ex herb. antiſcorbuticæ amaræ imprimis fumaria in infuſo aut extracto, centaur. min.

Sambucus, quamvis importunior ſit ejusque radices nedum mitioris ebuli in nonnullis uſum habent.

Evacuantia ſunt phlegmagoga cataputia, Agaricus, Jalappa, folia ſennæ.

Posthæc excretiones sanguinis revocandæ per V. S. in pede, cavendo, ne prædominante adhuc serositatis intemperie sanguinis jactura fiat.

Pro tono dictis corrigentibus injungitur crocus martis antimonialis, cachect. Zwelfferi, alias Terrea & martialia intemperantius data dyscrasiam seri tenaciorem reddunt imprimis deficiente motu corporis.

Per balnea sulphurea aluminosa, adstrictoria repulsoria, cachexia ad interiora regurgitat, & in stasin hydropicam maxime ascitem delabitur.

Cap. IV.
Historia Scabiei.

Causæ procatarcticæ sunt 1. aer frigido-humidus. 2. Temperamentum & ætas succulentior. 3. aqua salsior impura. 4. climatis mutatio. 5. Diæta pinguis, suilla, cruda. 6. Excretionum & excretoriorum serosorum læsio. 7. Contagium.

Evidentes sunt in hac pustulæ hinc inde in ambitu corporis imprimis circa artus & fere tanto magis, quanto magis aeris contactui patent, copiose coorientes & in corruptelam ulceroso-saniosam transeuntes.

Humida dicitur, quando pustulæ hæ plurimo humore turgent & ruptæ tandem copiosam saniem effundunt.

Sunt etiam hæ communiter in ambitu rubicundæ velut inflammatæ, tuncque etiam generant & effundunt suppurascentem saniem.

Excipiunt hanc non raro febres acutæ compositæ periculosæ.

Vexantur autem ab hac semper subjecta laxioris & humidioris sanguinis habitus;

Sicut e contrario strictiori & siccæ constitutioni corporis *sicca* evenit.

Quæ pustulas pauco mucido & fere lucido sero plenas format.

Utriusque interim simplicioris hujus scabiei indoles est, ut quamdiu minores format pustulas, hæ cito atque promte consolidentur; majores vero, quæ interdum copiosiore & profundiori collectione apostemata vera æmulantur, etiam pro magnitudinis proportione, notabili promtitudine in integrum restituantur.

Post-

Poſtquam ſimplex hæc jam diu duravit & circa ſuperiores partes rarior comparere incipit, ulcera circa inferiores partes pedum & ipſos talos coorientia judicium præbent, ſcabiei mox plane ceſſuræ; idque eo facilius, quo majori quantitate ſimul & ſemel materia eliminatur.

Ferina vero ſcabies valde ſicca & ſquammoſa eſt, & ſub ipſis ſquamulis, ſtigmatibus cruentis conſpicua, imo ipſam cutem circumjacentem nunc lucido nunc roſeo colore a ſanguine altius, quam decet, ipſi innidulante conſpicuam exhibet.

Interim pruritus, quoties a frigore vel inſigni calore tangitur, incoërcibilis eſt, & ſi ſcalpendo eſchara & ipſa cuticula (quod promtiſſime fit) abraditur, ut cruda plane cutis ſubcruenta appareat; vix tamen quicquam cruentum, ſed lympha ſolum ſeroſa ſubflava inde emicat, quæ mox iterum in ejusmodi ſquammoſam eſcharam ſicceſcit.

Hæc vero vix unum vel ad ſummum alterum diem durat, quin graviſſimo pruritu ægrum ad ejus abraſionem provocet, ubi priſtina cruda & ſubcruenta facies ſubtus latet, & ita antiqua ſcena diu multumque in orbem redeundo luditur.

Venerea ſicuti diverſæ nec ſemper quidem eſt malitiæ, ita communiter fere, ſi latius per totum corpus ſpargitur, Ferina mitior eſt, plerumque tamen ipſa quoque magis ſicceſcens quam valde humida etiam in ipſis humidis corporibus.

Quæ vero particulariter unum locum præ aliis occupat, v. g. ſumma femora juxta pudenda, ſcrotum, faciem juxta os &c. cruſtacea eſt, & ſæpe, antequam eo perveniat, diu nodoſa & varodes.

Cruſta hæc non facile vel promte abſcedit, præſertim tota, ſed tenaciter magis adhæreſcit per multos ſæpe dies; neque etiam circumcirca ita graviter rubeſcere vel inflammari obſervatur, ſed pallidas magis vel ſublividas habet oras.

Et quanquam ſerpat, non tamen æque cito vel promte hoc facit, ſed admodum ſegniter.

Dolor magis rodens & corroſivus eſt, quam rare pruriens, ſicut etiam immodeſtiore ſcalptione in valde penetrantem ac moleſtum ſalinum rodentem ardorem exacerbari ſolet.

Vix etiam unquam occurrit ejusmodi ſcabies, quin ſimul in aliis ejusmodi profundi infixi dolores imprimis nocturni concurrant.

Quin imo rariſſime contingit, quin alii bubonodes inguinum

tumo-

tumores, fluor albus in fœminis cum excoriatione genitalium, Gonorrhæa in viris ſuſpectam talem ſcabiem manifeſtius prodant.

In infantibus ſuſpectæ ejusmodi ſcabiei ulteriora ſigna præbent ulceroſæ excoriationes, imo excreſcentiæ circa anum verrucoſæ & veluti criſtatæ.

Hæc ſcabies rariſſime ita diffuſe totum corpus occupat, uti ſimplex; deliteſcit etiam & evaneſcit veluti totius corporis vel actuum vitalium principalium periculo vel damno.

Sed dum utique recedit retro, magis ad bubonodes tumores formandos tendit: quamvis utique mox per ipſum retroceſſionis initium etiam magnam laſſitudinem & virium debilitatem ac fatigationem inferat.

Febres vero acutæ compoſitæ periculoſæ non æque promte ſequuntur hanc ac ſimplicem maxime humidam ſanioſam.

Cap. V.

Hiſtoria Scorbuti.

Hic ante ſeculum per navigationes Batavorum in noſtras regiones translatus fertur.

Ingentem hujus diverſitatem a lue venerea, tam quoad ſubjecta quam cauſas, ſymptomata, eventus & medicationem utriusque hiſtoria ſtatim ſubtexta perſpicue oſtendet.

Ad ſubjecta igitur quod attinet, familiarius a ſcorbuto affligitur ætas adulta juvenilis & ſenior, non item junior, niſi ab externis præcipue cauſis.

Hæ vero ſunt loci & habitatio humido-frigida, aer nebuloſus, vaporoſus, Diæta craſſa ſalſa, corporum & humorum languidus torpor ut magis interna.

Interdum etiam exiſtit poſt Quartanas &c. in malo hypochondriaco maxime poſt intempeſtivas ſudationes.

Exerit autem ſe vel ſponte vel per contagium diffunditur, & quidem ore facilius communicatur, non tamen ita promte ac lues venerea.

In ore gingivas facit cruentas laxas in tabum fatiſcentes, linguam & fauces anginode magis æſtu & inflatione æſtuoſiore magis quam acriore obſidet; dentesque ſolos nigros & carioſos reddit cum anhelitu graveolente.

Macu-

Maculæ, quæ erumpunt, in cholericis ſunt roſeæ, in Melancholicis lividæ fuſcæ.

In Tibiis erumpunt majores cum duris tumoribus, anxietate præcordiorum, appetitu proſtrato, alvo turbida, flatulentia.

Sicut etiam alibi cum maculis junguntur cruenta ſtigmata, tumores duri liventes, diu tamen ſine ſpontanea eruptione permanentes.

Ulcera format magis ſanguinea ichoroſa, liveſcentia, leniter manantia cum ſtigmatibus ſanguinolentis ac ardentibus inflammatoriis.

Dolores ſunt magis acuti, ſubtiles æſtuoſi, tranſitorii per paroxyſmos quaſi recurrentes.

Pruritus eſt ſubtilior, æſtuoſior, frictioni per excutiam ad tempus cedens.

Conſpirant hic quoque viſcerum præcipue abdominis pathemata varia.

Vires ſunt ita proſtratæ, ut jacenti quidem ſæpe ſat bene ſit; ſcilicet vero erigenti lipothymia ingruat.

Urina eſt vel tenuior vel coloratior vel craſſa, fuſca aut nigricans odoris acrioris ſubtilioris.

In lue venerea vero partim diverſa partim planē contraria his ſymptomata occurrere ex infra dicendis patebit.

In Therapia.

Fervidæ commotioni occurritur per acidula remedia.

Dyſcraſia, lentor & grumoſa ſpiſſitudo reſolvitur per antiſcorbutica cochlear. in integro beccabung. fumar. acetoſellam, Alſin. majorem &c.

Item dilutio ſufficiens cum motu corporis vegetiore, diæta aromatica.

Nautæ cepis & allio utuntur.

Cochlearia cum Beccab. in ſcorbuto oris cum gingiva cruenta, maculis &c. eſt optima.

Staſes ulceroſæ in fervidas putrilagines tendentes requirunt temperantia, mitigantia, ſubtiliter refrigerantia.

Nitrum motus mitigat.

Trifol. fibr. facit anxietates colicas.

Nocent ſtimuli excretorii.

Mercurialia & tanto magis ſalivatio ſtaſes ulceroſas augent, vel ægrum jugulant vel vultum deformant.

V. S., purgatio, regimen ſudoriferum, anxietates, palpitationes in Melancholicis maxime augent.

Uti calida inflationes lienis, anxietates, dolores capitis & artuum augent maxime in plethoricis.

Evacuationes non ſunt turbandæ.

Diarrhæa ſuppreſſa cardialgiam, ſingultus, tormina, infarctus lienis, convulſiones producit.

Item efflorescentiæ recedentes, aut hæmorrhagiæ magis acrimoniæ temperatione quam fluxus cohibitione curandæ.

Anodyna non diu placant, ſed dolores vehementius recrudeſcunt, imo vires magis labaſcunt.

Tincturæ alcalinæ caute dandæ, imprimis acriores.

Continua Medicatio ſymptomata exacerbat.

Si lues venerea cum ſcorbuto conjuncta ſit, omnia moderatius tractanda, illius tamen præcipue habenda ratio, ita tamen, ut hujus exaſperatio evitetur.

Febris ſcorbutica.

Per abuſum hodie ſic vocantur fere omnes febres typum nullum inſignem ſervantes.

Strictiori vero ſenſu merentur illæ febres tales dici, quæ ſubjectis eveniunt his, quæ non modo alias frequenter manifeſtas illas rubicundas vel lividas chronicas maculas in corpore ſentiunt, ſed præcipue proxime imo immediate ante coortam febrem, illas habuere imo ſub febre adhuc geſtant, ſed communiter ſolito longe pauciores, minores & minus conſueti coloris & in locis minus ſolitis.

Cum fatigabundo corporis, ſed præcipue illarum partium, in quibus ſunt vel eſſe ſolent, languore, dolore, imo torpore, dolore quidem exquiſitiore, modo obtuſiore, tendente, gravante, rigente.

Indoles harum febrium eſt inæqualis, inconſtans e lento languore in vehementes impetus temporarios erumpens, multum fatigationis, anguſtiæ & anxietatis, vertiginoſæ capitis debilitates, motus alvini ataxias involvens.

Præcipuum ſignum eſt viciſſitudo crebra, etiam interdum inſignis & veluti inſperata repentina euphoria & animi alacritas nullius delirii ſuſpecta, anxietates & vehementes impetus.

Sunt

Sunt etiam hæ febres communiter magis nudæ ſymptomaticæ, unde nec proprium typum juſtum nec periodum definitam habent: ſed ſequitur utraque hæc circumſtantia ſucceſſum motuum & excretionum ſcorbuticarum; adeoque vel expeditis illis, vel quadantenus ſubacta, vel alicubi depoſita materia, illos conquieſcentes ſua etiam quiete imitantur.

Non ſunt frequentiores revera, niſi motus febriles manifeſtioribus aliis hypochondriaco-arthriticis paſſionibus vel accedentes vel concurrentes, adeoque pro directe juſta febre nec habendæ nec tractandæ.

Cap. VI.

Hiſtoria Luis Venereæ.

Pænæ loco eſt, quam adulteri fœdæ ſuæ libidini debitam poſt impurum coitum perſolvunt.

Interdum autem etiam innocentes ex contagio aliorum hac affliguntur juniores, imo pueri & infantes, ubi tamen haud ita invaleſcit.

Duplici gradu Conſideranda eſt.

I. *Quamdiu adhuc in humoribus lentum & contagioſum oberrat colliquamentum*, ubi quidem eam cognoſcere valde difficile eſt.

Quamvis enim fatigatio frequens inſignis cum malo colore faciei oculorumque, pruriginoſi ardores fixi, nocte ingraveſcentes præc. in ſummo capite, ſcapulis humeris, medio femore, mediis tibiis &c. adſint; poſſunt tamen hæc etiam aliis cauſis adſcribi.

Si tamen innoteſcat, Gonorrhæam ſuſpectam, fluorem album acrem vel bubones circa inguina, tumores contumaces vel ulcerationes glandularum colli, uvulæ notabilem læſionem, ſcabiem ſiccam urentem cruſtoſam &c. præceſſiſſe vel adhuc concurrere, fortis & juſta quidem naſcitur ſuſpicio.

Manifeſtius autem ſe prodit.

II. *Ubi partes ſolidas jam inſedit.*

Hic omnia, quæ eveniunt, incommoda vehementius quam antea affligunt.

Vires quidem non ita proſternuntur, ſed languor magis adeſt & majus onus & gravitas in membris.

Ardores & dolores in antedictis artubus, cranio, occipite, tibiis, femore, perinæo, inguinibus, ſunt veluti ſalinoſi, als wenn Salz hin-

ein geſtreuet wäre, terebrantes, rodentes fixiores ſtatarii obtuſiores, noctu atrocius ſævientes & a decubitu in lectum augeſcentes.

Viſcoſa tenacitas humores & cæteras glandulas inguinales, ſalivales, ſpermaticas obſtruit; non item meſenterii, unde venerei *turbas internas non ita perſentiſcunt.*

Inde ulceroſa ſalſa eroſio nares eorumque cartilagines, ſeptum, os palati, tonſillas, uvulam, infundibulum item os externum cum ardore acri & nidoroſo corrumpens.

Sicut etiam alibi ulcerationes ſalſo-acres cruſtoſæ nauſeoſum mucidum nidorem ſpirant, ſiccam eſcharam facile formantes.

Hæ prurientes ſcalptione exacerbantur, donec excoriatio eas attingere vetet.

Exſudant quoque ſeroſo-mucidam humiditatem in cruſtas abeuntem roſivas.

Naſcuntur etiam tumores diuturni, parvi, nodoſi circa partes exſangues, lento ſucceſſu in ulcerationem abeuntes ardentem, quæve male olet, nocturnis doloribus inſoleſcit, & denique conſolidata in conſpicuas cicatrices coaleſcit, uti

Tartarea apoſtemata, ſteatomata, atheromata, melicerides; Gummata gallica erumpunt, auf den Schienbeinen, Ellenbogen, Händen, Knien.

Concurrunt ſæpe bubones.

Accedit vel præcedit ſeminis effluxus ſalſus corroſivus, unde meatus urinarii eroduntur, fungi naſcuntur & urina obſtruitur flaveſcentibus oculis.

In orificio ani mares præc. geſtant excreſcentias verrucoſas penſiles, fiſſiles, manantes, ardentes, ulceraſcentes.

Junior ætas rarius ab hac afficitur.

Maxima, non ita repentina ſunt, damna.

Nares & fauces ulceroſas, in labris cruſtas tenues, languidas & refractarias, mariſca ſive ulcera verrucoſa circa anum, ſcabiem malignam cum atrophia; ſteatomata, atheromata, melicerides habent.

Quæ omnia altius radices agunt, quam in adultis.

Urina venereorum eſt craſſa, ſubturbida cum ſedimento tenaci ſubmucido quaſi grandinoſo, odoris fœdi putridi nauſeoſi, qualem Germani ſubdulcem vocant.

In

In Therapia

I. Quamdiu in humoribus adhuc latet, resolventia scil. diuretica, diaphoretica sufficiunt lignosa & radices lign. Guajac. Sassafr. rad. chin. sarsaparill. Pimpinell. alb. succin. Ess. lign. herba Saponar. tincturæ alcalinæ.

Sudatio sub integumentis multis non adeo proficua, quam in lecto libero mit einem Spriegel spiritu vini accenso.

Antiscorbutica hic locum non habent, nec

Diæta lauta ad 2, 4, septimanas.

II. In partes jam insidens salivantia mercurialia requirit (priori casu nullius usus futura) præmissa laxatione & diaphoresi lignosa.

Fuga sit frigoris, acidorum, inquietudinis, adstringentium.

Quibus neglectis diarrhæa, stupores, spasmi, tormina, superveniunt, vel intumescentia faucium, dentium relaxatio; saliva mucida multa, ardor, agrypnia, dolor capitis auctus.

Acria scorbutica calida pectus lædunt;

Amara impr. fumaria inquinamentum humoribus penitius insinuant & corruptelas reddunt fervidiores.

Allium & aromata, motum corporis non tolerat.

Regimen & medicationem postulat continuam.

Fauces præmuniuntur Gargarismate adstringente rad. ari, vincetox. sem. fœn. græc. flor. chamom. in ardore nitrum in visciditate sal ammoniacum.

Gonorrhæa.

Erumpit hic spissa mucida materia spermatica sive cum urinæ sive foecum alvi rejectione & quidem interdum in initio exitus urinæ, interdum vel ultimo compressionis, finita excretione, actu.

Concurrit etiam sæpe extra mingendi tempus veluti perpetuus exiguus mador vel submucida substantia intra & juxta præputium reperiunda & pressione aliqua ex urethra eo magis erumpente.

Cæterum minime confundenda est hæc excretionis spermaticæ species cum illa rariore nec tamen rarissima, ubi nunquam alias quidem *sperma prorumpit*, sed tunc statim copiose profluit, quando *membri virilis vividior erectio contingit:* ubi specialis conformatio circa capacitatem vesicularum seminalium in culpa esse apparet.

Quod quidem vitium Gonorrhææ nullatenus accensendum venit. Differt enim a qualibet Gonorrh. quod nunquam effluxus talis

lis fiat, nisi quando tensio genitalium rigidior evenit, contentiosus nisus & admodum valida pressio sub excretione fecum alvi renitentium.

Quamdiu materia in hoc malo pure mucido-alba sit & nihil neque alieni coloris neque odoris habeat;

Benigna vocatur.

Venerei vero *miasmatis* eo magis suspecta est Gonorrhæa, quo plus aut perpetuo promanat talis materia submucida, colorem ab albido alienum præ se fert, ardorem in præputio excitat vel prorsus inflammationem: præc. si sub emissione urinæ in regione radicis penis ardor sese exerit.

Virulenta denique vocatur *Gonorrhæa*, quando jam tetro colore flavo viridescente & putrido fœtore corrupta prodit materia.

Tanto pejor, si præputium ita vehementer afficiat, ut crassum tumorem, gravem ardorem, intensum ruborem, excoriationes, fissuras virulenti quid effundentes post se trahat.

Vel scrotum inficiat, ut ardente pruriginosa arrosione correptum tumescat, inardescat, contrahatur in rugas, asperitatem quasi corticis crustosam induat, fissuras agat cum emanante acri urente tenui sero magis quam sanie.

Dicta illa constitutio, inflammatoria, fissoria, saniosa in præputio, trahit non raro post se etiam reliquæ cutis in membro similia apostematodea ulcuscula, rubræ maculæ forma, quæ excoriatur, mollescit, suppurascit, colliquescit particulam cutis, quam obsidet, arrodit & aufert, ut consolidatam foveam relinquat.

Cujus generis ulcerationes vulgus chirurgorum præc. Gallorum vocat Chancres.

Durat sæpe per annum cum exacerbationibus & exulcerationibus molestissimis.

In Cura.

Virulenta corrigitur balsamicis ex succin. Myrrh. alexiph. Tinctura tartari, it. Gummi Juniper. Mastich. Tereb. coct. &c.

Cohibetur fluxus osse sepiæ.

Expellitur Ess. cantharidum diluta, præmisso in inveterata purgante.

Ex præmatura adstrictione Gummata Gallica erumpunt, empl. mercuriali sive lamina Saturni mercurio illita resolvenda. Imo rugosas excrescentias tollit mercurius præcipitatus; interne mercurius dulc.

Bu-

Bubones venerei.

Tumores hi, nisi admodum præcipiti incremento exturgescant, sunt sine sensibili dolore, durant sæpe ad satis longum tempus, antequam sponte insignia graviora damna inducant.

Quod tunc molestiæ inferunt, id sub motu corporis & in æstu præsertim sese exerit. Imo nec obediunt quidem prompte ipsis medicamentis emollientibus & maturantibus.

Ulcerascentes tandem, nisi & internis anti-venereis & mercurialibus & prudenti horum etiam externo usu provide tractentur, insignes corruptiones sinuosas, fistulosas colliquationes & erosiones formant.

Si non mature neque statim in principio, sed jam aliquamdiu toleratos deinde postliminio discutere sive introrsum depellere audeat quisquam, summe noxium est & totius corporis infectionis intimioris certissimum affert periculum, nisi quidem Gonorrhæa interim libere proruperit.

De excrescentiis in orificio ani pensilibus & ulcerascentibus supra sub lue venerea diximus.

Fluor albus.

Hunc revolve sub morbis ab uterino urinæ fluxu dependentibus.

Asthma & Tussim humidam,

Catharrh. suffoc. pariter sub affectibus pectoris historice pertractatas reperies.

HISTORIÆ MEDICÆ

Sectio Quarta

Historia Morborum Intestinalium.

Cap. I.

Historia Atrophiæ.

vid. quoque scirrh. gland. mesar.
it. atroph. sub infant. affect.

Fit frequentius in puerili corpore vel adolescente, rarius in adulto.

Oritur vel poſt prægreſſos morbos, qui vires admodum fatigaverunt & reliquias viſcera obſidentes poſt ſe reliquerunt, imo etiam conformationis aliquod vitium circa viſcera, impr. inſignem partium internarum concretionem, das Anwachſen.

Non raro exſurgit a vermibus.

Sine morbis cauſæ procatarcticæ ſunt, tum mala diæta & deſidis vitæ vitium, tum præſ. in tenerioribus adhuc a nocturno inter ſomnum frigido, ſpumido & feculento potu corpore a lecto & ſomno intenſius calente.

Symptomata ſecundum cauſas variant.

Depaſcuntur & extenuantur communiter & contabeſcunt notabiliter, ſine ſenſibili concurſu hecticorum ſymptomatum, languoris ſcil. plane morbidi, appetitus valde dejecti, ſiccitatis oris & ſitis, plurimum inconſuetæ, ſomni admodum levis, inconſtantis, nil reficientis.

Ubi tamen Hectica ſubrepit, ſunt hæc ipſa quoque, ſed mitiora accedunt cum ſenſibiliore actuali conſumtione.

Pueri ordinarie turgidum & durum habent ventrem & ſentiuntur aliquando, ſi tenſio ejus nonnihil flacceſcat tactu inæqualitates & veluti nodi quidam in eodem.

Si a vermibus ſit, vultus eſt magis pallidus & quaſi cachecticus; narium non modo nauſeoſitas perpetua, ſed etiam ſubinde aliqua arroſio ſive excoriatio, edacitas, ventris perturbationes, quies poſt cibos præc. largius nutrientes, incommoda a jejunio, imo vermium aliquando excretio.

Cæterum atrophici communiter quaſi perpetuo orthoſtadii imo abſente Hectica ſunt alacres.

Quoad *prognoſin* Atrophia eſt longe mitioris eventus & facilius curanda quam hectica; quo magis vero hæc complicatur, tanto & ipſa eſt curatu difficilior, quod fere fit in adultioribus.

In ſenilibus vero corporibus ſanatu difficilima eſt ſine manifeſta etiam Hectica. *Maraſmus ſenilis* vocatur.

Communiter vel e valde mucoſa catharrhali aſthmatica conſtitutione prognaſcens vel interdum etiam paralyticis vel ad hunc genium proxime accedentibus virium debilitatoriis affectibus ſuccedens.

Cap. II.

Hiſtoria Addephagiæ.

Est vel nimiæ ciborum quantitatis aſſumtio vel nimius ingurgitandi impetus & ingluvies, allzuvieles Eſſen oder allzugeitziges Einworgen.

Subjecta præc. ei ſunt pueri & puellæ, fæminæ adoleſcentes ſanguinei & ſanguineo-phlegmatici ad aviditatem cholerici & famelici. Cholerici, niſi invidia & metus urgeat, potius moderate & tardius quaſi ſæpe deguſtant.

Infelices ſunt puſiones infantes, quibus & ſæpe & multum cibi intruditur.

Referantur huc quoque, qui ab inopia vel inedia ad plenam & lautam diætam perveniunt; vel a vermibus vexantur, vel Quartanarii, qui perverſum potius appetitum quam famem habent, ut & hypochondriaci:

Tandem etiam epileptici, qui præc. panis ſeculini avidi ſunt, quorum paroxyſmus ordinarie cum vomitu terminatur.

Cauſæ ἀδηφαγίας ſunt partim guſtus opinio, partim conſuetudo.

Proveniunt hinc tenſiones & compreſſiones impr. in fæminis prægnantibus, it. anguſtiæ nauſeoſæ, ructus, quos ſequitur languida diuturnior tenſio: Stein im Magen.

Succedunt ſæpe vomitus, qui ſi minus diſpoſitis vel tardius erumpant, immoderatiores & diuturniores ſunt.

Si viſciditas ſtomacho adhæreſcit, cachexiam, febres ſtomachales, icterum, colica tormina efficit.

Si languidus & faſtidioſus reniſus cum viſcoſitate concurrat, flatulentia & inde orientia chronica mala fiunt; Appetitus imminutio, diuturna ventriculi ſenſibilitas.

Infantes nimis ſuffarti facile vomunt, ſi naturæ ſunt vegetæ; ſi vero debilis, certiora ſunt damna, cum vomitus cum multis œconomiæ animalis turbis fiant, unde cavendi.

Vel eveniunt infantibus tormina, diarrhææ, nauſea, quæ adſtringentibus aggredi periculoſum.

Segniores infantes obſtructionibus cachecticis, atrophicis, duritie abdominis & extenſione cum reliqua corporis tabe vexantur.

Circa Prognoſin.

Addephagia periculoſior eſt in morbo jam præcedenti exhauſtis quam ſanis.

Sanis repente insurgit turbatio, hisque utilissime in vomitum exit; cum dolore sæpe capitis, calore, postea quiete & somno terminatur; si alvus libera sit, omnia sunt mitiora.

Extrema fame exhaustis ad satietatem edere certissima mors est.

In Therapia.

Temperantia est præsentissimum Remedium.

Tolerabilius possunt potu expleri quam cibo: Hinc potus sufficiens, impr. cibis densioribus, frixis, pastis est addendus.

Alvus liberanda est, non graviter stimulanda ob colicæ metum.

Vomitus & Diarrhæa tonicis, aromaticis, vino tepido, aromatisato vel leni anodyno, non autem adstringentibus sistenda.

Cap. III.

Historia Flatulentiæ.

Affligit hæc subjecta sensibiliora ad frigoris & caloris mutationes, impr. fæminas menses sensim amittentes vel eorum errores experientes vel diætæ intemperatæ circa horæa, fermentescentia &c. indulgentes.

Ex viris: hypochondriacos juniores, hæmorrhoidarios, nephriticos, Ischiadicos, podagricos annosiores.

Distinguendum est inter flatulentiam torpidiorem, stupidiorem, quanquam copiosam pertinacem, sine tamen fere sensu; & vagam, impetuosam, contentiosam, dolorificam. Illa magis est phlegmaticorum, hæc aliorum temperamentorum.

Causæ materiales sunt assumta tenacia mucida, intestinis adhærentia, oleracea crassioris succi, raphanacea, pisces marini siccati, legumina, pisa & fabæ, pinguedo impr. ovilla, frigido superbibito, refrigerationes artuum.

Præc. Mellita, horæa, feces cerevisiariæ, jung, trüb Bier, triticea fecibus fermentata, haustus largiores pultibus omnibus impr. e milio paratis super ingesti & alia ejus generis fermentescendo elasticos halitus formantia & acrimonia sua stimulantia.

Interim de materia hac notandum, quod in dispositis solum effectum edat nempe illis, qui minime ad spasmos inclinant, sed torpidioribus impr. phlegmaticis, cum sanguinei & cholerici magis ad graviores conniſus, tormina, spasmos tanquam eventus flatuum (non causas) devolvantur.

Gignuntur in intestinis ibique & sedem habent; rarius ipsam abdominis cavitatem in ingentem molem distendunt. Hi ipsi vero non

non tam ſimpliciter inteſtina diſtendendo, quam acriori eorum contentioni obſiſtendo indole ſua elaſtica pariunt exquiſitos paſſim dolores & ſenſus illos volutationum ſtrepentium ſeu borborygmorum deorſum tandem aut aliquando ſurſum erumpentium.

Interdum vero a refrigeratione extremorum orta, ſine peculiaribus torminibus eſt ſæpe cum ſat diuturna flatuum detentione.

Sicut etiam mitiores ejusmodi flatus magis per inteſtina ſuperiora errantes vel a refrigeratione oriundi ſæpe evaneſcunt ſine actuali excretione.

De cætero promtitudini ad multos flatus concipiendos occaſionem dare ſolet vel ſimul vel ſemel inducta inſignis talis atonia flatulenta, per leves deinde cauſas reſuſcitanda.

Vel flatuum frequentiæ a cauſis ſæpe repetitis non evitatis mox inducitur habitus.

Quando vero magis adſueſcit tacita etiam flatulentia, tanto torminoſior fit, imprimis in alvi ſiccitate, aſſumtis ſpiſſioribus.

Peculiaris flatuum torminoſorum differentia obſervatur. 1o.) Si æger plane non bibat aut tantiſper dum non bibit. 2do.) quando calide bibit. 3o.) quando ἄζημα ſeu nihil fermenteſcentia bibit. 4to.) ſi præſentius fermenteſcentia bibat. 5to.) ſi inſuper frigida.

Sunt etiam certi abdominis affectus, qui flatus fovent, nempe in fœminis hyſterico-hypochondriaci & hypochondriaco-hæmorrhoidalis apparatus tonico-ſpaſtici.

Illi, qui Dyſenteria gravi laborarunt, maxime alieni ſunt a flatibus ob majorem toni intenſionem.

Contra puerperis vel abortum paſſis imprimis doloribus nothis (Nachwehen,) poſt partum exercitis, præcipue ſi colligatio abdominis ſtrictior negligatur, vel ſi frigidius bibant, diſtenſio & inflatio abdominis ſtabilis contingit.

Voluntaria vero flatuum retentio ſpaſmos, tormina, colicam flatulentam, imo convulſiones progignit in ſanguineis, plethoricis, ubi expeditio alvi maxime utilis.

Laborioſa vero propulſio, etiam ſucceſſu ſurſum deorſum intercurſante dicitur *cholera ſicca.*

Symptomata flatuum ſunt:

1.) Status ſeu ſubſiſtentia flatuum; qui vel ad ſucceſſum adhuc inclinat, vel ſervat locum perpetuum;

Eſt hic poſterior *Tympanites* in feminis familiariter poſt abortum vel puerperia male tractata, vel e menſtruis incommodis vel variis medicationibus vel frigido potu vel vermibus eveniens.

Eſt tamen Tympanites verus ſatis, imprimis in viris, infrequens.

2.) Flatuum progreſſus ſeu ab uno in alium locum promotio, melius quidem deorſum vel etiam ſurſum ructuum exemplo.

Talis vero flatuum emiſſio, moribus noſtris adverſa eſt & facilis talis expulſio ſine modeſto moderamine adſuetudinem infert habitualem flatuum.

3.) Anadrome flatuum ad ſuperiora cum cardialgiis, vertigine ad ſcotomicum usque apoplexiæ metum, nullo vero per inferiora ſæpe prægreſſu (hic vomitus datus omnia maxime periculoſe acerbat) imprimis ſi ventriculus affectus ſit.

Adſunt etiam tinnitus & ſtrepitus aurium formidabiles, donec ſurſum erumpentes flatus ſenſibile levamen adferant.

In Therapia.

Conſiderandum, *an flatus in ipſis inteſtinis ſedem ſuam habeant*, an potius conſenſuali ratione oboriantur, ſcilicet a puerperarum abortu, affectibus hypochondriaco-hyſterico-hæmorrhoo-nephriticis, longinquis moliminibus, ubi ſcilicet magis primarii affectus tollendi.

In flatulentia directa ſimplici nil vel parum torminoſa.

1. occaſiones flatuum evitandæ.

2. abdomen imprimis in paroxyſmis calore naturali fovendum, ne tamen in perpetuo tali calore ſenſibilitas inducatur cavendum.

3. alvus debite expedienda (cavendo a flatulentis Manna, Caſſia, Senna) cum regimine calido, præcipue per clyſteres lenientes.

4. Carminativa provide pro diverſitate temperamenti adhibenda.

5. Dextra medicamentorum ſubordinatio tam prælervativa, quam curativa imo poſt paroxyſmos continuanda.

In conſpirante magis flatulentia, hæmorrhoides, menſes in ordinem redigendi, hernia caute tractanda, puerperis venter ligandus cum calore debito.

Cap. IV.
Hiſtoria Colicæ.

UTi ſæpe flatus ipſi, ita alia quoque interdum in inteſtinis hærentia contenta, adverſa, tenacia, imo & acria plus minus corroſiva inducunt tormina & vulgo dictam colicam.

Non raro accidit in hominibus magis ſanguineo-cholericis, floridis, molimini evacuationum hæmorrhoidum externarum, adſuetis quod quidem ſatis liquet, ſi ſine evidenti aliqua externa cauſa in his cooriatur.

Ad

Ad minimum certe familiarior eſt diſpoſitis ad hæmorrhoides vel aſſuetis quam aliis.

Communiter tamen longe frequentior eſt fæminis, quam maribus; & quidem illis magis phlegmaticis vel ſanguineis vel ſanguineocholericis, præſertim per conſenſum menſium non rite ſuccedentium.

Puerperis etiam tum paulo ante partum & ſub eo, unde dolores ſpurios (die wilde Wehen) appellant, tum poſt partum. A feminis tamen attentis facile a doloribus partus & poſt partum uterinis diſtinguuntur.

Cæterum puerperis non modo in præſens colicos dolores cum magna flatulentia conciliat, ſed & in futurum illas veluti tali habitui exponit neglecta ſufficiens deligatio abdominis, concurrente refrigeratione tum externa tum a potu frigido & nimio vel feculento, interna vel refrigeratione vel turgefactione.

Colica invadit ſæpe ſat repentino impetu, imo aliquando actuali cum horrore corporis externi, qui quidem tanto gravior eſſe ſolet, quando inflammatorii quicquam vel jamjam indicat vel minatur.

Tormina adſunt vehementiſſima, durabilia & non raro ultra unum diem vexantia circa & ſupra umbilicum cum ſenſu modo torſionis, modo graviſſimæ tenſionis rupturam veluti minitantis, modo tremoris cujusdam & fremitus, undiquaque vero cum maxima ægri anxietate, anguſtia, exterioris corporis refrigeratione & anxiis ſudoribus frigeſcentibus concurrit.

In magis idiopathica obſtructa communiter eſt ſimul alvus, tuncque etiam fere pertinacius & vehementius affligit.

Interdum vero concurrit cum alvi fluxu, quod præſertim in Dyſenteria velut eſſentiale eſt.

Vehementer coortæ colicæ conjungitur ſæpe inſignis vomendi conatus, quæ valde ſuſpecta eſt, & Ileodes, niſi occaſionem ſumſerit a cibis paulo ante & quidem nimiis ingeſtis vel potu frigidiore largo.

In fæminis cum colica juncti fortes vomendi conatus vomitus cruenti metum faciunt.

Sive enim ſine aliqua occaſionali cauſa vomitus colicæ ita complicentur, ſive per talem ſuperinducantur, periculoſum utroque caſu eſt, longe tamen magis priore.

Caput. V.

Hiſtoria Iliacæ paſſionis.

A Colica aliis manifeſtis phænomenis per initia vix dignoſcenda eſt,

eſt, niſi quod crebrius fere herniæ incarceratæ ſuperveniat aut obſtructionibus clyſteres plane aſpernantibus.

Quo utroque caſu Ilei nomen ſortitur in tormina vehementia erumpens; occupat etiam magis hypogaſtricam regionem.

Concurſant nauſeæ & vomendi conatus, qui ſi non maturius quam cum colica, tamen cum ea incipiunt crebrius & pertinacius, quibus ultimo ipſa etiam excrementa adſcendunt.

Quibus omnibus concurrit perpetua prorſus & conſtans alvi occluſio.

Cap. VI.

Hiſtoria fluxuum alvi.

α. diarrhææ. β. cœliacæ. γ. lienteriæ.
δ. dyſenteriæ. ε. Verminoſi.

Fluxus alvi ſimplex.

UTi frequentia & conſiſtentia excretorum facile ſe produnt, ita variant accidentaliter ipſo numero & brevi recurſu egeſtionis, eſſentialiter magis materiæ, quam evacuant, diverſitate.

Ita *Diarrhæa* ſimplicior repetita liquida egeſtione abſolvitur non ſolum 3 vel 4, ſed 30, 40 ſedibus per *νυκτήμερον* ſe exerens.

Fit communiter ſine ſenſu doloris alicujus ſeu torminum, niſi ab externis cauſis provocentur, refrigeratione ſcilicet inſueta vel aſſumtis vel dyſpeptis.

Quo plus vero & acutiorum quidem torminum concurrit & major deſidendi conatus & frequentia, eo ſuſpectior talis fluxus eſt complicationis vel dyſenteriæ vel inflammatoriæ vel verminoſæ &c.

Lienteria & fluxus cœliacus.

In illa dejectio eſt liquida, non tam crebra, ſed poſt aſſumtos cibos promtius revertens, eosque nihil alteratos, uti ingeſti ſunt, rejiciens.

Complicatur communiter cum aliis affectibus imprimis Ictero, hydrope, febribus tertianis lentis diuturnioribus.

Si vero quæ dejiciuntur, cibos in pulticulam ſolum reſolutos referat, cœliacus appellatur fluxus.

Evenit hic pariter poſt cibos non ita diu aſſumtos & concurrit frequenter cum lienteria & affectibus illam foventibus.

Fluxus Hepaticus.

Hic itidem apparet liquida dejectio cum humore interfluente dilute

lute ſanguinolento, loturæ carnium inſtar, ſine ſenſibili aliquo dolore, niſi forte preſſionis mediocris in abdomine.

Præſertim pluribus vicibus recurrens vel per aliquot dies durans eſt hic fluxus.

Dyſenteria *rubra* & alba.

Invadit ſubjecta ſana plethorica florida medio Julii, Auguſto menſe & Septembri tempore humido-calido, aere auſtrino.

Et quidem vel e contagio vel poſt immoderatam ingurgitationem fermenteſcentium horæorum, pomorum, pyrorum, prunorum mollium, (Pflaumen) ceraſorum dulcium, juglandium, nucum, melonum maxime præcocium & matureſcere incipientium; ſuperingeſtis potibus fermenteſcentibus ſubputridis.

Temporis vero rationem huic maximam cauſam præbere certiſſimum eſt; non autem fructus horæos.

Major enim dyſenteriæ frequentia obſervatur Auguſto quam Septembri & Octobr., per quos tamen eodem modo poma &c. durant.

Et inauditum eſt, tempore vindemiæ, ab intemperantiſſimo uvarum uſu aliud quiddam oriri, quam ſimplicem diarrhæam, non dyſenteriam.

Porro Auguſto & Septembri frigidioribus & ſiccioribus exiſtentibus, minus de hoc affectu metus eſt, quam contra.

Corripiuntur patientes laxitate alvi, quæ & frequentius & vehementius redit cum torſionibus abdominis & ſedis, morſu & ſtimulis.

Invaleſcit quidem cito cum cæteris pathematibus debilitas, niſi tamen efferum ſit malum, qualemcunque orthoſtadiam ſervare poteſt patiens.

Languent paulatim vires & appetitus, frigidula horripilatio extremorum præcipue cum aſpectu morbido, conatus dejiciendi in tormina acria, conatus vacuos abeunt.

Exit denique materia tenuis albuginea inſtar ovi olidi leviter flaveſcens & olens, quam comitatur ſanguis ſincerus, dilutus inſtar loturæ carnium, vel cum ſtriis & ſtigmatibus ſanguineis, vel multo ſanguine modo nigricante, modo dilutiore.

Adeſt commotio febrilis, & hæc, quo vehementior eſt, eo ferocius eſt malum: Item nauſea, vel plane vomendi conatus, ad minimum inappetentia.

Urget & ſitis, & tamen omnis potus (ſi ſcilicet febris abſit) maxime frigidus malum exaſperat: Item Teneſmus inteſtini recti, ut ſæpe procidentia ani inde eveniat.

In *alba* vero deteriore, quam cruenta, dejectiones ſunt quidem longe vehementiores, ſed parciores ratione excretæ materiæ.

Sub initium vix ab antecedenti diſcerni poteſt, quia ſtigmata etiam ſanguinea & materia ſanguinei coloris (non vero adeo copioſo ſanguine interfuſa) excernuntur.

Exhibet deinde mucum tantum ſpiſſum ſubcinericei coloris ſtigmatibus ſolum pallidioribus ſanguineis notatam ſubſtantiam, abraſo muco ex interiori inteſtinorum ſuillorum tunica ſub manibus lanionum deciduo ſimilem.

Huic quoque familiarius febris complicatur.

Variat Dyſenteria magis accidentaliter & ſecundum individua.

1. Ratione ortus, uti meminimus vel a cauſa materiali, vel a contagio, ubi periculoſior & vehementior eſt.

Quandoque etiam extra tempus horæum homines præſertim viri corripiuntur paſſionibus torminoſis gravioribus, quam in dyſenteria; ſuccedente & erumpente mox fluxu alvino creberrimo & admodum intempeſtive tenesmode, cum dejectione cruenta dilutiore, modo ſinceriore.

In his vero nihil eſt contagii, nec eſt proprie dyſenteria, niſi latiori ſenſu.

2. Ratione vehementiæ ſunt etiam præcipites contagii progreſſus, anxiæ dejectiones, febris acrior, debilitas major.

3. Ratione anxietatis circa præcordia ſub ipſis torminibus, quæ major eſt a contagio in plethoricum incidente & a nimia ingurgitatione.

4. Ratione torminum, quæ cum malo increbeſcunt, maxime e frigore, inquietudine, repente ſine Euphoriæ ſignis & animi alacritate ceſſantia, funeſtum.

5. Ra-

5. Ratione teneſmi ſive ſtimulationis in inteſtino, qui gravior in materia minus ſuccedente, pauca a frigore ani potiſſimum & adſtringentibus.

6. Ratione excretorum; cum non ſolum ſanguis, ſed etiam ſæpe materia abraſioni ulceroſæ ſimilis, (ſtrigmentum vocat Celſus) excernantur.

Urinæ paucitas, imo ſuppreſſio ſæpe, non tamen omnibus evenit.

Vomitus maturus & largus poſt ingurgitationem horæorum bonus, & antequam alvus turbetur eveniens ſæpe totum malum præoccupat. Tardus vero, in ſtatu vacuus, irritus eſt & ventriculi læſionem ominatur.

Appetitus æqualiter conſtans præſtat, quam nauſea imprimis contraria & augeſcens.

Peſſimi ominis eſt inflammatio faucium & aphthæ, ubi cum ſonitu deſcendunt aſſumta.

Singultuoſæ Dyſenteriæ itidem mali ominis & plerumque eventus ſunt.

Potus vini generoſioris magis prodeſt quam obeſt; concurrente etiam febre.

Durat Dyſenteria per 2, 3, 4, ſeptimanas.

Vera ſemper eſt contagioſa & fermenteſcens.

Feliciter ſuperata relinquit corpora obfirmata, torminibus & fluxibus alvinis non ita expoſita.

Uti vero ſine medicamentis raro; ſine continentia methodica nunquam ceſſat; ita malum chronicum funeſte exiens placidam mortem affert; adſtricta vero ſine correctione materiæ ad convulſiones tendit.

In mortui veſicula fellea nunc vacua, nunc chyloſa quaſi materia loco bilis plena, ventriculus & inteſtina tenuia bile perfuſa, abſceſſus in cyſtide fellea, Ileon ulceratum, bilis colore gramineo cernitur.

In prognoſi.

Dyſenteria jam ſummum gradum adepta peſtilens eſt.

Æmulatur variolas petechizantes & febres malignas.

Eoque magis, quo magis febris urget, ubi gravioris eſt periculi;

li; ſicuti in hac ferociente 1mo, 2do, 3tio ſeptenario lethaliter exit; contra

Sub miti febre ad 3, 4, ſeptenarium ſine lethali exitu durare poteſt.

Alba pejor eſt, quam ſanguinea, idque magis, ſi cruentatio cum reliquorum ſymptomatum augmento deſinat.

Sequitur Diagnoſis, vid. ſub ſeqq. febre Dyſent.

1. A Diarrhæa torminoſa hæmorrhoidali, quæ mox a primo impetu ſenſim decreſcat & in qua excrementa non ſunt ulceroſa.

2. A Dyſenteria petechizantium; Tales Epidemicæ febres petechizantes quandoque in tempora dyſenteriodea incidunt; vid. ſub ſeqq. febr.

Quæ maxime provide tractanda, imprimis adſtringentia fugienda.

3. A Dyſenteria Pariſienſi omnibus advenis familiari, quæ benignior eſt, nec contagioſa & ſegnior, ut etiam in publicum prodire poſſint ægri & ſine febre quovis anni tempore eveniens.

In Therapia.

Fiat materiæ tam corruptæ (per catarctica) quam corrumpentis (per diapnoica) evacuatio. In leniori malo illam præſtat Rhabarb., hanc vero Theriaca, Pilul. Becchier. Cortex chaquarillæ ſub noctem, uti primum mane.

Tonica in mitioris mali initio ſufficiunt ex Rad. Torment. corall. præpar. ſpec. de Hyacinth. maſſa pil. de cynogl. Item decoctum carvi.

Optimum mitigans eſt gummi arab. largius datum.

Leneſcente impetu locum habent ſubadſtringentia, fructus ſorb. maj. exſiccatus, ſanguis Draconis, uti miles ſub ligno ſubputrido carioſo ex pyro arbore abraſo quosdam dyſentericos reſtituit.

Specifica a quibusdam laudantur priapus cervi, hepar ſerpentis, ſmaragdus, fungus ſorbi aucupariæ, Eber-Aeſche.

Rad. Ipecacuannæ votis non reſpondet.

Amuletica prædicantur rad. Pſeudo-acori & plantag. aquaticæ.

Correctio per abſorbentia in contagioſis inutilis.

Terrea bolarea, ſigill. prægravant inteſtina.

Abſterſio per aloëtica noxia, oleum lini inconſtantis effectus ol. ovor. melior.

Pro

Pro temperatione lac facile in coagulum abit & auget tormina, nisi multa aqua simplici sit dilutum.

Opium sensus stupefacit, causam non tollit.

Alexipharmaca temperata, sæpe repetita parce, prosunt.

Adstringentium cautus sit usus; fortia semper noxia, præs. in causa contagii, non a fructibus horæis, it. in malo altius radicato & febre præsente acutiore.

Potus semper sit calidus vel benè tepidus.

Regimen sudoriferum nocet; Diapnoë prodest sub quiete & leni calore.

Si sine febre sit, quam minimum bibisse præstat; & contra, si febris conjuncta.

Febris Dysenterica.

Satis se prodit tum febrilibus symptomatibus præcipuis tum magis magisque increbescente contagiosa grassatione.

Invadit sæpe cum horrore & frigore, & est eo deterior, quæ enim, dysenteriæ citra febrile initium exortæ demum superveniunt & accedunt, minoris fere sunt periculi.

Adest sitis & non injusta bibendi cupido, omnia tamen etiam potulenta cito rursus excernuntur, & urina prodit parca, rara, imo sæpe per plures dies nulla cum eximiis incommodis.

Jam ante recensuimus, singultus & præc. si potulentorum deglutitio sonora quasi fiat & borboryzet, pessimi hic ominis esse.

Febri huic λεπτυρικὸν illum statum accidere, ut nempe exterioribus frigescentibus interiora valde urantur, in pessimis est signis.

Vermes in febri dejici nunquam pro bono signo haberi suevit: sollicite tamen perpendendum, an hic fluxus magis veluti sponte & ab ipsius febrilis materiæ ad intestina tendentis malitia fiat; an vero potius ex medicamentorum præc. myrrhatorum energia.

Diagnosis Dysenteriæ a nudis diarrhæis v. gr. febrium petechizantium formatur, (vid. præc. paginas.)

1. Vehemente torminum concursu. 2. frequentia sedium. 3. consistentia materiæ subcruentæ, imo sæpe totius sanguinolentæ. 4. Tenesmo Dysenteriæ semper istis rarissime familiari.

A cholericis nudis fluxibus distinguit Dysentericos consistentia cruentæ, quæ in illis non nisi biliosa & versicolor occurrit; sunt tamen in cholericis etiam tormina, sed non adeo copiosa nec tam impetuosa.

Porro vomitus, qui Dyſenteriæ non raro accedit præſ. in principio, differt eadem materia minus bilioſa & colorata ; imo ipſo plane ſucceſſu parciore vel propemodum nullo.

Adde quod *choleræ* magis anxiæ ſint circa præcordia immediate ; Dyſenteriæ vero in epigaſtrio circa umbilicum & paulo ſupra.

In Therapia.

Præſtat hujusmodi febrem, ſimpliciter ut febrem tractare & conjunctum fluxum quaſi negligere.

Revera enim fluxus ut ſic nihil adeo magni habet momenti, quippe non raro per aliquot ſeptimanas ſine vitæ periculo continuans.

Omni modo hic largiter bibere præſtat, modo non jugibus hauſtibus, neque frigidum potum vel fermenteſcentem, feculentum neque potentialiter calidum & ſpirituoſum.

Vinum tamen in Dyſenteria ſæpiſſime ſalubre deprehenderunt, præc. in jam valde progreſſa neque ipſa febre adeo præfervida.

Turbata & exacerbata talis febris pauciſſimis diebus funeſta eſt.

Ab adſtringentibus ortæ alvi cohibitioni graves ſuccedere cardialgias peſſimum eſt : ſicut etiam vomitus, qui tamen cardialgias ſolvunt.

Vermes.

Indubia horum in inteſtinis præſentia vix cognoſcitur ante actualem aliquando factam excretionem, poſtquam aliqua vaga pathemata abdominis percepta fuerunt torminoſa teneſmodea.

(Adeſt & ſæpe inſignis addephagia, non ex perpetua conſuetudine, ſed vaga.)

Certior vero hæc eſt, ſi jejuniore ſtomacho vel minus gratis edulíis ſaturato incommoda in abdomine augeſcant, gratioribus vero cibis impr. lacticiniis conquieſcant.

In puerili ætate vultus eſt pallidus & jejuno ſtomacho non ſolum multa ſputatio, ſed frequens jejuna nauſea vomibunda, qua limpidus ſalivalis liquor copioſe affluit, (vulgus dicit : die Würme beſeichen ſie) concurrente communiter perpetuo multa mucoſitate fluida e naribus absque reliquis veræ coryzæ circumſtantiis.

Concurrunt non raro cum vermibus gravia & inſolita pathemata (impr. copioſioribus) dolorifica vel plane convulſiva, epileptica, variæ temporariæ inflationes, indurationes, interdum & retractiones

nes abdominis circa umbilicum, flatulentiæ convulsivæ, bombi (*Knollen im Leib*) crepitationes &c. pavores non infrequentes in somno cum repentinis ejulatibus de dolore in abdomine circa unum magis locum digito designabilem.

Item stridores dentium sub somno frendentium, nullo dentitionis tempore.

Imo (impr. in adultioribus) deliria, febres anomalæ cum abdominis pathematibus, cum maculis cutaneis, decoloratioribus Icteroideis.

Vermium species.

Lumbrici proprie dicti, nempe longiores teretes vulgatiores sunt & inferunt incommoda magis in tenuibus inteſtinis, nec raro ipso ventriculo.

Ascarides circa coli & recti orificia.

Lumbricus latus late per abdomen rarior est, præc. adultis, sicut & cucurbitinus.

Herniæ.

Branchocele sive hernia gutturalis sive *struma* adjacet anteriori parti colli, magis aquarum, climatis certæ dispositioni, quam internæ causalitati debetur, excepto casu, qui a nisu partus intensiore suboritur.

Herniæ ventosæ & aquosæ diagnosis patet ex

1. Tactu & tractatione scroti, qua aquæ contentæ ponderositas ab aeris summa libertate facile discernitur.

2. Adspectu in loco tenebroso, ad lumen candelæ, ubi ab aere major, ab aqua minor est diaphaneitas.

3. Ventosæ communissime repentinum, aquosæ (nisi ascites concurrat) tardius incrementum.

4. Denique ventosæ frequentior & familiarior veluti alterans aliquando remissio seu imminutio, aliquando intensio, semper tamen æqualior per totam capacitatem expansio; cum contra aquosæ rarior est imminutio & si imminuatur, in reliqua parte sensibilis inanitio atque laxitas.

Hernia Inteſtinalis.

Dignoscitur partim ex conditione loci, ubi nempe tam umbilicalis potest esse quam inguinalis.

Par-

Partim ratione tactus, ubi inteſtina in herniam prolapſa molliorem tactum præbent;

Partim ratione alternantis modo imminutionis, modo reditus.

Dum videlicet communiſſime, niſi valde ſpatioſa ſit hernia, tempore decubitus nocturni præſertim poſt ſolitum paſtum inteſtina tota vel maximam partem intra abdomen recedant.

Rariora ſunt exempla *Herniæ lateralis* vel in medio abdomine, ſupra vel infra umbilicum in longitudinem fiſſuræ lineæ albæ.

Superſunt.

Hernia omentalis ſive Epiplocele & varicoſa ſive Cirſocele.

Dignotio maxime in tactu conſiſtit; dum omentalis duriuſcula & æqualior, varicoſa vero valde mollis & anfractuoſa deprehenditur.

Illa enim communiſſime in ſumma ſcroti parte incipit, & magis verſus abdomen veluti dilatata ſentitur; hæc vero contra a teſticulo verſus abdomen ſurſum potius gracilior fieri ſentitur.

Hæc igitur omnino continuitatem affert cum teſticulo, illa non item.

FINIS.